NOUVEAUX OUVRAGES

DE MONSIEUR

L' ABBÉ BOSCOVICH

APPARTENANTS PRINCIPALEMENT

A' L' OPTIQUE, ET A' L' ASTRONOMIE

EN CINQ VOLUMES

DÉDIÉS

AU ROI.

TOME QUATRIÈME.



A' BASSAN MDCCLXXXV.



& se vendent

A' VENISE, CHEZ REMONDINI.

Avec Approbation, & Privilége.

ROGERII JOSEPHI

BOSCOVICH

OPERA PERTINENTIA

AD OPTICAM, ET ASTRONOMIAM

Maxima ex parte nova, & omnia hucusque inedita,

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA

LUDOVICO XVI.

GALLIARUM REGI POTENTISSIMO DICATA.

TOMUS QUARTUS.





BASSANI MDCCLXXXV.



PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
Superiorum Permissu, ac Privilegio.



INDEX

OPUSCULORUM, PARAGRAPHORUM, &c.

Quæ in hoc quarto Tomo continentur.

OPUSCULUM I.

OPU-

§. I.

EXTRAIT



OPUSCULUM I.



De verificatione divisionum quadrantis muralis.

1. HOC Opusculum conscriptum est occasione examinis divisionum quadrantis muralis collocati in astronomica specula Mediolanensi Collegii Braydensis habentis radium sex pedum. Methodus omnium tutissima est illa, quæ adhibet mensuram actualem accuratissimam distantiæ cujuspiam horizontalis satis longæ, ad cujus caput alterum collocatur centrum quadrantis ipsius, circa quod convertitur alidada ferens telescopium, & ex altero extremo puncto ejusdem distantiæ ducitur filo tenui satis longo recta linea itidem horizontalis, quæ cum ipsa illa distantia contineat angulum accuratissime rectum: secus hoc filum promovetur regula habens divisiones notas in partibus, in quibus innotescit mensura distantiæ illius ejusdem. Hujus regulæ distantia ab ipso illo angulo recto cum partibus in ea notatis, ad quas dirigitur telescopium, & longitudo primæ distantiæ illius a centro quadrantis collocato in ejus initio, quæ longitudo gerit vices radii, exhibet tangentes angulorum, quos continet prima ipsa distantia cum hujus axe: eosdem angulos determinat ipsa alidada in limbo quadrantis, & ipsorum valor habetur ex tangentibus. Hac methodo possunt per ejusmodi actualem mensuram haberi valores arcuum limbi etiam usque ad 45 gradus, vel saltem usque ad 30, quorum differentia ab iis, quos exhibent divisiones limbi, ostendit errores corrigendos in observationibus instituendis quadrante eodem. Habitis autem erroribus priorum 45, vel 30 graduum, haberi possunt errores sequentium 45, vel 30, con-

verso horizontaliter quadrante ipso ita, ut, alidadâ notante finem arcus verificati, axis telescopii habeat positionem ejusdem illius primæ distantiæ : tum enim eodem pacto verificantur valores secundi semiquadrantis, vel secundi trientis, post quem eodem pacto verificatur tertius triens. Hæc methodus est omnium tutissima, sed admodum difficulter reducitur ad praxim, & si quadrans sit ingens, ut sunt quadrantes murales, vix ulla spes haberi potest rem eo pacto bene gerendi.

2. Methodus multo facilior est illa altera, quæ confert radium quadrantis cum chordis, quæ nimirum sunt distantiæ primi puncti a singulis punctis divisionum : sed ad eam rem præter virgam habentem binas cuspides ipsi perpendiculares, alteram fixam, alteram mobilem, cujus ope distantia centri a primo puncto divisionum, ac distantia ipsius a singulis punctis harum transfertur in regulam habentem divisiones ipsi insculptas : sed ad adhibendam eam methodum oportet habere ejusmodi regulam, de cujus accurata divisione jam constet, qua caret Astronomus quadrantem coemptum collocaturus in sua specula. Proponam hîc methodum, quam tum adhibui, quæ adhiberi potest in ipsa aula speculæ per instrumenta, quæ vel aliunde in speculis haberi solent, vel facile parari possunt ab artificibus etiam communibus.

3. In hac methodo obtinentur errores omnes per solam mensuram differentiæ earum magnitudinum, quæ deberent esse æquales, quæ differentiæ cum sint exiguæ, multo facilius accuratissime deprehendi possunt. Primo quidem obtinetur error arcus graduum 60 per comparationem chordæ ipsius cum primo radio : tum quæritur differentia, quam habet chorda primi ejus dimidii graduum 30 a chorda secundi, & a chorda reliqui arcus 30 graduum, qui habetur a gradu sexagesimo usque ad finem : singulorum ejusmodi arcuum dimidia, quæ deberent esse graduum 15, deberent esse æqualia inter se : eorum chordæ comparantur invicem ad habendam differentiam ipsorum arcuum per methodum exponendam : deinde comparantur inter se chordæ quinorum graduum, qui sunt trientes præcedentium, tum chordæ graduum singulorum, & ex differentiis chordarum deducuntur in singulis ejusmodi operationibus differen-

ferentiæ arcuum, ac ex differentiis horum errores singulorum methodo, quam jam exponam: tum demum obtinetur error arcus totius computati ab initio divisionum usque ad quemvis numerum graduum.

4. Sed prius indicabo methodum, qua in ipsas ejusmodi differentias inquisivi: id autem præstiti duplici modo. Paravi regulam ferream aliquanto longiorem pedibus sex: ipsi ad angulos rectos curavi afferruminandam alteram: huic adnectebantur binæ machinulæ ita, ut collocato quadrante in positione horizontali, & impositâ ipsi priore regulâ, posterioris faciebus latitudinalibus verticaliter erectis, plana inferiora ipsarum machinularum extantium ad latus accederent ad faciem limbi, & lamella vitrea affixa basi utriusque machinulæ, cuique sua, habens insculptam lineolam rectam perpendicularem longitudini regularum, applicaretur accurate plano ejusdem faciei limbi. Poterant autem ope cochleæ prementis applicari parti cuivis longitudinis regulæ verticalis, & ea pars alterius machinulæ, cui affigebatur lamella vitrea, poterat promoveri antrorsum, retrorsum ope cochleæ motu eodem, qui adhibetur in micrometris, cujus generis unum, quod jam habebatur in specula, aptatum est ad eum usum, binis indicibus denotantibus quantitatem motus, altero per numerum revolutionum, altero per partes unius revolutionis.

5. Applicatâ hoc pacto primâ regulâ horizontali, & adductâ priore machinulâ ad alteram e divisionibus limbi terminantibus eum arcum, poterat facile adduci altera ad locum, in quo lineola suæ lamellæ vitreæ remaneret prope divisionem extremam alteram ejusdem arcus, ut ope micrometri adduceretur ad accuratam congruentiam cum ipsa, quo pacto obtinebatur distantia inter lineolas binarum lamellarum vitrearum pertinentium ad binas machinulas accurate æqualis chordæ arcus ipsius. Translatâ regulâ duplici ad alterum e binis arcubus comparandis, & ita applicatâ, ut ea lineola lamellæ vitreæ, quæ non erat mobilis, accurate congrueret cum prima e binis divisionibus terminantibus arcum ipsum, notabatur distantia lineolæ insculptæ in altera lamella mobili a secunda ex iis divisionibus: ea distantia erat differentia binarum

chordarum quæsita, quæ obtinebatur, promotâ lineolâ mobili usque ad congruentiam cum divisione ipsa.

6. Porro valor particularum micrometri facile obtinebatur. Promotâ laminâ vitreâ mobili ita, ut ejus lineola percurreret unam ex exiguis partibus arcus circularis, ad quem divisiones terminabantur, ut arcum minutorum decem, habebatur numerus conversionum integrarum, & partium unius conversionis, adeoque numerus earum partium respondentium illi arcui: hinc eruebatur scala, quæ exhiberet numerum secundorum, & ejus partium decimarum, qui respondebat dato cuivis numero partium ipsius micrometri. Nec error divisionum quadrantis oberat ei determinationi, ubi agebatur de differentia inter chordas, quæ erat utique perquam exigua: nam is error respectu ejus intervalli minutorum 10 in quadrante, si minus accuratissime, non omnino oscitanter, diviso debebat esse satis exiguus, adeoque applicatus ad differentiam chordarum tanto minorem debebat evadere prorsus insensibilis. Accedit, quod ad eam rem adhiberi poterant multi ex arcubus minutorum 10, quorum alii si essent tantillo majores justo, alii debebant esse minores, & assumendo medium inter determinationes exhibitas a multis, evitabatur omne periculum erroris in eruendo valore earum partium micrometri.

7. In instrumentis habentibus puncta pro divisionibus res multo tutius accurate perficitur: nam lineola paullo tenuior puncto ipso, quod ope microscopii apparet quidam circellus non ita exiguus, facile adducitur ad positionem, in qua extent bina segmenta ejus circelli hinc, & inde a linea vitrea ad sensum æqualia: minimus ejus motus æquivalens uni decimæ parti unius secundi inducit in longitudinem chordarum, quæ sunt eorum segmentorum bases, inæqualitatem, quæ ope microscopii ipsius evidentissime perspicitur. In eo quadrante divisiones habebantur per lineolas transversales non obliquas, sed, ut moris est, perpendiculares arcui circuli. Ibi obtinetur exiguum quadratum habens tria latera, quorum unum est limbus exterior sulci illius, qui efformatur in delineando arcu eodem, & alia bina sunt limbi sulci lineolæ perpendicularis efformantis divisionem, qui procurrit

currit usque ad limbum illum exteriorem sulci arcus circularis. Satis bene tum etiam adducebatur lineola vitri mobilis ad centrum ejus quadrati aucti per microscopium. Sed præferendæ omnino essent divisiones per puncta, quamvis, ubi nonii adhibentur pro mensuris, fieri soleant ipsæ divisiones per lineolas perpendiculares arcui circuli, & nonii.

8. Debuisset hoc instrumento comparari primus radius cum chorda arcus graduum 60 intercepti ab initio divisionum usque ad 60, sed cum id initium esset minus nitidum, facta est potius prima comparatio arcus a 30 ad 90: sed ad eam rem oportebat habere accuratam positionem centri ad hoc, ut posset collocari accurate supra ipsum lineola lamellæ immobilis. Id centrum tegitur ab alidada ferente telescopium: sed in centro ipso habebatur lamina metallica cum foramine cylindrico, cui immittebatur cylindrus solidus perpendicularis plano ejusdem alidadæ ipsi affixus: hujus conversione intra id foramen circumferebatur telescopium per totum quadrantem. Sublatâ alidadâ cum telescopio, immissus est in id foramen alter cylindrus solidus habens superficiem circularem in eodem plano cum lamina perforata, & in centro ejus superficiei punctum tenue: hic cylindrus moveri poterat circa proprium axem: applicatum est superficiei ipsius laminæ perforatæ filum tenue, in directione radii tendentis ab eo centro ad divisionem notantem finem quadrantis, nimirum gradus 90, transiens per id punctum notatum in superficie ejus cylindri pro centro. Hoc gyrante, id punctum debuisset remanere immotum respectu ejus fili: verum detectus est ejus motus sane exiguus, sed admodum sensibilis ope microscopii. Notata est positio maximæ elongationis ejus puncti ab eo filo: in ea positione collocatus est is cylindrus. Facile patet, distantiam puncti notati pro centro a circulo limbi continente divisiones esse in ea positione æqualem illi, quam centrum ipsum conversionis alidadæ habebat ab eodem circulo, quæ distantia est ipse postremus radius ejusdem circuli.

9. Cylindro ita disposito, applicata est regula illa hujus instrumenti ad laminam centri, & ad limbum prope finem quadrantis, & ita promota, ut lineola lamellæ vitreæ immobilis transiret

per

per medium puncti notati pro centro : lineola autem lamellæ mobilis adducta est ope micrometri ad circulum limbi ita, ut sulcum ipsius secaret bifariam : tum eâdem regulâ adductâ ad positionem chordæ graduum 60, a 30 ad 90, ac repetitâ pluribus vicibus eâdem operatione, inventum est discrimen secundorum jam 4, jam $3\frac{1}{2}$, sed multo sæpius 4, chordâ ejus arcus deficiente a longitudine ejus radii.

10. Quantitas absoluta erroris ejus arcus eruitur e sequenti theoremate, quod pertinet ad elementa exiguarum differentiarum, demonstratur autem admodum facile : *Differentia chordæ ad differentiam exiguam arcus circularis est, ut cosinus dimidii arcus ipsius ad radium*, quæ est eadem ac ratio radii ad secantem ejusdem arcus. Porro secans arcus graduum 60 est $= 1,155$. Quare error arcus illius postremi intercepti inter 30, & 60 erat $- 4'' \times 1,155 = - 4'',62$.

11. Habito hoc errore, quæsita est ope instrumenti ejusdem modo exposito differentia chordarum trium arcuum graduum 30, deinde arcuum trium pro iis singulis continentium gradus 10, & pro horum singulis binorum continentium gradus 5. Tum ego quidem non sum progressus ultra gradus quinos, relictâ successoribus curâ perficiendi verificationem ipsam : hìc pergam proponere continuationem methodi adhibendæ. Comparatio singulorum graduum haberi poterat facilius per solam machinulam habentem lamellam mobilem promovendo ejus lineolam ope earundem revolutionum micrometri per singulos gradus. Sed & singulorum graduum errores, & subdivisionum earundem multo facilius, ac etiam tutius haberi poterant ope telescopii mobilis cum alidada, directo ipso in objectum terrestre ita remotum, ut ibidem collocari posset regula ejus longitudinis, quæ subtenderet angulum paullo majorem uno gradu, divisa in partes æquales : eâ ibi positâ in directione determinata (omnium aptissima est illa, quæ sit ad sensum perpendicularis rectæ tendenti ab ipsa ad centrum quadrantis) facile ope distantiæ bene determinatæ, ac positionis, & divisionum ipsius regulæ, deprehenditur, quot partes respondeant uni ejus gradui, ac ejus partibus continentibus numerum minuto-

rum

rum quemvis exhibitum a subdivisionibus limbi. Motus alidadæ per limbum ipsum cum motu axis telescopii per subdivisiones regulæ exhibebit valorem subdivisionis cujuscumque ejus partis limbi. Potest autem ita collocari quadrans, ut initio operationis axis telescopii directi in initium regulæ respondeat initio gradus cujuscumque.

12. Verum ipsa etiam comparatio majorum arcuum, quam obtinueram ope prioris methodi expositæ, poterat obtineri ope ipsius telescopii, & alterius generis micrometri externi applicati ad ipsius alidadam, quod & præstiti usque ad gradus quinos: en paucis eandem methodum. Paravi instrumentum, quod affigi posset ipsi alidadæ, & telescopio, continebat autem tam hinc quam inde a medio ipsis affixas binas fasciolas circulares ejusdem curvaturæ cum limbo connexas inter se in fine, & habentes intervallum liberum vacuum ab illo medio usque ad illum nexum finalem per totam longitudinem, quo pacto obtinebatur utrinque species quædam limbi perforati mobilis connexi cum ipsa alidada, & excurrentis supra planum limbi quadrantis habentis divisiones suas in illo medio relicto vacuo inter ipsas fascias, quæ per earum intervallum transpiciebantur. Hæc erant duo quædam veluti brachia excurrentia hinc, & inde ab illo medio affixo alidadæ, & telescopio. Pro comparandis inter se arcubus longioribus, ut graduum 30, applicabantur inferne fasciolis singulorum brachiorum singulæ lamellæ vitreæ habentes lineolam insculptam in directione ad sensum perpendiculari ad ductum fasciolarum ipsarum, & limbi quadrantis ita, ut plana inferiora lamellarum vitrearum congruerent accurate cum plano limbi ipsius, quod facile præstatur affigendo eas ope ceræ, ut premendo adducerentur ad eam congruentiam planorum, & impellendo in latus ad eam positionem, in qua intervallum ejusmodi lamellarum vitrearum pertinentium ad bina brachia interciperet arcum, quem quis vellet, congruentibus ipsis lineolis vitreis ad sensum cum divisionibus limbi terminantibus ipsum arcum.

13. Iis ita dispositis, ut interciperent postremum arcum graduum 60, adducebatur alidada per cochleam externam, quæ pro-

mo-

movendo ipsam efformabat quandam speciem micrometri externi, ad eam positionem, in qua lineola primæ lamellæ vitreæ congrueret cum primo termino ejus arcus accuratissime, teste microscopio. Secunda lineola poterat adduci ope lateralis impulsionis, cerâ cedente impulsui levi, ad secundum limitem ita, ut accurate cum eo congrueret, teste itidem microscopio: sed satis erat ipsam collocasse ad sensum in distantia illa debita a lineola prioris lamellæ vitreæ: tum enim, si lineola secunda non congruebat accurate cum altera divisione, quod nunquam accidit casu fortuito, promovebatur alidada per micrometrum externum usque ad eam congruentiam, notando numerum partium micrometri ipsius, qui exhibebat differentiam ejus arcus, ab eo, qui haberet eandem distantiam earum lineolarum pro chorda. Applicatâ eodem modo regulâ compositâ ad alterum arcum comparandum cum illo priore, obtinebatur ejus differentia ab illo alio eodem, qui haberet eam distantiam pro chorda, unde profluebat differentia arcus secundi a primo. Pro comparatione partium arcus minoris inter se affigebatur utraque lamella vitrea eidem brachio. Ita obtinebantur comparationes mutuæ inter se arcuum omnium tam majorum ope utriusque brachii, quam minorum ope alterius solius, qui deberent esse æquales inter se.

14. Porro circumducto telescopio per totum quadrantem, limbus alidadæ semper accurate congruens cum circulo habente divisiones ostendit, totum arcum esse accuratissime circularem, quod semper accidit, ubi ipsius circuli arcus designatur in superficie limbi per tenuem cuspidem connexam cum alidada, cujus cuspidis distantia a centro conversionis remanet semper eadem. Ubi divisiones fiunt per puncta insculpta in ipso limbo, fieri utique potest, ut centra foraminulorum, quæ sine microscopio apparent ut puncta, trans microscopium ut circelli, non cadant penitus in eandem distantiam a centro motus, circa quod ducitur prius tenuissimus arcus circularis, ut puncta notentur in ipso profundiora, deleto deinde eo circulo, ut puncta ipsa visa per microscopium appareant circelli accurati: admodum difficile est id efficere, ut puncta notata ope cuspidis percussæ accurate cadant in medium,

utut

utut tenuem, sulcum illius arcus circularis. Tum oportet inquirere in ipsam differentiam radiorum terminatorum ad ea puncta: ea differentia semper admodum exigua inducit exiguum errorem in angulum, quem metitur arcus interceptus inter ipsa, & definitus per eorum distantias habitas pro chordis: sed is error est multo minor, etiam ubi agitur de magnis arcubus: in exiguis est prorsus insensibilis, adeoque in his omnino negligendus: sed de eo errore occurret sermo in alio Opusculo. Interea tota vis harum methodorum sita est in eo, ut res perficiatur per mensuras accuratas non ingentium intervallorum, sed exiguarum differentiarum, quæ iis methodis obtineri possunt sine ullo errore sensibili, & facile adhibentur in usu per formulas simplicissimas differentiales.

15. Habitis differentiis chordarum, obtinentur differentiæ arcuum, & ex his derivantur errores absoluti arcuum singulorum, tum ex horum summis errores singulorum arcuum incipientium a zero usque ad quemvis numerum expressum in limbo quadrantis. In primis ex differentia binarum chordarum pertinentium ad binos arcus, qui deberent esse æquales, & non sunt, eruitur differentia arcuum per illud idem theorema enunciatum numero 10; multiplicando nimirum exiguam illam differentiam chordarum per secantem dimidii arcus, quod fit admodum facile: nam arcus, cujus secans assumi debet pro solo arcu illo primo = *60*, erit graduum 30, cujus secans 1,155 addit radio unam partem decimam cum 55 millesimis: in comparatione binorum arcuum habentium gradus 30, secans ejus dimidii = 15° est = 1,035: quare ibi satis erit multiplicare exiguam differentiam chordarum per illum excessum 1,035, & addere productum illi ipsi differentiæ, ubi etiam negligi potest nota 5 partium millesimarum. Ubi comparantur bini arcus = 20°, qui sunt trientes arcus illius maximi, cujus error inventus est per ipsius comparationem cum radio, debebit assumi secans graduum 10 = 1,015, & ea relinquit pro multiplicatore solam fractionem 0,015 ita exiguam, ut itidem omnino contemni possit. Maximus ex reliquis, qui possint occurrere, est 7°.30' in comparatione binorum 15, qui sunt dimidia arcuum continentium gradus 30, & ejus secans non addit nisi 0,008*6*,

quod exhibet augmentum exiguæ differentiæ arcuum omnino negligendum, & multo magis negligendi sunt excessus secantis supra radium pertinentes ad omnes arcus, quorum usus possit occurrere, qui sunt multo minores.

16. Solus primus arcus graduum 60 habet pro errore suo absoluto differentiam suæ chordæ a radio auctam producto ex ipsius multiplicatione per 0,155. Pro binis e reliquis inter se comparandis habebuntur sequentes regulæ: differentia chordarum multiplicanda est pro arcubus graduum 30 per 0,035, pro 20° per 0,015, pro 15° per 0,009: & productum addendum eidem differentiæ multiplicatæ: pro inferioribus assumatur ipsa differentia chordarum pro differentia arcuum.

17. Ubi agetur de inveniendo errore arcus cujusvis, is componetur e binis, quorum alterum appello derivatum, alterum proprium. Hic posterior pertinebit semper ad aliquam subdivisionem arcus cujuspiam, cujus partes comparantur inter se, & quarum summa est is arcus ipse. Si eæ partes essent æquales inter se, sed erroneus arcus, cujus ipsæ sunt partes, error ipsius divisus per numerum partium esset ipsarum error, quem voco derivatum, quia provenit non ab erronea divisione, sed a vitio illius totius, cujus eæ sunt partes, & is error derivatus singularum est error ille ipse ejus totius divisus per numerum partium. Sed si partes ipsæ ob erroneam subdivisionem sint inæquales, differentia singularum earum partium ab eo valore, quem haberent, si omnes essent æquales inter se, est error is, quem appello proprium: error autem ejusdem arcus absolutus erit summa binorum, derivati, & proprii: is nimirum erit differentia ejus arcus ab eo, qui haberetur, si primus ille arcus graduum 60 fuisset sine errore, & nullus accessisset error in ulla ex divisionibus, & subdivisionibus.

18. Vidimus, errorem derivatum haberi, diviso errore absoluto totius per numerum partium: pro errore proprio habebitur hujusmodi regula. Assumatur excessus primæ e partibus supra secundam, qui dicatur a, supra tertiam b, supra quartam c, & ita porro, si fuerint plures, ut erunt quinque, ubi arcus graduum

duum quinque subdividitur in gradus singulos : habebuntur ibi excessus quatuor a, b, c, d . Voco excessum , qui erit talis reipsa , si prima pars inventa fuerit major sequentibus omnibus : sed si ea fuerit minor aliquâ ex ipsis , habebitur defectus pro excessu , & tum valor ipsi respondens erit negativus , ac differentiæ inventæ præmittendum erit signum negativum , præmisso positivo iis differentiis , quæ habebuntur per verum excessum partis primæ supra illam e sequentibus . Assumptis hoc pacto valoribus omnibus a, b, c , &c. , eorum summa divisa per numerum partium erit error proprius primæ partis . Ab eo errore subtrahantur singuli valores a, b, c &c., & habebitur error partis secundæ, tertiæ &c. signum relictum post eam subtractionem , habitâ ratione signorum , quæ pertinent ad valores singulos , ostendet , illam partem esse majorem , vel minorem eâ , quæ obtineretur per divisionem æqualem arcus , cujus eæ sunt partes , adeoque ejus errorem proprium esse positivum , vel negativum .

Quod pertinet ad errorem partis primæ , sic facile demonstratur . Ejus valor dicatur m , error ipsius e : erit valor partis secundæ $m - a$, valor tertiæ $m - b$, quartæ $m - c$, &c. : adeoque si earum partium numerus sit n , summa omnium erit $= mn - a - b - c$, &c. Hæc summa erit æqualis arcui totali , adeoque si pars proveniens e divisione æquali dicatur r , erit $r = m - \frac{a + b + c, \&c.}{n}$, & $m - r = \frac{a + b + c, \&c.}{n}$, qui erit error e proprius partis primæ positivus , vel negativus , prout summa valorum omnium a, b, c &c. fuerit positiva , vel negativa ; unde patet regula tradita pro errore partis primæ . Erit autem $m - r = e$, adeoque $m = e + r$, & pars secunda $= m - a$, erit $e - a + r$, cujus excessus supra valorem r erit $= e - a$, excessus autem tertiæ $= e - b$, quartæ $= e - c$, & ita porro . Patet igitur etiam regula pro erroribus omnium reliquarum post primam .

19. En igitur ordinem , qui servandus erit in hujusmodi verificationibus , ubi aliqua ratio particularis non suadeat aliquam mutationem , ut in eo quadrante defectus illius puncti , cui re-

spondet zero, tum quidem aliquantisper confusi effecit, ut verificationem inceperim non ab initio, sed a fine quadrantis.

Collato radio cum chordâ arcus a zero ad 60, inveniatur error ejus arcus pertinens ad divisionem, cui adscriptus est numerus 60.

Conferatur chorda arcus a zero ad 30 cum chorda a 30 ad 60, & inventâ differentiâ ipsarum chordarum, ac per ipsam differentiâ arcuum, sumatur dimidium hujus differentiæ pro errore proprio utriusque arcus graduum 30, qui erit positivus pro eo, cujus chorda fuerit major: hi errores ipsis adscribantur: addatur utrique dimidium erroris inventi pro gradibus 60, habendo rationem signorum de more: summa erit error totalis utriusque arcus.

Conferatur eadem cum chorda a 60 ad 90: differentia chordæ ejus arcus a chorda primi 30 exhibebit differentiam ejus arcus ab eo arcu, quæ collata cum errore totali ipsius primi exhibebit errorem ejus postremi.

Conferantur chordæ trium partium singulorum ex iis arcubus continentes gradus 10, & differentia ipsarum, haberi poterit pro differentia arcuum: jam habebatur excessus primi supra reliquos duos trientes, positivus, vel negativus: binorum excessuum summa divisa per 3 adscribatur primæ parti pro ejus errore proprio: ab eo errore proprio subtrahatur excessus primæ partis supra secundam, tum supra tertiam, ut habeatur error proprius utriusque:, error derivatus erit idem pro omnibus tribus pars tertia erroris ejus arcus graduum 30, de cujus partibus agitur: summa eorum binorum errorum, proprii, & derivati adscribatur singulis pro earum errore totali. Eâ operatione institutâ pro omnibus tribus arcubus graduum 30, habebuntur jam 9 arcus scribendi ordine suo 0...10; 10...20; 20....30 &c, quibus singulis adscribetur suus error totalis inventus.

Conferentur chordæ binæ graduum 5 pro quolibet graduum 10, & habebuntur eorum arcuum errores proprii, quibus adscripto errore derivato, qui est dimidius erroris totalis sui arcus graduum 10, summa exhibebit errorem totalem. Eo pacto habebuntur ordine suo dispositi arcus 18 cum suis erroribus totalibus.

Col-

Collatio quinque graduum singulorum pro quovis gradu arcuum continentium quinos facta methodo superius exposità exhibebit errores graduum singulorum proprios, cum derivatis adscriptis, & totalibus provenientibus ab eorum summis.

20. His ita dispositis oportebit ordinare catalogum omnium arcuum totalium a zero ad 1, 2, 3 &c. usque ad 90. Si pro errore totali horum fieret summa errorum omnium pertinentium ad gradus præcedentes singulos, summæ evaderent admodum erroneæ ex accumulatione errorum commissorum in tanta eorum sĩgulorum multitudine: verum subduci poterunt summæ hoc alio ordine.

21. Adscribetur error suus totalis arcui primo graduum 60: tum arcui primo 30 suus, summa erroris arcus 60 cum errore tertii graduum 30 exhibebit errorem arcus 90: ii duo posteriores errores erunt compositi e binis, & obnoxii binis errorum erroribus singuli.

22. Primo arcui 10 adscribetur error totalis suus, arcui 20 summa primi, & secundi graduum 10, arcus 30 jam habebit suum, cui addetur error sequentis arcus graduum 10 pro 40, & error alterius sequentis auferetur ab errore 60 pro 50: primi graduum 10 error addetur errori arcus 60 ad habendum pro arcu 70, secundi error auferetur ab errore 90 ad habendum pro 80.

23. Eodem pacto ut habeantur errores graduum compositorum e quinis habebuntur jam errores pro arcubus compositis e denis, quibus singulis addetur primus tantum compositi e quinis. Iis autem, qui sunt compositi e quinis, addetur prius error primi e sequentibus quinque, tum & alter, deinde duo eorum postremi auferentur a sequenti jam composito e quinis, ac deinde auferetur postremus, ut habeatur error pertinens ad quemvis e quatuor intermediis inter præcedentem compositum e quinis, & sequentem.

24. Re peractâ hoc ordine, arcus e 60 non habebit nisi unicum erroris adscripti errorem: arcubus compositis e continentibus 30 non poterit accedere nisi alter unicus, compositis e denis non nisi tertius, compositis e quinis non nisi quartus, compositis e singulis non nisi duo alii novi: adeoque non poterunt haberi nisi sex

erro-

errorum conjunctorum errores, dum in compositione ex omnium singulorum summa arcus graduum 89 haberet totidem errorum errores simul conjunctos. Quare si repetitâ operatione pluribus vicibus cum summa diligentia perveniatur ad habendas differentias chordarum usque ad decimas partes unius secundi; non habebitur error ne unius quidem secundi in summis, sive in quovis arcu a zero usque ad numerum quemcunque, atque id etiam si omnes errores conspirent, quod nunquam accidit.

25. Potest autem institui divisio alio etiam pacto, dividendo nimirum arcum 60 in ternos arcuum 20, tum hos in binos graduum 10, vel dividendo arcus 30 prius in duos graduum 15, tum in tres graduum 5. Labor verificationis imminuitur plurimum, si habeatur regula accuratissime divisa in partes æquales, in quam transferantur chordæ a zero usque ad divisiones singulas ope instrumenti hìc superius propositi, quod admittit illum usum microscopii: nam translatio per circinum constantem virgis habentibus cuspides sibi perpendiculares non permittit eam adeo accuratam applicationem ipsius microscopii, nec unquam satis distincte videri potest, an cuspis accurate cadat in punctum divisionis cujuspiam. Verum æqualitas accurata divisionum longioris regulæ difficultatem habet suam, & Astronomus plerumque eâ caret, ac si velit non aliis fidere, sed ipse per se rem cognoscere, debebit methodo aliqua analoga hìc propositæ inquirere prius in æqualitatem ipsam divisionum ejusdem regulæ, verificatio etiam per comparationem arcuum exigui numeri graduum cum arcu ferente nonium accumulat numerum errorum in summis.

26. Hìc illud conatus sum, ut proponerem methodum, qua Astronomus in sua specula possit per se ipse videre omnia, & cognoscere vim instrumentorum suorum: alii hæc ipsa ad alia transferent divisionum genera, & faciliores reddent methodos hìc propositas, quæ inventioni promovendæ non inutilia fore confido. Hæc erit, ut cognitio idiomatis adhibiti in loco, ad quem homo ejus ignarus adveniat, qui donec ipsum addiscat, nihil intelligit eorum quæ audit. Sic Astronomus nihil certo scit eorum, quæ videt, nisi noverit, suum quadrantem, exempli gratiâ, præbere

bere ejus oculis gradus 50, cum revera ibi habeat 50°. 0'. 10". Verificatione autem institutâ instrumentum habens divisiones admodum erroneas æquivalet optimis, in quibus semper remanent errorculi. Si divisiones sint nitidæ, ut distincte exhibeatur id, quod exhibetur, & instrumentum ita solidum, ut semper exhibeat id, quod semel exhibuit, nihil refert prorsus, exigui sint errores, an multo majores: observatio erit æque accurata, & æque facilis correctio, sive 30 secunda addenda sint divisioni insculptæ, sive duo, vel tria. Labor verificationis est sane ingens, sed is institutus semel repetitionem non exigit, nec unquam censendus est nimius is, qui solus ad evidentiam possit perducere, suscipi autem potest ab Astronomo speculæ sibi ignotæ destinato, & vigente ætate, ac viribus. Verificatio plurium ex instrumentis, de quibus agemus in hoc Volumine, erit minus operosa; sed in multis labor impendendus est satis magnus, ut deveniatur ad eam certitudinem, & evidentiam, quarum est capax humana conditio. Illud homini est datum, ut minus erret, non ut omnino non erret.



OPU-



OPUSCULUM II.

De Examine plani quadrantis.

1. UBI quadrans habet radium ingentem cum lamina centrali, & limbo circulari, non ita facile explorari potest, an ipse limbus sit totus in eodem plano transeunte per centrum, cum incurvo illi limbo applicari non possit regula, nisi per exiguum tractum, quæ idcirco non ostendet recessum totius limbi a plano, ut possit determinari. Inveni methodum, quâ id obtinerem tam quadrante posito in situ verticali, quam ipso collocato in situ horizontali. Ad eum usum adhibui cuneum, quem appello micrometricum, a cujus descriptione ordiar.

2. Eum cuneum exhibet figura 1 (Tab. I): ABCD est ejus superficies superior rectangula: GF, FE sunt bini margines superficiei inferioris: ADFG est ejus sectio verticalis versus cuspidem, in quam accurate non desinit: DFEC est superficies lateralis, in qua crassitudo maxima EC, minima DF: reliquæ crassitudines indicantur lineolis incisis in prima superficie prope rectam DC in denas particulas cum earum dimidiis pro quinis, & numeri adscripti indicant earum numerum. Ubi habetur 100, ibi crassitudo est $\frac{1}{100}$ pedis, sive 100 decimarum millessimarum unius pedis: easdem particulas indicant 50, & 150, ex quibus & reliquæ decades statim innotescunt, ac dimidia decadum indicantur a lineolis minoribus: particulæ in quovis quinario facili æstimatione obtinentur. Si binæ quinarii partes sint quidem inæquales, sed non nimis inæquales, altera habenda erit pro 2, altera pro 3. Si inæqualitas sit ingens ita, ut pars altera sit perquam exigua; ea erit $=$ 1, reliqua $=$ 4.

3. Deberet curari, ut facies ABCD, GFE sint bene planæ, quod cum admodum difficulter obtineri possit usque ad cuspidem te-

tenuissimam, idcirco curavi cuneum ita truncatum, ut desint circiter 20 particulæ prope ipsam. Si facies non sint accuratissime planæ, adhuc is defectus nihil oberit, si pro divisione adhibeatur methodus, quam hìc proponam. Longitudo est arbitraria, sed quo, pari crassitudine, fuerit longior, eo magis sensibilis erit scala particularum exhibita a cunei facie: meus est circiter pedis unius, & habet crassitudinem maximam particularum 160: ejus divisionem obtinui accuratissimam sequenti methodo: paravi lamellam ejus crassitudinis, ut accurate congrueret cum binis lineis pedis parisiensis, quæ continent $\frac{1}{72}$ ipsius pedis, quæ nimirum, factis 72 : 1 :: 10000 : 138 $\frac{8}{9}$, continet particulas decimas millesimas quam proxime 139. Aperto angulo ACB (fig. 2) circini proportionis affabre constructi, applicui latus ipsius lamellæ propius centro C ei puncto E lateris CB, quod respondet num. 139 partium æqualium, tum angulum ita conclusi, ut punctum D responderet simili puncto lateris CA, ac ipsius circini crura ita adstrixi in AB tenaci forcipe, ut angulus ACB nec augeri posset, nec minui: summotâ lamellâ DE, immisi intra aperturam anguli ipsius cuneum micrometricum impellendo ipsum versus C, & elevando ac deprimendo, donec congrueret ejus crassitudo cum apertura ipsius anguli respondente numeris partium æqualium 20, tum 30, 40, 50, & in singulis positionibus notabatur in latere CD figuræ 1 divisio exprimenda iisdem numeris: eo pacto obtinui crassitudines respondentes particulis 20, 30, 40, 50 iis ipsis, quarum 10000 continet unus pes, ac singulæ decades bifariam sectæ, exhibuerunt quinaria. Ea ratione cunei micrometrici divisio obtinetur accuratissima, quem deinde adhibui ad plures perquisitiones, inter quas una e præcipuis fuit verificatio, & correctio plani quadrantis muralis, quam pro positione verticali institui methodo sequenti.

4. Posito ipso quadrante in situ proxime verticali, applicui ipsi filum sericum DE (fig. 3) crassitudinis uniformis, qualia inveniuntur satis opportuna ex materia nondum cocta, qualis e folliculis extrahitur, quod tetendi satis magna vi. Sustinebatur id a binis ferreis virgis IHD, KLE flexis ad angulum in H, & L,

quarum caput I, & K desinebat in furcam, ut exprimit fig. 4, quæ inserebatur regulæ laterali quadrantis, & ipsi adstringebatur ope cochleæ prementis M. Alteri ut D advolvebatur id filum sericum, & alligabatur utcumque: in altera, ut E, habebatur cylindrus cum cochlea, qui posset converti circa proprium axem, cui itidem advolutum, & alligatum filum ipsum distendebatur, quantum libebat, ejus conversione, ac poterat effici, ut remaneret propius puncto L, vel ab ipso remotius ipsum admovendo, vel removendo vi digito illata, dum fiebat cylindri conversio. Sed id facilius fieri potest ope machinulæ figuræ 5: ibi cochlea NT cogit cursorem RQ accedere ad L, vel ab eo recedere, quantum libet: filum advolvitur cylindrulo inserto ipsi cursori, qui dum convertitur ope manubrii S, distendit filum ipsum, quantum libet.

5. In centro C figuræ 3 aderat, ut fieri solet, foramen exiguum cylindricum, cui inseri solet cylindrus convexus, qui adnexus alidadæ deferenti telescopium converti possit intra ipsum, vel circa quem ipsa alidada convertitur. In id foramen immisi cylindrum convexum ligneum crassitudinis ejusdem, in cujus centro defixa erat acus metallica, cum capite crassiore proximo ejus plano: inducebatur ipsi laqueolus, in quem desinebat filum sericum tenuissimum satis longum, quod, ipso laqueolo gyrante circa eandem acum, poterat circumduci, & acquirere positionem cujusvis radii sphæræ, sed ita, ut ibi eandem semper haberet distantiam a plano ipsius cylindri solidi, cui erat infixa acus: ipse autem cylindrus poterat non nihil protrudi ultra planum laminæ centri, in quâ illud foramen cylindricum fuerat excavatum.

6. His ita positis, & aptato tam cylindro in C, quam filo transversali DE, tetendi vi mediocri filum illud sericum tenuissimum mobile CF, cujus alterum extremum applicui limbo ipsi versus F ita agglutinatum cerâ interpositâ, ut filum fixum contingeret: immisso inter ipsum & laminam centri cuneo micrometrico, & promoto usque ad contactum cum eodem filo mobili, obtinui accuratissime ejus distantiam a plano ipsius laminæ, in quo jacet quadrantis centrum. In ea mensura determinanda vix poterat dubita-

litari de una, vel altera particula ejus cunei, nimirum decima millesima unius pedis.

7. Hoc intervallo invento, & accuratissime determinato, notavi hanc, quæ dici poterit distantia fili mobilis a plano centri: tum ejusdem fili mobilis caput F adduxi prius ad initium divisionum zero, & applicui ipsi limbo tenens manu ita ibi applicatum, vel ita agglutinans cerâ post ipsum limbum a tergo, ut remaneret fixum, & bene tensum. In eo statu id intorquebat filum transversale DE introrsum; sed ipsum statim liberabam ab eo flexu inserendo inter planum limbi, & filum mobile prope F in ipso situ divisionum cuneum micrometricum, & promovendo ita, ut succedentibus perpetuo partibus crassioribus, demum ipsum filum mobile CF desereret filum transversale DE, quod ita remanebat liberum in eo statu, quem requirebat tensio, fere rectilineo: incurvabatur id quidem non nihil ob suum ipsius pondus, & induebat formam arcus lineæ funariæ, sive catenariæ incurvi quidem non nihil, sed parum admodum, & curvaturâ, quæ ipsum non poterat removere a plano quodam verticali, sed incurvare tantummodo in eo plano versus pavimentum: tum paullatim subducebam cuneum ita, ut succederent partes minus crassæ, donec filum mobile CF, quod interea accedebat ad transversale DE in G, ipsum ibi contingeret: notabam autem crassitudinem ipsius cunei, quâ efficiebatur primo is contactus, deinde promovebam punctum F ad punctum graduum 10, tum ad 20, 30, & ita porro, vel etiam ad quinos gradus, notando semper eum numerum particularum distantiæ a plano limbi determinatæ a filo fixo, qui habebatur, ubi primo ipsum filum mobile appellebat ad contactum cum eodem fixo in G. Porro contactum indicabat umbra fili mobilis CF projecta in transversale DE a lumine fenestræ non nihil obliquo, vel occlusis fenestris a flammula candelæ, quæ umbra satis evidenter incipiebat apparere in ipso fixo, ubi jam proximum ipsi evaserat filum mobile, & oculo oblique posito perspiciebatur evidentissime distantia ipsius fili mobilis ab illa suâ umbrâ, donec se in ipso contactu conjungerent. Hoc pacto obtinui accuratissime in locis singulis distantiam plani limbi a filo

ipso mobili bene tenso, & adducto ad primum contactum cum filo fixo.

8. Porro filum mobile motu suo circa punctum immobile, in quo perpetuo contingit filum fixum, describit utique planum quoddam. Id quidem esset accuratissime planum, si utrumque filum haberet directionem prorsus rectilineam: utrumque habebit curvaturam exiguam inductam a suo pondere; sed ea curvatura fiet in plano quodam verticali, in quo cum jaceat vel accurate, vel satis proxime illud ipsum punctum immobile C, descriptio plani cujusdam nihil inde ad sensum turbari potest.

9. Hoc pacto habebatur pro omnibus punctis limbi, ad quæ filum mobile fuerat adductum, distantia a plano quodam, cujus plani habebatur etiam distantia a centro illa ipsa, quæ determinata fuerat, determinando (num. 6) distantiam fili mobilis a lamina centrali. Si hæc dematur a reliquis, habebuntur distantiæ eorundem punctorum ab alio plano transeunte per centrum, quibus datis invenietur facile singulorum distantia a plano alio, quod concipiatur transiens per centrum, & extrema puncta limbi. Considerentur tria plana: primum sit illud, quod describit filum mobile: secundum aliud ipsi parallelum transiens per centrum quadrantis: tertium illud aliud transiens per ipsum centrum, & bina extrema limbi. Ad primum pertinent distantiæ punctorum limbi exhibitæ a cuneo micrometrico per immediatam observationem: ad secundum distantiæ ipsæ curtatæ per substractionem ejus, quam filum mobile habet a lamina centrali. Quæremus distantias a tertio, quæ haberi possunt pro erroribus plani quadrantis; si enim id esset planum, transiret per centrum, & per omnia puncta limbi, adeoque etiam per illa extrema, quo casu eæ distantiæ punctorum reliquorum ab eo tertio plano nullæ haberentur.

10. Si distantia fili mobilis a plano laminæ centri fuerit æqualis distantiæ ipsius ab utroque extremo limbi; illud ipsum secundum planum erit idem, ac tertium quæsitum, & inventio errorum omnium erit expeditissima. Ablatâ ab omnibus reliquis distantiis distantiâ pertinente ad centrum, remanebit zero pro punctis limbi primo, & ultimo: si pro reliquis omnibus remaneat

itidem

itidem zero ; erunt omnia in illo plano eodem : quod si pro puncto quopiam remaneat numerus positivus , ibi limbus erit cavus : si remaneat numerus negativus , e contrario limbus ibi erit convexus ; quia in priore casu distantia ab illo plano parallelo erit major , in secundo minor , quam esse deberet ad hoc , ut ea puncta jacerent in eodem plano cum illis tribus .

11. Æqualitas distantiarum fili mobilis a centro , & binis extremis limbi nunquam sanè habebitur casu . Obtinebitur utique , si alligato altero capite fili fixi in D , alterum caput in E admoveatur puncto L , vel ab ipso removeatur juxta num. 5 vel manu libera , vel ope cursoris RQ figuræ 5 , donec deprehendatur distantia fili mobilis a limbo in A , & B eadem : tum cylindrus insertus centro C protrahatur , vel retrahatur , donec & ibi distantia fili mobilis a plano centri deprehendatur æqualis distantiæ ipsius ab alterutro extremo limbi , qua æqualitate habita , habebitur simul etiam æqualis distantia ab altero .

12. Verum ea positio fili fixi , & cylindruli centralis obtineri non potest , nisi per iteratam , & molestam attentationem , etiam ubi habeatur ipse cursor figuræ 5 . Hinc ego quidem sine eo cursore , & sine ulla attentatione alligabam filum fixum binis normis ferreis simplicibus IHD , KLE bene tensum , sed temere , cavendo tantummodo , ne filum ipsum nimis distaret a plano limbi , vel nimis esset ipsi proximum , & cylindrulum temere protrudebam in C , ita tamen , ut filum mobile advolutum acui nec distaret a plano laminæ centralis plus crassitudine maxima cunei micrometrici , nec minus minima : id ipsum cavebam itidem in collocatione fili fixi , nimirum ne uspiam filum mobile deberet distare a limbo plus maxima crassitudine , vel minus minima cunei ipsius . Determinatis hoc pacto distantiis a plano primo , nimirum ab eo , quod filum mobile describebat , ac reductis ad distantias a plano secundo ipsi parallelo transeunte per centrum ope subtractionis distantiæ pertinentis ad ipsum centrum juxta num. 9 , determinabam hujus secundi positionem respectu illius tertii transeuntis per ipsum centrum , & bina extrema , ac distantias ab eodem tertio sequenti methodo .

13. Sint

13. Sint (fig. 6) A, B bina extrema puncta limbi, C centrum, aCb planum illud secundum parallelum plano descripto a filo mobili, Aa, Bb distantiæ punctorum A, B ab ipso indicatæ a cuneo micrometrico, sed imminutæ per subtractionem (num. 9 distantiæ fili mobilis a centro, Od sit distantia pertinens ad quodvis aliud punctum O limbi, cujus puncti oporteat determinare distantiam OD a plano tertio ejusdem numeri 9 transeunte per puncta A, C, B. Concipiantur rectæ BA, ba, quæ productæ sibi invicem occurrant in E, & erit ECF intersectio planorum ACB, aCb secundi, & tertii, cum nimirum puncta E, C jaceant in utroque. Ea recta determinatur, determinato puncto E, quod habetur, factis $Bb - Aa : Aa :: BA : AE$. Verum positio ejus rectæ determinatur facilius, si concipiatur AK ipsi parallela terminata ad radium CB. Patet enim, fore $BC : CK :: BE : EA :: Bb : Aa$, quæ ratio cum detur ob datas Bb, Aa, & detur radius CB, dabitur CK tangens anguli CAK = ACE, cujus mensura est arcus AL productio arcus BA usque ad ipsam rectam quæsitam CE. Porro ipsa CK habebitur ducendo Aa in radium, & dividendo per Bb: addendo autem arcui huic constanti AL arcum quemvis AD, invenitur quivis arcus LD, ut &, addito quadrante AB, arcus LB.

14. Concipiantur jam per rectas Aa, Dd, Bb plana AHa, DId, BGb perpendicularia rectæ EF: erunt anguli ad H, I, G æquales inter se, metientes nimirum inclinationem planorum ACB, aCb. Quare erit ut BG, vel AH ad DI, ita Bb, vel Aa ad Dd, qui valor facile invenietur ob datas BG, AH, DI sinus arcuum inventorum LB, LA, LD, & quidem ducendo constantem valorem $\frac{Bb}{BG}$, vel $\frac{Aa}{AH}$ in quemvis sinum DI. Demptâ observata Od ab inventa Dd, habebitur quæsita distantia OD.

15. Sine calculo trigonometrico, & sinuum usu res hoc pacto facilius expedietur per constructionem. Centro C (fig. 7), radio quovis (satis est etiam radius pollicum trium) fiat arcus circuli ADB, in quo assumatur arcus AQ graduum 60 centro A radio AC, quo arcu secto bifariam habebitur punctum 30°, & gradibus

bus 30 translatis in QB habebitur quadrans AB : facile fiet subdivisio in gradus denos, & quinos, quæ, ut & integer quadrans AB, habebitur facilius immediate ex circino proportionis: neque enim est hic necessaria exactitudo : sufficit determinatio non nimium abludens a vera. Aptetur jam radius AC inter rectas partium æqualium ejusdem circini ad numerum respondentem particulis distantiæ puncti B, nimirum particulis B*b* figuræ *6*, & ex eodem circino capiatur in fig. 7 CK respondens numero particularum ejusdem figuræ *6* : ducatur AK, tum per C recta ECF ipsi parallela : capiatur circino communi distantia BG puncti B ab eadem recta, quæ facile habetur, applicatâ ad B alterâ cuspide circini ejusdem, & eo diducto, donec altera cuspis radat ipsam EG, ac ea transferatur inter lineas partium æqualium ejusdem circini proportionis aperti ita, ut ipsa aptetur numero illi eidem partium B*b* figuræ *6*, cui prius aptabatur AC. Debebit in fig. 7 distantia AH puncti A ab eadem, respondere numero earumdem partium æqualium, qui habebatur in fig. *6* in A, ut etiam quævis distantia DI capta in fig. 7 ab eadem recta, & translata in ipsum circulum proportionis exhibebit numerum quæsitum particularum D*d* fig. *6*.

16. Ratio constructionis est manifesta : patet enim, fore in fig. 7 BC ad CK, ut est in fig. *6* B*b* ad A*a*, tum in fig. 7 BC ad DI, ut in fig. *6* B*b* ad D*d*, ut oportebat. Verum melius erit pro punctis A, B assumere non zero, & 90°, sed puncta extrema limbi, qui solet excurrere aliquot gradibus ultra utrumque limitem : sic habebitur status totius limbi respectu plani transeuntis per centrum, & puncta ipsius extrema. Sed pro calculo oportebit invenire in fig. *6* angulum CAK ex dato angulo ACK, & lateribus AC, CK assumptis tot particularum, quot sunt distantiæ A*a*, B*b*. Ipsi erit æqualis alternus LCA, cujus mensuræ LA addendus erit arcus ab A ad zero ad habendum arcum ab L ad zero, cui semper addendus erit numerus pertinens ad punctum D, qui exhibet arcum a zero ad ipsum D, ut habeatur LD, & D*d* per ejus sinum DI.

17. Ex omnibus D*d* ablatis omnibus O*d* inventis num. 13 habe-

bebuntur omnes OD, nimirum omnes errores plani limbi, qui sunt distantiæ punctorum O a plano ACB, in quo debebant esse. Si divisio nondum sit facta, & errores sint exigui, ac lamina limbi satis crassa, & prominens ultra illud planum; possent abradi a limbo ubique tot particulæ, quot exhibet error ibidem inventus, & limbus totus erit reductus ad idem planum transiens per centrum, & bina extrema: verum si divisiones jam sint factæ, oportet inire rationem aliquam, quâ limbi ipsius partes per exiguum motum ipsi impressum deveniant ad planum aliquod transiens per centrum.

18. In ingentibus quadrantibus, ut in eo, in cujus planum inquirebam, qui radium habebat pedum sex, habetur sæpe compages regularum metallicarum, quæ procurrunt usque ad locum limbi, & ibi sustinent mensulas quasdam: eæ excipiunt limbum sibi affixum per cochleas. Ibi non possunt partes limbi propelli versus compagem ipsam, sed possunt educi extrorsum interpositis lamellis metallicis inter mensulas, & ipsum limbum. Si inveniatur in superficie exteriore limbi cavitas ita, ut punctum O jaceat introrsum versus compagem citra D, & sit *d*O major, quam D*d*, nimirum distantia DO negativa; tum lamellæ possunt interseri in singulis punctis ejus cavitatis, quæ si fiant crassitudinis æqualis errori invento, adducent ea puncta ad planum ACB. Sed si inveniatur convexitas, ut ego inveni in eo quadrante, qui licet constructus Parisiis a Caniveto, prominebat in medio plus quam per unam lineam, ut patebit in exemplo proponendo infra, tum debent removeri a mensulis extrema omnia, & arcus intermedii ita, ut deveniatur ad aliquod planum transiens per C. Si removeatur ubique a mensulis per distantias O*d* curtatas juxta num. 9, adducentur ad planum secundum parallelum plano primo descripto a filo mobili, quo casu inutilis esset omnis illa errorum determinatio facta per calculum, vel constructionem. Sed eæ remotiones possent evadere multo majores, quam necesse sit, quod accidit fere semper, præterquam quod, si filum mobile nimis distet a plano centri, reductio per subtractionem posset relinquere distantias a secundo plano negativas, punctis limbi aliquibus extantibus etiam ultra

tra secundum planum. Quærendum igitur, quantum ubique removeri debeat a mensulis limbus ita, ut reducatur ad planum quoddam transiens per centrum cum ea conditione, ut remotio maxima evadat minima earum, quæ cum reliquis conditionibus haberi possint.

19. Ad id præstandum concipiatur in fig. 8 planum ACB idem, quod in fig. 6: sit autem limbus erroneus AOVB protuberans ultra illud planum. Facile percipitur, ad habendam correctionem debere converti planum ACB circa rectam EF parallelam chordæ AB, donec ita deveniat ad planum novum *aCb*, ut radat alicubi in V limbum ipsum AVB convexum, quin ultra ipsum procurrat, & quin relinquat punctum ullum limbi ejusdem ultra se ipsum: ita enim patet, fore limbi remotionem in punctis extremis A, & B utrobique eandem: si convertendo circa aliam quampiam rectam ipsa evaderet minor in altero extremo; deberet evadere in altero major quam prius. Oportebit autem removere limbum in quovis suo puncto O ita, ut deveniat ad id planum in *o*. Concipiantur per AOVB plana AH*a*, DI*o*, PQV, BG*b* perpendicularia ad rectam EF, assumpto pro V puncto ex inventis remotissimo a plano ACB: erit ut PQ ad DI, ita PV ad D*o*, unde ablatâ parte DO, relinquetur O*o* pro motu ejus partis limbi.

20. Porro facile habebuntur PQ, DI per tabulas sinuum. Si enim arcus BA occurrat rectæ EF in L; innotescet arcus AL mensura anguli ACL, qui cum debeat esse æqualis alterno CAB, & angulus CAB ad basim trianguli isoscelii sit complementum dimidii anguli ACB, erit complementum dimidii arcus AB. Si huic arcui constanti addantur arcus AP, AD; habebuntur arcus LP, LD, quorum sinus sunt PQ, DI. Satis autem erit & hic valorem constantem $\frac{VP}{PQ}$ multiplicare per omnes DI ad habendas omnes D*o*, quibus inventis, habebuntur omnes O*o*, ac eodem pacto inveniuntur etiam remotiones A*a*, B*b* respondentes ipsis punctis extremis.

21. Res per constructionem facile expedietur. Applicatâ PQ ad numeros circini proportionum respondentes numero particularum PV, quærendi erunt ibi numeri, quibus aptetur DI, & ii exhibebunt numeros D*o*, ut per se patet.

22. Posset autem accidere, ut alicubi inveniretur D*o* minor, quam DO: fieri enim potest, ut angulus, quem DI continet cum recta, quæ concipiatur ab I ducta ad O (ea concipi debet, licet vitandæ confusionis causa non exprimatur in schemate), sit alicubi major, quam PQV, licet DO sit ubique minor, quam PV; quod quidem potest accidere ob distantiam DI minorem, quam PQ in ratione adhuc minore, quam sit ratio DO ad PV. Angulus DI*o*, qui est æqualis angulo PQV, esset minor angulo DIO, adeoque D*o* minor quam DO, & valor O*o* negativus. In eo casu id punctum assumendum esset pro V. Nimirum initio assumi possunt plures errores DO circa maximum, & divisis singulis per suas distantias DI a recta EF; seligendus erit pro PV is error, qui exhibebit quotum omnium maximum: ibi enim planum *a*C*b* ita continget curvam limbi erronei AVB, ut nullum ejus punctum relinquat ultra se, quæ erat conditio problematis. Verum is quotus maximus habebitur cum angulo maximo ibi prope locum, in quo error ipse sit maximus: idcirco proposui, ut is adhibeatur pro PV; quæ positio si fuerit falsa; invenietur falsitas ipsa ob valorem quempiam obvenientem cum signo negativo pro O*o*, & facile restitui poterit calculus, & obtineri, id, quod ad solutionem problematis requirebatur.

23. Superest, ut methodum illustrem exemplo. Id habebitur in sequenti tabella, pro qua adhibui constructionem graphicam, non calculum trigonometricum (*).

1	C	—6	—5	0	5	10	15	20	25	30	35	40	45	50	55	60	65	70	75	80	85	90	95	98
2	41	109	107	103	91	82	70	66	60	57	58	58	56	58	54	53	53	58	67	81	88	104	109	125
3		68	66	62	50	41	29	25	19	16	17	17	15	17	13	12	12	17	26	40	47	63	68	84
4		68	70	79	87	95	101	108	113	117	121	123	125	125	125	123	121	118	114	108	103	97	89	84
5		0	4	17	37	54	72	83	94	101	104	106	110	108	112	111	109	101	88	68	56	34	21	0
6		71	73	79	87	93	99	104	108	111	113	115	116	115	114	111	109	105	101	96	90	82	75	71
7		71	69	62	50	39	27	21	14	10	9	9	6	7	2	0	0	4	13	28	34	48	54	71

(*) Si quis forte error superest vel calculi, vel scriptionis, is non nocebit. Errores nocent in formulis applicandis ad alios casus: hic satis est perspicere rationem ordinandi calculum in casu simili, si quis occurrat. Adhuc spero, non multos errores hic deprehensum iri in hisce calculis numericis, quorum multos revocavi ad trutinam etiam paullo ante impressionem.

24. Pri-

24. Prima columna in hac tabella exhibet numeros, quibus designatur ordo eorum, quæ continentur in reliquis. Secunda per litteram C indicat centrum, sub qua habetur e regione numeri 2 columnæ primæ distantia observata fili mobilis ab ipso centro, reliquæ e regione numeri 1 habent punctum limbi expressum per numerum graduum, pro quo puncto acceptæ sunt distantiæ: eæ incipiunt ab arcu — *6*, cum quadrans, de quo agebatur, haberet *6* gradus citra zero, tum per -5, 0, 5, 10 procedunt usque ad *98*, quod erat ibi alterum extremum. E regione numeri 2 columnæ 1 habetur distantia determinata per cuneum micrometricum pro quovis ex ipsis. E regione 3 habetur idem imminutus per subtractionem illius distantiæ centri = 41, quæ habetur in columna secunda: sic in tertia habetur *68* = 109 — 41, in quarta *66* = 107 — 41, & ita porro. E regione 4 habetur distantia punctorum plani secundi a plano tertio, nimirum valor rectæ O*d* figuræ *6* inventus methodo numeri 15. Idcirco in tertia, & postrema columna repetitur quarto loco idem numerus, qui habebatur tertio, quia nimirum planum tertium transit per puncta A, B, ad quæ pertinent illæ columnæ, secundum autem per *a*, *b*, adeoque abeunte D in A, vel B, abit D*d* in A*a*, vel B*b*. E regione 5 habetur differentia præcedentium binorum numerorum, sive valor D*d*, nimirum error quæsitus. Hinc necessario in columna tertia, & postrema habetur 0, quia nimirum abeunte D in A, vel B, evanescit DO, at in columna quarta est 4 = 70 — *66*, in quinta 17 = *79* — *62*, & ita porro. E regione *6* habetur valor lineæ D*o* figuræ 8 inventus methodo numeri 20, & 21. E regione numeri 7 habetur differentia præcedentium binorum, sive valor lineæ O*o*, nimirum elevatio limbi in eo loco necessaria ad hoc, ut is reducatur totus ad planum *a*C*b*. Hinc in columna tertia, & postrema debet obvenire hic postremus numerus æqualis præcedenti, quia nimirum abeunte D in A, vel B, abit O*o* in A*a*, vel B*b*. Hic numerus postremus columnæ cujusvis exhibet crassitudinem lamellæ interserendæ ad hoc, ut omnia limbi puncta abeant in locum sibi debitum.

25. Porro pro fig. *6* est e regione numeri 3 in columna tertia

$Aa = 68$ pertinens ad $- 6^\circ$ primæ lineæ, & in postrema $Bb = 84$ pertinens ad 98°. Hinc si libeat adhibere calculum trigonometricum; ratio laterum AC, CK in triangulo ACK est 84 ad 68 sive 21 ad 17, angulus autem $ACB = 98^\circ + 6^\circ = 104^\circ$, ex quibus innotescit angulus $CAK = ACL$, sive arcus $AL = 33^\circ. 18'$, cui si addatur 6°, habebitur arcus ab L ad zero $= 39^\circ. 18'$: ipsi est addendus numerus graduum pertinens ad D, ut habeatur arcus LD. Sic erit $LB = 39^\circ. 18' + 98 = 137^\circ. 18'$. Dividendo $Bb = 84$ per ejus sinum 0,6782, habebitur numerus constans 123,9, per quem multiplicandus erit sinus cujusvis alterius LD, ut habeatur distantia quæsita a secundo plano ponenda in quavis columna e regione numeri 4 columnæ primæ. Pro gradibus 60 arcus LD evadit $99^\circ. 18'$, cujus arcus sinus 0,9869, adeoque distantia quæsita 122: ea per unicam unitatem differt ab inventa per constructionem 123, quæ occurrit quarto loco in columna habente in vertice 60; ad quam præcisionem ne observatio quidem immediata pertingit, & quæ nullius est momenti in hac perquisitione, in qua, ut patebit inferius, error 4 particularum vix inducit errorem unius secundi.

26. Pro constructione ipsa aperto circino proportionis ita, ut radius CB (fig. 7) aptetur numeris 84 lineæ utriusque partium æqualium, ex ea apertura assumantur partes 68 pro CK (*): tum ductâ AK, & ipsi parallelâ EF, applicetur distantia perpendicularis BG ad ipsos numeros 84, & distantiæ DI translatæ in eam aperturam exhibebunt numeros particularum quæsitos.

27. Jam vero pro figura 8 cum sit $ACB = 6^\circ + 98^\circ = 104^\circ$, erit summa angulorum CAB, CBA ejus supplementum $= 76$: hujus dimidio CAB cum sit æqualis angulus alternus ACL, erit hic $= 38^\circ$, cui si addatur 6, habebitur 44° pro arcu ab L ad zero. Porro error maximus e regione numeri 6 occurrit in columna 16 pertinente ad gradus 55, ubi habetur 112. Assumptâ eâ pro puncto P, erit $LP = 44^\circ + 55^\circ = 99^\circ$, cujus sinus 0,9877. Diviso per hunc 112, obtinetur 113,4. Sed quoniam columna proxime

(*) Est enim (num. 25) AC : CK :: 84 : 68.

xime sequens, quæ pertinet ad 60°, adeoque habet arcum ab L = 104°, & sinum 0,9693, habet errorem 111, qui divisus per ipsum sinum exhibet valorem 114,5 majorem priore 123,4; adhibendum esset potius hoc punctum pro P, nisi in sequenti columna haberentur numeri, qui quotum adhuc tantillo majorem exhiberent. Ibi arcus evadit 109°, cujus sinus 0,9455: per ipsum dividendo errorem 109 obtinetur quotus 115,3. Hic jam est maximus, nam sequens columna pertinens ad 70 jam habet errorem 101 multo minorem cum arcu 114°, per cujus sinum 0,9135 si dividatur ille error, obvenit quotus 110,6 minor priore, & primo intuitu constat, reliquos fore adhuc minores. Hinc pro puncto P assumi debet 65°, & quotus ei respondens 115,3 adhibendus erit pro numero constanti multiplicando per sinum arcuum terminatorum ab L ad reliqua puncta pro eruendis numeris, qui respondent in quavis columna numero 6 columnæ primæ. Pro primo puncto habetur — 6°. adeoque ejus arcus 44° — 6° = 38°, & ejus sinus 0,6157 ductus in 114,3 exhibet 70,4, pro quo ibi in columna tertia constructio exhibet 71.

28. Calculus exhibet valores magis exactos, sed constructio cum circulo etiam exiguo ita proximos, ut cum ipsa sit multo expeditior, præferenda omnino videatur. Vix unquam, si mediocris in ea adhibeatur diligentia, occurret error duarum particularum, qui quidem adhibito circulo paulo majore evanesceret etiam ipse. Porro radius pedum 6 continet earum particularum 60000. Pro radio partium 1000000 arcus unius minuti est 291. Factis ut 1000000 ad 60000 ita 291 ad quartum, prodeunt particulæ 17,5. Porro ibi agitur de appulsu ad meridianum æstimando a tempore, ubi si astrum sit in æquatore, uni minuto arcus respondent 4 secunda temporis, adeoque ibi requiritur error particularum 4,4 ad committendum errorem unius secundi in tempore. In fixis polo propioribus plura secunda temporis respondent uni minuto circuli maximi. Non habebuntur secunda 17,4, nisi prope distantiam a polo graduum 13, adeoque error unius particulæ relictus in plano quadrantis producet in tempore appulsus errorem minorem uno secundo in omnibus astris habentibus distan-

tiam

tiam a polo majorem gradibus 13, ac proinde is error nusquam adesse poterit in quadrante murali directo ad meridiem, ut fere solent esse, & erat is, de quo agebatur, ad quem non appellunt nisi astra magis remota a polo, quam sit complementum altitudinis poli imminutum per illos 6 gradus, quibus arcus excurrit citra zero.

29. Sed nec in quadrante directo in Boream is error quidquam oberit accurationi observationis, si deinde verificetur positio quadrantis in plurimis suis punctis per altitudines correspondentes. Eam ob causam posset relinqui planum incorrectum. Sed ego coactus sum illum corrigere a plano nonii adjuncti telescopio, quod quando congruebat cum plano limbi in ejus initio non poterat ipsi congruere in fine & vice versa ob illam diversam positionem superficiei limbi ortam a convexitate, unde oriebatur notabilis parallaxis. Is hiatus in parte limbi inter planum nonii, & ipsius superficiem me monuit de errore plani, & coegit omnem hanc perquisitionem suscipere: is autem evanescit ad sensum omnis, etiam si aliquis supersit errorculus exiguus. Eâ susceptâ inveni errores, qui in tabella occurrunt e regione numeri 5 columnæ 1, ac correctiones adhibendas, quæ habentur in fine columnæ cujusvis e regione postremi numeri 7, & obtinentur juxta num. 24 subtrahendo a penultimo numero cujusvis columnæ numerum præcedentem, nimirum errorem illum.

30. Correctiones inventas adhibui, pro quibus jussi parari lamellas ejus crassitudinis, quæ respondebat loco, cui singulæ in limbo debebant aptari, eruendo ipsas ex serie numerorum, qui habentur in fine columnarum omnium. Exempli gratiâ quæ debebat respondere numero 10°, vel 15°, debebat habere crassitudinem 39, vel 27 respondentem iis numeris graduum in fine columnæ septimæ, vel octavæ. Si interserenda erat in puncto respondente gradibus $11\frac{1}{2}$; per interpolationem more solito tabularum inveniebatur numerus debitus ei loco factis ut gradus $15 - 10 = 5$ ad $11\frac{1}{2} - 10 = 1\frac{1}{2}$, ita particulæ $39 - 27 = 12$ ad 3,6, sive 4, quo addito ad 27, obtinebatur 31. Ad habendam in lamella eam crassitudinem adhibui ipsam illam methodum aperturæ circini

ni proportionis expositam num. 3 pro divisione cunei micrometrici reddendo fixam aperturam ibi inventam methodo ibidem exposita, tum inserendo lamellam aperturæ ipsi, & si opus esset limando, donec congrueret numero partium ipsius circini debito crassitudini inventæ. Eam methodum adhibere potest admodum facile quivis mediocris artifex.

31. Interpositis ita lamellis potest iterum observatio institui ope filorum fixi, & mobilis, ut prius, ad videndum, an errores ulli supersint, & si qui superfuerint, ad eos corrigendos, attenuando lamellas, vel adhibendo alias crassiores. Verum illud commodum accidit, quod vis aliquanto major, vel minor illata cochleis ita validius, vel minus valide apprimebat limbum ad mensulam, ut eâ ratione per eandem lamellam corrigi posset error aliquot particulis major, vel minor.

32. Porro ut artifex ipse per positionem fili mobilis posset cognoscere, an errores essent accurate correcti, & totus limbus redactus ad planum idem cum centro; adhibui sequentem methodum, quæ supponit jam inventum locum correctionis maximæ: ita tetendi filum fixum DE (fig. 3), ut filum mobile temere prius collocatum in centro exhiberet in punctis extremis limbi ipsius ope cunei micrometrici eandem distantiam quamcunque, quod obtinebatur admovendo non nihil caput fili fixi E ad L, vel ipsum inde removendo, donec ea æqualitas obtineretur: tum applicato filo mobili ad locum correctionis maximæ inventum in gradu 65 (num. 27), ita paullatim promovi, & retraxi cylindrum centralem in C, ut cuneus micrometricus exhiberet distantiam quandam eandem ipsius fili mobilis in ipso centro, & ibidem in limbo.

33. His ita comparatis, & filo mobili circumacto, adduxi omnia puncta limbi per lamellas interpositas ad distantiam ab ipso ubique eandem, nimirum illam inventam pro centro, & loco, cui debeat carere correctione. Si alicubi inveniatur multo major, vel minor post interpositam lamellam (quod ipsum potest accidere ob diversam vim illatam ipsi machinamento, dum infertur vis limbo, si is ipse non sit accurate planus in brevioribus suis partibus)

tibus) mutari debet lamella, substituendo aliam totidem particulis crassiorem, vel tenuiorem, quot particularum supererat discrimen in illa distantia a distantia inventa in centro: si vero discrimen inventum sit exiguum, apprimendo paullo magis, vel minus per motum cochleæ, debet reduci limbus ad positionem debitam ita, ut in ea positione fili fixi habeat ubique filum mobile distantiam a limbo eandem, quam a centro.

34. Patet, hoc pacto collocari limbum totum in eodem plano cum ipso centro, nimirum in eo, qui sit parallelus plano descripto a filo, & transeat par idem centrum. Obtinui eo pacto illud ipsum planum *aCb* figuræ 8: locus P erat ille graduum 65, in quo nulla adhibita est correctio: correctiones autem in punctis extremis A*a*, B*b* erant æquales, quia filum fixum ita fuerat aptatum, ut in illo primo statu distantiæ centralis haberet filum mobile a punctis extremis distantias æquales, quæ æqualitas nihil ad sensum turbari potuit ab illa exigua protrusione vel retractione cylindruli centralis. Quoniam autem in P limbus remanet immotus; satis patet, novum planum ita contingere superficiem convexam AOB in V, ut transeat per centrum, & correctiones extremæ A*a*, B*b* habeantur æquales, quod erat faciendum.

35. Si filum fixum haberet positionem aliam quamcunque, & distantiam etiam arbitrariam quamvis, ac distantia assumpta fuisset quævis pro filo mobili in centro; adhuc obtineretur planum transiens per centrum; dummodo nusquam distantia fili mobilis a limbo occurreret minor, quam in centro, adducendo limbum ad eam distantiam a filo mobili, quæ habetur in ipso centro: sed tunc, ut monui num. 18, obvenire possent correctiones majores, quam necesse sit, efficiendo nimirum, ut planum novum *aCb* nusquam tangat positionem convexam, sed ab ea distet, ac etiam, ut eo inclinato versus alterum extremum ut A, decrescat quidem ibi correctio A*a*, sed crescat nimis correctio B*b*, quod præstat evitare, ut correctio maxima evadat minima earum, quæ haberi possunt. Sic potuisset relinqui filum fixum, & mobile in eo fortuito statu, in quo erat, cum instituta est observatio, quæ prodidit numeros tabellæ positos e regione numeri 2 columnæ 1:

obten-

obtentum fuisset planum transiens per centrum, adhibitis lamellis crassitudinis, quæ ibidem habetur e regione numeri 3, & est ipsa distantia curtata per distantiam centri. Sed comparando eos numeros cum numeris, qui habentur in fine cujusvis columnæ, patebit, correctionem maximam futuram fuisse majorem: nam in postrema columna occurrit ibi 84 in quarta linea pro 71, quod habetur in tertia; præter quam quod nullus relinquitur ibi locus sine correctione, dum in fine columnarum occurrit bis zero, & hinc 2, inde 4, quibus mederi potest sola cochlearum pressio imminuta.

36. Correctio poterat obvenire etiam multo major, & obvenisset, nisi filum fixum fuisset in eâ observatione collocatum ita, ut extrema puncta limbi haberent distantias parum inæquales, cujusmodi sunt 109, & 125 in tertia, & postrema columna e regione numeri 2 columnæ 1, & cylindrulus centralis ita promotus, ut distantia ibi particularum 40 esset parum diversa a distantia limbi 53 in situ maximæ prominentiæ in puncto graduum 65. Eam collocationem filorum parum abludentem a postrema, ad quam demum deveni, adhibueram post alia tentamina, quæ per alias præcedentes observationes statum ipsius limbi exhibuerant vero proximum. Notandum autem & illud: si ob minus accuratam determinationem primam distantiarum, vel ob aliam rationem quamcumque filum fixum non esset ita collocatum, ut correctionis maximæ magnitudo non esset minima, & ut nullum punctum esset sine correctione; adhuc id non obesset reductioni limbi ad quoddam planum, qui est præcipuus totius hujusce perquisitionis scopus. Id semper habebitur, si distantia fili mobilis ab omnibus punctis limbi fuerit æqualis distantiæ a centro, ut patet. Verum adhuc præstat determinare methodis expositis illud minimum in primis, ne ob nimiam crassitudinem lamellarum reddantur inutiles cochleæ priores, & debeant cum impensa majori comparari novæ.

37. Mirari quispiam poterit, cur in omnibus hisce observationibus cylindrulus ille centralis ita protrusus sit, ut filum ibi distaret a plano centri; cum videatur satius fore, si id prodeat immediate e centro ipso. Verum ratio præcipua est, quia ita oc-

currunt adhibendæ ubique partes crassiores cunei micrometrici, qui, ut monuimus, in accuratum angulum non desinit, sed est in fine truncatus, quia methodo exposita, qua sum usus, ipsius crassitudines nimis exiguæ prope cuspidem obtineri non potuissent, cum crura circini proportionis necessario impedita sint prope centrum ita, ut latera interna ejus crurum non habeant facies rectilineas continuatas usque ad ipsum centrum: deinde cuspis anguli exigui multo minus evaderet firma, & facies ad sensum plenas multo difficilius ibi acquireret, ubi ab exigua illata vi flecteretur: reductio autem distantiarum ab illo plano fili mobilis distante ad planum transiens per centrum est expeditissima per subtractionem continuam distantiæ centralis semper ejusdem: accedit quod illa ipsa lamina centralis plana, in qua habetur foramen circulare, non erat ita accurate posita, ut ejus planum respiceret ipsum limbum: id autem turbasset motum fili mobilis, si id debuisset ipsum illud planum perradere.

38. Redacto limbo ad planum accuratum oportuit inclinare non nihil illam ipsam laminam per interpositionem tenuium lamellarum ita, ut demum ejus superficies extima plana remaneret accurate in plano limbi, quod patuit ope ipsius cunei micrometrici: tendebatur enim filum affixum limbo, sed elevatum non nihil supra ipsum in initio, & in fine quadrantis, quod elevatum tantumdem supra planum ipsum ejus laminæ debebat in utroque ejus extremo distare æque ab ipso filo: planum illud hoc pacto continuatum transibat per duo extrema limbi puncta, adeoque erat cum iis in eodem plano. Habetur ibi planum affixum telescopio, quod debet congruere cum plano ejus laminæ sine ullo hiatu in omni statu telescopii per quadrantem: ante correctionem positionis ejus plani apparebat utique exiguus, sed satis sensibilis hiatus ita, ut se ea plana solum in uno marginis puncto contingerent; qui quidem hiatus post eam correctionem evanuit. Ille limbus in motu circulari fuisset paullatim abrasus per continuum attritum plusquam reliquæ partes, unde multa incommoda profluxissent, inter quæ illud, quod verificatio positionis facta ante ejusmodi attritum debuerit evadere inutilis postea, mutata nimirum pla-

planorum positione respectiva. Correctio adhibita illi etiam plano occurrit & ei incommodo.

39. Expositâ hoc pacto fuse omni hac mea methodo deprehendendi errorem plani, & corrigendi, addam illud, posse filum fixum DE figuræ 3 affigi etiam fulcris positis extra ipsum quadrantem, ut clavis infixis parietibus circumjacentibus atque ita, ut vel totum, vel pars ipsius jaceat ultra totum limbum, ut exhibet figura 9. Tum vero filum mobile potest in G circumvolvi fixo bis, vel ter, adjecto exiguo pondusculo P, ut globulo e cera molli, quod pondusculum deprimit non nihil ipsum filum fixum in angulum quemdam, sed non removet a plano verticali: ad evitandam eam etiam flexionem potest idem filum mobile longius productum motu lentissimo adduci ad fixum ab aliquo adjutore, qui interea manum habeat innixam fulcro cuipiam, vel sellæ, vel pavimento, ut nimirum sine tremore adveniat ad contactum cum ipso filo fixo, quin ei ullam vim inferat, & in ea positione perstet, dum cuneus adhibetur. In ea positione fili mobilis promovetur in F cuneus inter filum CG, & limbum, donec ipsum illud filum contingat, & exhibeat ejus distantiam a limbo, qui contactus determinatur adhuc evidentius per imaginem fili ipsius, quam exhibet polita cunei superficies: nam ea imago in ipso contactu coujungitur cum eodem filo. Eam etiam methodum adhibui consentientibus observationibus.

40. Quæ diximus huc usque, pertinent ad verificationem quadrantis positi in situ verticali. Idem examen ego prius institueram collocato eodem in positione proxime horizontali: & primo quidem tentavi examen per filum fixum, & mobile; sed statim vidi, nihil inde satis accurati erui posse, cum nimirum filum ipsum utcumque magna vi tensum habeat semper curvaturam aliquam, quod etiam disrumpitur, si tendatur majore vi: fila autem metallica præter exiguam curvaturam, quam accipiunt a pondere, sæpe ex ipsa contorsione, quam acquirunt dum agglomerantur, ut transferri possint, vel ex pressione fortuita, conservant curvaturam, vel flexum ita, ut nulla vi ad positionem satis rectilineam adduci possint. Consideravi, quid obtineri posset

per regulas ligneas, quarum altera esset fixa, altera mobilis: sed tantæ magnitudinis debebant esse, ut earum tractatio esset perquam incommoda, & accuratæ rectitudini in tantâ longitudine fidendum non esse videretur. Hinc demum illud menti incidit, ut instituerem comparationem cum plano accurate horizontali, quale obtinere poteram ope superficiei aquæ se componentis ad libellam, quod mihi quidem optime successit sequenti methodo.

41. Imposui ipsum quadrantem tribus fulcris bene solidis, quæ collocaveram versus centrum, prope initium zero, & prope 60°: in posterioribus binis aderat tigillum, quod ope cochlearum crassiorum elevari posset non nihil, ac deprimi. Paraveram autem canalem ligneum, qui superficie sua interiore circumibat exteriorem limbi, tum rectilineus pergebat ad latus centri, qualem in fig. 10 videre est, in DEFG: id pice obductum bene aquam continebat: ipsi imposui cimbulam (fig. 11) AB, e cujus medio prodibat filum ferreum EF tanquam malus quidam, quod deinde incurvatum descendebat ad latus in G desinens in cuspidem: immissâ cymbulâ in canalem semiplenum aquâ, adducebam cuspidem G ad limbum ita, ut ab eo distaret non nihil, sed minus, quam pro maxima crassitudine cunei micrometrici: ut autem ubique idem cuneus usui esse posset, ita movebam ope cochlearum planum ipsum quadrantis, ut acquireret positionem quam proxime horizontalem, elevando, vel deprimendo ibi, ubi fili ferrei cuspis tangebat limbum, vel ab eo distabat nimis: nam elevatione minuitur altitudo aquæ, depressione augetur. Promotâ cymbâ per totum canalem, cuspis fili ferrei describebat semper planum accurate horizontale: cuneus autem micrometricus innixus limbo, & lente promotus, donec superior ejus superficies contingeret cuspidem, exhibebat distantias centri, & singulorum punctorum limbi ab illo plano. Cætera omnia peragebantur, ut supra, per distantias a filo mobili, nam tota methodus reducitur ad comparationem centri, & limbi cum plano quocumque, ex qua deducatur comparatio cum plano transeunte per centrum, & bina puncta ipsius limbi ad arbitrium selecta.

42. Porro cymbula eandem ubique positionem habet accurate, dum

dum libere in aqua innatat, adeoque cuspis fili ferrei semper accurate eandem habet depressionem infra superficiem aquæ utique horizontalem, & proinde semper est in eodem quodam plano horizontali. At si ipsa cymbula contingat latus canalis, tum vero ob curvaturam superficiei aquæ prope latera, & ob aliquam cymbulæ, & laterum scabritiem facile admodum intorquetur non nihil, & observatorem fallit. Ea de causa e binis veluti transtris CC, C'C' eduxeram teretes bacillos CD veluti alios quosdam malos: in canali autem erexeram (fig. 12) e spondis AA', BB' regulas ED, E'D' verticales per intervalla, quæ sustinerent alias regulas ligneas horizontales DD' procurrentes ex parte interna supra superficiem aquæ ita, ut remaneret spatium inter ipsas pro malis cymbulæ paulo majus quam pro distantia malorum. Eo pacto cymbula semper progrediebatur prope medium canalem, quin posset applicari ad spondas; sed erat admodum libera ejus positio, & sibi semper conformis: filum autem ferreum altius iis horizontalibus regulis, & supra ipsas incurvatum in morem fornicis cujusdam, nullum ab ipsis habebat impedimentum.

43. Eo pacto obtinui distantias, & errores satis conformes, repetitis observationibus post variatam etiam per cochleas inclinationem plani quadrantis, & quantitatem aquæ in canali; sed variationibus pluribus institutis, inveni demum, me oleum, & operam perdidisse. Licet machinamentum videretur firmum, & quadrans ferreus, qualis a Domino de La-Lande describitur in sua Astronomia, esset munitus bene latis, & satis crassis regulis transversalibus, ac a Caniveto constructus, adhuc tamen ob ingentem, ut credo, cochlearum numerum, quæ regulas conjungebant, suo ponderi cedebat ita, ut posteaquam fulcrorum ipsorum mutavi loca, invenerim limbum non nihil concavum ibi, ubi prius erat convexus. Hinc omisso consilio verificationis in plano horizontali, suscepi aliam, quam hic superius fuse exposui, in plano verticali, suspendendo ipsum quadrantem in ea positione e furca erecta in medio conclavi. Inveni errores, & correxi: tum ipsum quadrantem applicavi ad murum, in eo ipso loco, in quo debet adhiberi pro observationibus, & aptatis ibi iterum filis fixo, &

mo-

mobili, inveni nullum jam superesse errorem binarum particularum in plano limbi.

44. Adhuc canalis, & cymbula mihi usui sunt cum cuneo micrometrico, sed canalis rectilineus, pro examine plani lineæ meridianæ, cujus ope inveni altitudinem poli prorsus consentientem cum ea, quam exhibent observationes fixarum habitæ sextante pedum sex. Cuneum micrometricum adhibui etiam pro examine plani, & positionis axium sextantis, adhibita non ineleganti, & utilissima methodo, quæ occurret in Opusculo VII.



OPU-

OPUSCULUM III.

De erroribus collocationis quadrantis muralis deprehendendis, et corrigendis.

1. Lemma (*). Si in triangulo sphærico aPb (Tab. II fig. 1), bina latera Pa, Pb sint proxima quadrantibus PA, PB; invenietur facile relatio inter eorum complementa Aa, Bb, & complementa angulorum ad basim ab. Fiant latera ipsa $Pa = z$, $Pb = y$, anguli autem Pba, Pab ipsis oppositi dicantur r, q, ac basis ab sit $= x$: priorum quatuor complementa designentur litterâ d ita, ut sit $Aa = dz$, $Bb = dy$, qui valores censeantur positivi, ubi latus, vel angulus deficit a 90°. Sit angulus AaE rectus, occurrente arcu aE arcui PB in E, arcui AB producto, si opus sit, in C; eritque $baE = dq$.

2. Patet, ob angulos CAa, CaA rectos fore CA, Ca quadrantes, adeoque EC erit complementum aE, sive quam proxime complementum ab. Est autem tam $sin.Ca$ ad $sin.Aa$, quam $sin.CE$ ad $sin.EB$, ut radius ad $sin.Ca$, ob angulos ad A, & B rectos. Hinc posito 1 pro $sin.Ca$, & dz, EB pro sinubus exiguorum arcuum Aa, EB, ac $cos.x$ pro $sin.CE$, erit $1 : cos.x :: dz : dz\,cos.x = BE$. Tum $sin.aEB = 1$ (cum nimirum is angulus debeat esse proximus recto): $sin.Eab = dq :: sin.ab = sin.x : sin.Eb = Eb = dq\,sin.x$. Hinc $BE + Eb = dz\,cos.x + dq\,sin.x = Bb = dy$: nimirum 1°. $dy - dz\,cos.x - dq\,sin.x = 0$.

3. Con-

(*) Integra theoria pertinens ad nexum, quem habent inter se exiguæ differentiæ terminorum pertinentium ad triangula, habetur in alio Opusculo, quod erit hujus Voluminis XV, cum pluribus applicationibus. Hic proponuntur ea sola, quæ pertinent ad hoc argumentum cum demonstrationibus theorematum adhibitorum in hoc Opusculo.

3. Constat autem, in Trigonometria sphærica mutari latera in angulos, & viceversa, si substituantur utrisque ipsorum supplementa. Porro defectus a quadrante in uno arcu, est excessus in supplemento, adeoque dy, dz, dq, abeunt in $-dq$, $-dr$, $-dy$: arcus autem ab, qui est proximus arcui AB, migrat in angulum, qui erit ejus supplementum, eritque $sin.x$ ejusdem valoris etiam post eam mutationem, at $cos.x$ migrabit in $-cos.x$ ob cosinum suplementi alterius negativum respectu cosinus alterius. Quare erit $dr\,cos.x - dy\,sin.x = -dq$, sive 2°. $dq + dr\,cos.x - dy\,sin.x = 0$.

4. Quod si triangulum aPd sit isosceles, & arcus secans bifariam angulum aPd occurrat basi ad in e, ubi eam secabit bifariam, & ad angulos accurate rectos; poterit aptari formula secunda triangulo Ped rectangulo ad e; in quo sit P$d = y$, P$de = r$, ut prius, sed basis sit $de = \frac{1}{2}x$ pro x, & angulus ad $e = q$, qui cum sit rectus, erit $dq = 0$, adeoque $dr\,cos.\frac{1}{2}x - dy\,sin.\frac{1}{2}x = 0$, sive dividendo per $cos.\frac{1}{2}x$, & ponendo $tan.$ pro $\frac{sin.}{cos.}$, erit $dr - dy\,tan.\frac{1}{2}x = 0$: ea æquatio pertinebit ad triangulum isoscelium aPd, in quo combinatur complementum lateris utriuslibet cum anguli utriuslibet complemento (sunt enim æqualia): adeoque si ibi dicatur P$a = z$, & angulus ad $a = q$ oppositus lateri P$d = y$; erit itidem $dq - dz\,tan.\frac{1}{2}x = 0$.

5. *Scholium*. Ponemus tertium theorema primo loco, quod habebit locum in triangulo isoscelio, cujus latera ambo $= z$, ambo anguli $= q$: reliqua pro quovis triangulo, in quo latera y, z, anguli iis oppositi q, r, basis autem utrobique x.

I. $dq - dz\,tan.\frac{1}{2}x = 0$

II. $dy - dz\,cos.x - dq\,sin.x = 0$

III. $dq + dr\,cos.x - dy\,sin.x = 0$.

6. Ope horum theorematum connectitur pro triangulo isoscelio complementum utriuslibet lateris cum complemento anguli in I, & pro quovis triangulo complementa binorum laterum cum complemento alterius anguli in II, complementum utriusque anguli cum complemento alterius lateris in III. Eorum theorematum usus occur-

occurrit mihi egregius in verificatione positionis quadrantis muralis, ubi constet, ipsius limbum jacere totum in eodem plano: eadem habent eundem usum etiam pro verificatione positionis instrumenti, quod appellant gallice *instrument des passages*: quod idcirco hìc appellabimus *instrumentum transituum*: appellari etiam solet *telescopium meridianum*. Et hæc quidem præcipua sunt eo in genere theoremata: habentur autem, & alia eodem spectantia, ut basim esse mensuram anguli sibi oppositi sine errore, qui pertingat ad magnitudinem exiguam ordinis primi, & plura simpliciora, quæ fluunt e theorematis II, & III, in quibus supponatur alterum latus quadrans, vel alter angulus rectus: eorum deductionem hìc omitto, cum in investigatione sequenti usum non habeant.

7. *Schol.* 2. Sit AOB (fig. 2) dimidius horizon, in quo O cardo occidentalis, A australis, B borealis, AZB dimidius meridianus, in quo Z zenith, P polus borealis: sint autem S, S', S'' tria astra, quorum sint notæ declinationes, adeoque & distantiæ PS a polo: adveniant ipsa ad telescopii axem ita, ut innotescat differentia temporis inter appulsum ad ipsum telescopium, ac appulsum ad meridianum, cujus momentum haberi potest per altitudines correspondentes, vel per collationem cum instrumento transituum jam verificato, vel etiam ex eorum ascensione recta bene cognita, & horologio exacto ad meridianam lineam, vel ad motum fixæ notæ cujuspiam. Eæ differentiæ conversæ in partes æquatoris exhibebunt angulos ZPS, ZPS', ZPS'', qui anguli dicantur errores observati.

8. Quoniam ii errores erunt exigui, instrumento proxime collocato in situ debito, poterunt pro SS', SS'' assumi differentiæ arcuum PS', PS'' a PS, si eæ differentiæ non sint nimis exiguæ (eam conditionem requiri facile demonstrari potest), & anguli SPS', PSS', ac SPS'', PSS'' considerari, ut proportionales suis sinubus, adeoque sinubus SS', PS', ac SS'', PS''.

9. Porro erunt ipsa illa puncta S, S', S'' in quodam circulo sphæræ cælestis, qui erit maximus, si axis telescopii fuerit perpendicularis axi conversionis: eo casu angulus sphæricus PSS' erit

 = PSS'',

= PSS'': secus punctum S' jacebit extra arcum SS'' circuli maximi, & illi anguli erunt inæquales.

10. Sit E polus circuli transeuntis per S, S', S'', qui erit in O, si axis conversionis fuerit horizontalis, & perpendicularis lineæ meridianæ, ut deberet: secus demisso ED arcu perpendiculari ad horizontem, erit OD deviatio horizontalis ab eo situ perpendiculari, & DE inclinatio ejusdem axis respectu horizontis.

11. Jam vero satis patet, OP fore quadrantem, OPZ angulum rectum ob polum meridiani situm in O, & anguli POB mensuram fore elevationem poli PB. Erunt autem arcus ES, ES', ES'' inter se æquales, & proximi quadranti: hinc triangulis ESS', ESS'' aptari poterit theorema I (num. 5) habendo SS', SS'' pro basi: & cum etiam EP debeat esse arcus quadranti proximus, poterit etiam triangulo ESP aptari utrumque e reliquis binis, habendo PS pro basi. Id fiet in solutione sequentis problematis, quo ope earum trium observationum determinabuntur ii tres errores instrumenti, nimirum aberratio axis telescopii a positione perpendiculari ad axem conversionis, deviatio hujus axis a cardine occidentali, & deviatio ejusdem a positione horizontali.

12. *Problema*. Per observationem trium fixarum appellentium ad axem telescopii quadrantis muralis, vel instrumenti transituum, determinare deviationem ejusdem axis a positione perpendiculari ad axem conversionis, & axis conversionis a recta perpendiculari ad lineam meridianam secundum horizontem, ac a plano horizontis ipsius.

13. Fiant PS, PS', PS'' $= c, c', c''$, SS' $= c - c' = x$ (*), SS'' $= c - c'' = x'$, anguli ZPS, ZPS', ZPS'' $= e, e', e''$, ac sit ES $= z$, ESS' $= r$, ESS'' $= r'$. Erit primo $sin.SS' = sin.x$: $sin.PS' = sin.c'$ :: SPS' $= e - e'$: PSS' $= \frac{sin.c' \times (e - e')}{sin.x}$, qui valor si dicatur m, erit pariter PSS'' $= m' = \frac{sin.c'' \times (e - e'')}{sin.x}$.

Qua-

(*) Hic valor est utique cognitus, sed appellatur x correlative ad valores formularum numeri 5, ut & valores z, y assumuntur relate ad easdem formulas, quæ hic applicantur ad casum hujus figuræ.

Quare innotescent eorum angulorum valores m, m', qui si fuerint inæquales, patebit, haberi in positione instrumenti primum e tribus illis erroribus.

14. Magnitudo ejus erroris facile invenietur ope theorematis I: erit enim $dq = dz\,tan.\frac{1}{2}x$, $dq' = dz\,tan.\frac{1}{2}x'$. Hinc $ESS' = 90° - dq = 90° - dz\,tan.\frac{1}{2}x$, & pariter $ESS'' = 90° - dz\,tan.\frac{1}{2}x'$, adeoque $ESS' - ESS'' = - dz\,tan.\frac{1}{2}x + dz\,tan.\frac{1}{2}x'$. Porro itidem $ESS' - ESS'' = PSS' - PSS'' = m - m'$. Quare $dz = \frac{m - m'}{-tan.\frac{1}{2}x + tan.\frac{1}{2}x'}$, qui valor datur ob datos valores m, m', x, x'.

15. Jam in triangulo ESP sit $ES = z$, ut prius, tum $EP = y$, $EPS = r$, $ESP = q' = 90° - dq'$, qui valor cum sit $ESS' - PSS' = 90° - dq - m$, erit $dq' = dq + m$. Erit autem ibi basis $PS = c$, quæ in theoremate II, & $III = x$. Hinc ex theor. II erit dy, sive $EF = dz\,cos.c + dq'\,sin.c = dz\,cos.c + (dq + m)\,sin.c$.

16. Erit itidem ex III $dr = -\frac{dq'}{cos.c} + \frac{dy\,sin.c}{cos.c} = -\frac{dq + m}{cos.c} + dy\,tan.c$. Cum igitur sit $EPS = r = 90° - dr$, $ZPS = e$; erit $ZPE = 90° - dr + e$, & ob $ZPO = 90°$ fiet OPE, sive ejus mensura $OF = - dr + e = \frac{dq + m}{cos.c} - dy\,tan.c + e$.

17. Habitis OF, EF, habebitur angulus EOF, cujus cotangens $\frac{OF}{EF} = \frac{\frac{dq + m}{cos.c} + e}{dy} - tan.c$. Is angulus fiat $= b$, altitudo poli $= a$, & ob angulum POF rectum erit $POE = POF - EOF = 90° - b$, & $EOD = POB - POE = a + b - 90°$, adeoque DEO complementum ipsius $= 180° - (a + b)$, sive supplementum $a + b$.

18. Jam vero ob angulos ad F, D rectos sunt OD, ED sinus, & cosinus anguli DEO, sive $sin.(a + b)$, & $- cos.(a + b)$ ad radium EO, ad quem $EF = dy$ est sinus anguli $EOF = b$: cosinui præpositum est signum negativum, cum cosinus supple-

mentorum habeant signa contraria. Hinc secundus error OD $= \frac{dy\, sin.(a+b)}{sin.b}$, tertius ED $= - \frac{dy\, cos.(a+b)}{sin.b}$. Q. E. Inveniendum.

19. Schol. 1. Invento primo errore, reliqui duo inveniri possunt methodo alia simpliciore: eam hic evolvam, tum exhibebo aliam solutionem ejusdem problematis, quibus peractis proponam data, & quæsita cum serie formularum omnium erutarum ope methodi utriusque, ac demum adjiciam methodum, qua corrigi possint ii errores singuli, ubi deprehensi fuerint per observationes institutas, & formulas applicatas observationibus ipsis.

20. *Sit* AOB idem horizon in fig. 3, qui in 1, AZB idem semimeridianus cum polo P, & zenith Z, eadem loca extremorum astrorum cum arcu SS'' circuli descripti ab axe telescopii, & transeuntis per loca omnium trium astrorum, ac arcus idem ED perpendicularis horizonti. Patet, arcus ES, ES'' productos ad meridianum in M, M'' fore proxime perpendiculares arcubus PS, PS'', quibus essent perpediculares accurate, si punctum E congrueret cum O, & ii arcus cum ipso meridiano. Hinc erit ut $sin.$PSM $= 1$, ad $sin.$SPM $= sin.e = e$, ita $sin.$SP $= sin.c$ ad $sin.$SM, nimirum ad ipsum arcum SM $= e\, sin.c$, & pariter erit S''M'' $= e'' sin.c''$, quo pacto errores angulares observati reducuntur ad partes circuli maximi. Sit circulus maximus FNG parallelus circulo SS'', qui itidem habebit polum in E. Occurrat is meridiano in N, ac arcubus SM, S''M'' in s, s'': erunt arcus Ss, S''s'' æquales primo illi errori invento dz, qui demendus erit ab erroribus SM, S''M'' pertinentibus ad circulum non maximum descriptum ab axe telescopii obliquo respectu axis conversionis ad habendos sM, s''M'' errores pertinentes ad circulum maximum, qui describeretur ab eodem axe telescopii correcto, & redacto ad directionem perpendicularem axi conversionis. Dicantur n, n'' ii ipsi valores, & secto bifariam arcu MM'' in Q, sit NQ $= u$: erit MM'' quamproxime $= ss'' = c - c''$, adeoque MQ semidifferentia arcuum NM, NM'' $= \frac{1}{2}(c - c'')$, & QN $= u$ eorum semisumma. Facile autem perspicitur, fore quam-

quamproxime sinus arcuum ipsorum sM, $s''M''$ ad se invicem, uti sunt sinus sN, $s''N$ ad se invicem, cum illorum sinus ad sinum anguli sNM sint, ut sinus sM, $s''M''$ ad sinum anguli NsM proximum recto. Quare erit $n - n'' : n + n'' :: sin.NM - sin.NM'' : sin.NM + sin.NM'' :: tan.\frac{1}{2}(NM - NM'') = tan.NQ = tan.\frac{1}{2}(c - c'') : tan.\frac{1}{2}(NM + NM'') = tan.u = \frac{(n+n'')tan.\frac{1}{2}(c-c'')}{n-n''}$.

21. Invento NQ habetur $MN = u + \frac{1}{2}(c - c'')$, tum $PQ = c - u - \frac{1}{2}(c - c'') = \frac{1}{2}(c + c'') - u$, ac ejus ope ZN, qui posito PZ complemento elevationis poli $= a'$, erit $\frac{1}{2}(c + c'') - u - a'$: dicatur is r. Quod si arcus polo N intervallo NE, qui debet esse quadrans ob E polum circuli FNG, occurrat arcubus NG, NB in HI; erit & NH quadrans, adeoque $NZ = BI = r$ mensura anguli EOD: tum HI mensura anguli HNI erit æqualis arcui OE ob EH, & OI quadrantes (sunt enim O, E poli circulorum NB, NG), quæ mensura facile invenitur: est enim ut sinus $NM = sin.(u + \frac{1}{2}(c - c''))$ ad sinum anguli MsN quamproxime recti $= 1$, ita sinus sM, sive ipse arcus $sM = n$ ad sinum sNM, sive ad ipsum angulum, vel HNI oppositum ad verticem, nimirum ad ejus mensuram $HI = OE = \frac{n}{sin.(u + \frac{1}{2}(c - c''))}$, qui valor dicatur t. Porro est secundus error $OD = OE \times cos.EOD = t\,cos.r$, tertius $ED = OE \times sin.EOD = t\,sin.r$. Quamobrem datur uterque.

22. *Scholium* 2. En aliam methodum solvendi totum problema, quæ nullo indiget lemmate, sed pendet a solis notissimis Geometriæ, & Trigonometriæ principiis. Sit in fig. 4 ut in 1 AOB semihorizon, AZB semimeridianus cum iisdem punctis S, S', S'', Z, P, E, D, & cum productione arcuum ES usque ad meridianum in M, ut in fig. 3, eruntque, ut num. 20 $SM = e\,sin.c$, $S'M' = e'\,sin.c'$, $S''M'' = e''\,sin.c''$. Polis M, M', M'', quæ omnia puncta distant ab O polo medidiani per quadrantem, sint arcus OI, OI', OI'', qui ab arcubus ME abscindant quadrantes MI, M'I', M''I'', & posito primo errore itidem $= dz$,

erit

erit $ES = 90^\circ - dz$, $EM = 90^\circ - dz + e\,sin.c$, $EI = e\,sin.c - dz = n$, & eodem pacto $EI' = e'\,sin.c' - dz = n'$, $EI'' = e''\,sin.c'' - dz = n''$. Demum angulorum MEM', MEM'', $M'EM''$ mensuræ veris proximæ erunt arcus MM', MM'', $M'M''$, quæ essent eorum mensuræ accuratæ, si puncta E, O congruerent.

23. Consideretur jam polygonum $OII'I''ED$, in qua anguli OIE $OI'E$, $OI''E$, ODE sunt recti, adeoque puncta I, I', I'', D sunt in peripheria circuli habentis pro diametro OE. Hinc ea diameter ad quamvis e chordis II', II'', $I'I''$ est, ut radius ad sinum sui anguli IEI', IEI'', $I'EI''$, quem subtendunt ad peripheriam; cum nimirum is sit dimidius ejus, quem eædem chordæ subtenderent ad centrum, & sinus dimidii anguli sit dimidia chorda totius, ut radius est dimidia diameter. Quare si fiat $OE = t$, ut in fig. 3, erunt $II' = t\,sin.(c-c')$, $II'' = t\,sin.(c-c'')$, $I'I'' = t\,sin.(c'-c'')$. In quadrilineo autem $II'I''E$ inscripto in circulo est $II' \times EI'' + I'I'' \times EI = II'' \times EI'$. Quare fiet $t\,sin.(c-c') \times e''\,sin.c'' - t\,dz\,sin.(c-c') + t\,sin.(c'-c'') \times e\,sin.c - t\,dz\,sin.(c'-c'') = t\,sin.(c-c'') \times e'\,sin.c' - t\,dz\,sin.(c-c'')$, translatis terminis, & abeunte valore t communi per divisionem, relinquetur valor primi erroris $dz = \dfrac{e''\,sin.c''\,sin.(c-c') + e\,sin.c\,sin.(c'-c'') - e'\,sin.c'\,sin.(c-c'')}{sin.(c-c') + sin.(c'-c'') - sin.(c-c'')}$.

24. Hinc jam innotescent $EI = e\,sin.c - dz = n$, $EI'' = e''\,sin.c'' - dz = n''$, & in triangulo IEI'' præter latera cognita habetur angulus $IEI'' = (c-c'')$, adeoque & summa angulorum ad basim $II'' = 180^\circ - (c-c'')$, & semisumma $= 90^\circ - \frac{1}{2}(c-c'')$. Porro est summa laterum ad differentiam, ut tangens semisummæ ad tangentem semidifferentiæ, adeoque ob cotangentes reciprocas tangentium, si complementum semidifferentiæ dicatur u, erit $n - n'' : n + n'' :: cot.(90^\circ - \frac{1}{2}(c-c'')) = tan.\frac{1}{2}(c-c'') : tan.u = \dfrac{(n+n'')\,tan.\frac{1}{2}(c-c'')}{n-n''}$, valor idem, qui num. 20. Si autem semisummæ $90^\circ - \frac{1}{2}(c-c'')$ addatur semidifferentia $90^\circ - u$, habebitur angulus $EI''I$ oppositus lateri $n = 180^\circ - u - \frac{1}{2}(c-c'')$, cujus supplementum cum sit angulus

gulus EOI oppositus in quadrilineo, erit is $= u + \frac{1}{2}(c - c'')$. Est MOB $=$ MP $+$ PB $= c + a$, & MOI $= 90^\circ$ ob M polum arcus OI: hinc erit MOE $= 90^\circ + u + \frac{1}{2}(c - c'')$, qui demptus ab MOB $= c + a$, relinquet EOD, sive $r = c + a - 90^\circ - u - \frac{1}{2} sin.(c - c'')$, ubi ob $a' = 90^\circ - a$, & $\frac{1}{2}(c + c'') = c - \frac{1}{2}(c - c'')$ fiet EOD $= r = \frac{1}{2}(c + c'') - u - a'$ prorsus, ut num. 21.

25. Porro est $sin.$EOI $= sin.(u + \frac{1}{2}(c - c''))$: $sin.$EIO $=$ 1 :: EI $= n$: EO $= t = \frac{n}{sin.(u + \frac{1}{2}(c - c''))}$, itidem ut ibidem. Hinc & errorum OD, ED secundi, ac tertii redeunt valores iidem $t\,cos.r$, $t\,sin.r$.

26. *Scholium* 3. Apponemus hic unico intuitu conspiciendos valores datos, cum utroque formularum systemate: in utroque invenitur prius seorsum valor primi erroris, tum valores reliquorum simul ita, ut post inventum illum utrâvis methodo liceat hos deinde determinare utrâvis ad libitum.

VALORES DATI

Altitudo poli cum suo complemento . . . . a, a'
Distantiæ astrorum a polo . . . . c, c', c''
Errores angulares observati (num. 7) . . . . e, e', e''

PRIMUM SYSTEMA

Pro primo errore quæsito.

Num. 13 . . . . $\begin{cases} m = \frac{sin.c' \times (e - e')}{sin.(c - c')} \\ m' = \frac{sin.c'' \times (e - e'')}{sin.(c - c'')} \end{cases}$

Num. 14. Primus error quæsitus .. $dz = \frac{m - m'}{-tan.\frac{1}{2}(c - c') + tan.\frac{1}{2}(c - c'')}$

Pro reliquis binis erroribus

Num. 14 . . . . $dq = dz\,tan.\frac{1}{2}(c - c')$

Num.

Num. 15 . . . . $dy = dz \cos.c + (dq + m)\sin.c$

Num. 17 . . . . $\cot.b = \dfrac{\dfrac{dq+m}{\cos.c} + c}{dy} - \tan.c$

Num. 18 . . Error secundus quæsitus . . . . . $+ \dfrac{dy \sin.(a+b)}{\sin.b}$

Error tertius quæsitus . . . . . . $- \dfrac{dy \cos.(a+b)}{\sin.b}$

SECUNDUM SYSTEMA

Pro primo errore quæsito

Num. 23. Is error . . . . :

$$dz = \frac{e''\sin.c''\sin.(c-c') + e\sin.c\sin.(c'-c'') - e'\sin.c'\sin.(c-c'')}{\sin.(c-c') + \sin.(c-c'') - \sin.(c-c'')}$$

Pro reliquis e num. 20, 21, vel e num. 24, 25

$$n = e\sin.c - dz,\ n'' = e''\sin.c'' - dz,\ \tan.u = \frac{(n+n'')\tan.\frac{1}{2}(c-c'')}{n-n''}$$

$r = \frac{1}{2}(c+c'') - (u+a')$, $t = \dfrac{n}{\sin.(u+\frac{1}{2}(c-c''))}$. Error secundus $t\cos.r$: Error tertius $t\sin.r$.

27. In hisce formulis valores c sunt positivi, si astrum jaceat a polo ad austrum, negativi, si ad boream: valores e sunt positivi, si astrum appellat prius ad meridianum, quam ad instrumentum, negativi, si post. Si valor primi erroris obveniat positivus; axis telescopii productus ultra centrum deflectit a positione perpendiculari debita in orientem, si negativus in occidentem. Si valor secundi fuerit positivus, axis conversionis ex parte orientali deflectit versus boream; si valor tertii obvenerit positivus, idem ex eadem parte elevatur supra horizontem: si fuerint negativi, deflectit versus austrum, & deprimitur infra horizontem.

28. Satis patet, pro primo errore esse magis expeditam formu-

mulam primi systematis : in ea enim singuli termini numeratoris m, m' constant tribus valoribus, & sunt duo, dum in formula secundi numerator habet tres eodem modo compositos e ternis valoribus singulos: utrobique autem logarithmi æque adhiberi possunt, & quidem sine partibus proportionalibus, cum in valoribus c, c', $c'', c - c', c - c'', c' - c''$ secunda contemni possint, & vero etiam aliquot prima, sine notabili errore quantitatum exiguarum, quæ quæruntur. Tantum ubi e logarithmis, qui obtinentur pro singulis terminis, quæruntur ipsi termini, oportet valores ipsorum assumere etiam cum altero, vel binis decimalibus, si ob nimis exiguam distantiam punctorum meridiani, ad quæ appellunt astra, differentia valorum denominatorem constituens obveniat nimis exigua, adeoque numeratorem nimis augeat. Sine ejusmodi attentione bina systemata iisdem datis innixa non exhibebunt eosdem errores. At in casu, in quo ii denominatores sint nimis exigui, valores determinati erunt minus accurati, cum error perquam exiguus in observatione secum trahat errorem nimis magnum in valoribus quæsitis. Quare cavendum maxime, quæ observationes seligendæ sint ad rem bene perficiendam. Pro denominatore satis erit ipsas tangentes, vel sinus assumere e tabulis, cum partium proportionalium nullus futurus sit usus, tum instituere divisionem numeratoris per denominatorem etiam sine logarithmis, cum paucæ admodum notæ in quoto sufficere debeant ob erroris exiguitatem.

29. Pro reliquis erroribus calculus erit brevior, si adhibeantur formulæ secundi systematis, ubi singulæ formulæ, quæ multiplicationem, & divisionem requirunt, sunt simplices unico constantes termino: nam summæ & subtractiones pro nihilo habendæ sunt ob facilitatem operationis.

30. *Scholium* 4. Pro corrigendis his erroribus plures methodi adhiberi possunt: considerabimus autem hìc quadrantem tendentem versus austrum, quem exhibent figuræ, posito polo P ad partes oppositas appulsui fixarum respectu zenith Z, facile quæ hìc proponuntur transferri poterunt ad alterum, qui adhibeatur tendens ad boream. Primus error consistit in eo, quod illa, quæ in telescopiis dioptricis appellatur linea fiduciæ, & tendit ab inter-

terse-

tersectione filorum, quæ habetur in foco objectivi, ad punctum objecti visum in ea intersectione, non est accurate perpendicularis axi, circa quem alidada convertitur. Ubi vitrum objectivum est, ut vocant, bene centratum, axe ipsius objectivi transeunte per centrum aperturæ, & per intersectionem eandem, quod pertinet ad optimam telescopii constitutionem, linea fiduciæ est ipse axis: hinc is error consistit in eo, quod ipse axis telescopii, non continet angulum accurate rectum cum axe conversionis. Hic axis necessario est perpendicularis plano quadrantis, cum hujus limbo semper applicetur alidada deferens telescopium ipsum. Quare si, observationibus institutis, & calculo applicato, inveniatur aliquis valor pro primo errore *dz*; constabit, axem ipsum telescopii non esse parallelum plano quadrantis, sed ita inclinatum, ut centrum objectivi sit propius plano ipsi, quam intersectio filorum, vel ab eo remotius, prout ipse error obvenerit positivus, vel negativus, quia in primo casu axis telescopii continebit cum axe conversionis producto versus orientem angulum acutum, & in secundo obtusum, adeoque in illo arcus ES (fig. 3) erit minor quam E*s*, quo casu valorem *dz* appellavimus positivum.

31. Hinc in eo casu oportebit vel removere objectivum a plano quadrantis, vel admovere ipsi intersectionem filorum. Res esset admodum expedita, si tubus telescopii esset ita adnexus alidadæ, ut ope cochlearum posset alterutrum ex ejus capitibus ipsi admoveri, vel ab ea removeri. In casu erroris primi positivi admovendum esset alidadæ caput imum, quod continet ocularem proximam foco, in quo habetur illa intersectio, vel removendum ab ipsa caput summum, quod continet vitrum objectivum. Quod si tubus telescopii est ita affixus alidadæ, ut ex neutra parte possit ad ipsam accedere, vel recedere ab ipsa, adhuc tamen si tubus esset aliquanto amplior, posset ita aptari ipsi theca continens objectivum, ut ope cochlearum hoc intra ipsam posset promoveri vel versus planum quadrantis, vel ad partem oppositam. Itidem posset aptari tubo ipsi theca in foco objectivi continens fila, ut ope cochlearum posset ipsa intersectio filorum affixa laminæ mobili admoveri alidadæ, vel ab ipsa removeri.

32. Si

32. Si nullum ejusmodi motum præbuerit artifex aptatum tubo, adhuc poterit removeri non nihil a plano quadrantis alidada versus centrum ab eodem quadrantis plano, affixâ ibi lamellâ plano alidadæ congruenti cum plano limbi, & abradendo aliquid ab ejus crassitudine poterit ipsa admoveri eidem plano. Non licet alidadam ipsam admovere limbo, vel ab eo removere prope focum, cum ibi ea habeat adnexum planum nonii, vel saltem indicem ita, ut applicetur immediate plano limbi ipsius, & denotet in ejus divisionibus angulos. Potest tamen immotis reliquis omnibus admoveri intersectio filorum plano quadrantis, vel removeri ab ipso per motum fili perpendicularis filo horizontali. Fila ipsa solent esse affixa laminæ perforatæ, quæ extrahi possit, ut si forte disrumpantur, possint restitui: locus applicationis mutatus non nihil versus alidadam, vel versus partem oppositam admovebit ipsi intersectionem filorum, vel eam removebit: tum axi telescopii succedet illa linea fiduciæ, quæ erit non nihil inclinata ad axem telescopii: sed si ea inclinatio fuerit exigua; nihil ad sensum officiet exactæ determinationi angulorum.

33. Evitaretur utique hic error primus, si artifex ita præparasset omnia, ut axis telescopii esset accurate parallelus plano alidadæ congruenti in altero extremo cum plano centri quadrantis, & in altero cum plano limbi. Habentur methodi, quæ artificem dirigant, ad obtinendum eum parallelismum, sed eæ admodum difficulter applicantur ingentibus instrumentis: adeoque optimum factu esset, si artifex ipse curaret, ut haberi possent motus indicati, per quos Astronomus possit ipse corrigere id genus erroris deprehensum per formulas hujus Opusculi, & ubi id desit, proposuimus methodos supplendi: sed oportet videre, quo pacto Astronomus ipse possit inducere eam determinatam quantitatem motus, quæ axem telescopii, vel lineam fiduciæ adducat ad eum parallelismum.

34. Id quidem facile præstabitur, si habeatur aliquod objectum terrestre in positione horizontali, vel parum remota ab eadem, & in plano meridiani, ad quod dirigi possit alidada cum telescopio. Potest utique cognosci ejus distantia a loco quadrantis vel

ex mappa ichonographica urbis, vel per mensuras trigonometricas more solito. Ibi potest collocari tabella, quæ habeat scalam partium, in qua ope linearum transversalium cognosci possit quantitas motus angularis intersectionis filorum promotæ versus orientem, vel occidentem. Innotescet angulus respondens certo numero partium ejusdem scalæ, si fiat, ut distantia ejus loci a loco quadrantis ad intervallum earum partium, ita radius ad sinum, vel tangentem ejusdem anguli, qui cum debeat esse exiguus habet sinum ad sensum æqualem tangenti. Inde facile innotescet numerus partium ejus scalæ, qui respondeat errori primo determinato ab applicatione formularum. Directâ alidadâ cum telescopio in eam tabellam, notabitur punctum lineæ cujuspiam horizontalis ejus scalæ, ad quod tendit intersectio filorum: tum immoto plano quadrantis debebit mutari directio axis telescopii, vel lineæ fiduciæ per motum respondentem errori invento indicatum a partibus scalæ percursis ab intersectione filorum.

35. Secundus error potest corrigi methodo simili per eandem tabellam. Is est in fig. 2 arcus OD, deviatio axis conversionis a plano primi circuli verticalis perpendicularis plano meridiani, positivus si deviatio fiat, ut figura exhibet, versus boream. Ipsi est æqualis arcus AF figuræ 3, quo recedit a plano meridiani planum FNG parallelum plano circuli descripti in superficie sphæræ cælestis a productione axis telescopii, sive lineæ fiduciæ, quod est parallelum plano quadrantis, is autem arcus abit versus orientem, ubi secundo errore existente positivo, arcus OD abit versus boream. Quare ad ipsum corrigendum, directâ ut prius alidadâ cum telescopio in eandem tabellam, oportebit movere totum planum quadrantis versus orientem, vel versus occidentem, prout secundus error fuerit positivus, vel negativus. Quantitatem motus necessarii ostendet excursus intersectionis filorum per partes scalæ ejusdem respondentes quantitati ejusdem secundi erroris.

36. Si quadrans est ita affixus muro, ut cum ipso cohæreat, limbo clavis affixo muro ipsi, quod vidi perperam adhibitum in nonnullis astronomicis speculis, & habeatur error in positione muri ipsius; is corrigi non potest, & oportet determinare erro-

ris

ris ipsius effectum pro quavis distantia a zenith, ut habeatur ejus ratio in singulis observationibus corrigendis per ipsum eum effectum notatum in tabula ad id constructa. At ego cum novam Mediolanensem astronomicam speculam instituendam curavi, suspendi quadrantem a binis fulcris ferreis crassis, & brevibus, horizontaliter dispositis, quorum utrumque habebat suam cochleam: altera elevando, vel deprimendo caput alterum radii horizontalis, ipsum inclinabat, cum motu omnium ejus punctorum in circulis verticalibus, altera movendo motu horizontali suum punctum suspensionis agebat in gyrum totum planum quadrantis, qui motus erat idoneus ad obtinendam hanc secundi erroris correctionem. Habebatur tertia cochlea in fundo, cui planum quadrantis tantummodo innitebatur, & ea præbebat eidem plano positionem verticalem.

37. Tertius error expressus in fig. 2 ab arcu DE respondet inclinationi axis conversionis respectu horizontis, in quo is deberet jacere, & jaceret omnino, si planum quadrantis, cui is axis necessario respondet, esset accurate verticale. Is error est itidem positivus, cum idem axis est elevatus ex parte orientis supra planum horizontale: hinc in eo casu ad ipsum corrigendum debet deflecti planum ipsum: ita, ut pars ejus ima accedat ad murum, nimirum ut alidadâ verticaliter erectâ, intersectio filorum percurrat per motum plani quadrantis arcum circuli maximi perpendicularis meridiano versus orientem, quo pacto punctum E descendet ad D. Ea correctio haberi posset itidem ope ejusdem tabellæ cum illa scala, si posset collocari tabella ipsa in recta verticali continuatione axis telescopii in satis magna distantia. Sed id quidem fieri non potest: potest autem obtineri res eadem hoc alio pacto.

38. Adnexâ in ima parte radii verticalis ipsius quadrantis tabellâ perpendiculari ad sensum ejus plano, potest e virga adnexa ejus machinamento superiori, & procurrente suspendi filum tenue cum pondere, quod illam tabellam perradat: tum ope cochleæ, qua planum ejusdem quadrantis inclinetur ita juxta numer. 36, ut ad positionem verticalem adducatur, potest obtineri inclinatio respondens illi tertio errori, quæ ipsum corrigat. Ad eam rem opor-

oportet vel habere admodum accurate tam motum fili per scalam tabellæ, quam motum horizontalem cuspidis, e qua filum suspenditur: sed si suspensio fiat in eadem linea horizontali, in qua jacent superiora illa bina fulcra, is motus cuspidis evadit nullus, quia cochlea tertia movet planum illud circa axem horizontalem transeuntem per illa ipsa fulcra superiora: hinc ea positio est omnium aptissima pro suspensione ejus fili, cum eo pondere.

39. *Scholium* 5. Corrigendi sunt & alii errores quadrantis. Ii, de quibus hic egimus, pertinent ad ascensionem rectam deducendam a tempore appulsus ad Meridianum: duo sunt alia genera errorum, quæ pertinent ad distantiam a zenith & altitudinem supra horizontem, quæ ab iis reddantur erroneæ: alterum pendet a divisione erronea, alterum a collocatione. Pro primo habetur in Opusculo I hujus Voluminis methodus deprehendendi errores divisionum ita, ut possit eorum haberi ratio: nam communiter in quadrantibus, qui sunt in usu, corrigi non possunt. Præstaret, ita curare divisiones quadrantis, ut essent mobiles ad arbitrium Astronomi. Id quidem fieri posset, si nimirum singulæ divisiones constarent punctulis insculptis lamellis ex aurichalco arctis, quas limbo ferreo impositas continerent ferreæ regulæ cochleis compressæ: relaxatis cochleis possent promoveri lamellæ quantum requireret accurata æqualitas intervallorum, tum iterum comprimi per easdem cochleas. Haberetur autem & illud commodi, quod differentia dilatationis ferri, & aurichalci nihil obesset, quæ nocere non nihil potest, ubi machinamento ferreo adnectitur limbus ex aurichalco perpetuus.

40. Pro secundo errore corrigendo efficiendum, ut nonio, qui est adnexus telescopio, denotante zero, intersectio filorum spectet ipsum zenith. Id vero facile præstabitur, ubi habeatur ingens sextans, ut ibi habebatur, vel sector ingens, qui meo impulsu ad eam rem ipsam constructus fuit in Viennensi specula a Clarissimo Liesganigio similis meo descripto in meo Opere de Expeditione Litteraria per Pontificiam ditionem. Ope ejusmodi instrumentorum potest obtineri accurata distantia fixæ cujuspiam a zenith per conversionem. Eâ rite determinatâ, collocandum est tele-

telescopium ita, ut nonius indicet illam distantiam : tum eâ fixâ ingressâ telescopium, moveri debet ope cochleæ verticalis totus quadrans in eodem suo plano, donec a filo horizontali eadem secetur accurate bifariam. Id quidem præstari potest, cum saltem tribus minutis intra telescopii campum fixa verticalis moretur. Potest autem pluribus consequenter diebus præstari id ipsum, donec obtineatur omnis ea accuratio, quæ desiderari possit.

41. Si supponatur aliunde nota altitudo poli, & positio fixarum præcipuarum; facile inducitur directio debita quadranti in ordine ad hunc errorem evitandum, ponendo telescopium ita, ut nonius designet distantiam a zenith, quam habere debet quæpiam ex iis fixis. Ea distantia est summa, vel differentia altitudinis poli, & declinationis fixæ, prout ipsa declinatio est australis, vel borealis, sed adhuc demi debet refractio debita ei distantiæ a zenith. Telescopio affixo quadranti in ea positione expectandus est ingressus astri in telescopium, & movendus quadrans in plano verticali ita, ut ipsum a filo micrometri secetur bifariam. Idcirco Mediolanensem quadrantem non affixi muro, sed ita suspendi in binis punctis, ut in eorum altero ope cochleæ habere posset motum in plano verticali, in altero motum azimuthalem, uti & in tertio puncto motum habere posset, quo ad positionem verticalem deducatur. Ubi ille primus motus præstari non potest, determinandus est error, qui deinde erit constanter demendus, vel addendus omnibus observationibus.

42. Potest verificari immediate etiam positio puncti postremi graduum 90, ubi habeatur in distantia non ita exigua objectum aliquod non nihil elevatum supra horizontem. Observando ipsum in aqua per reflexionem, tum directe, invenitur facile error puncti graduum 90; sed si distantia non sit ingens, requiritur correctiuncula, de qua agemus, explicando eam methodum in Opusculo sequenti. In ea enim præcipuum usum habere potest: si enim verificato puncto zero per fixas verticales, & 90° hac methodo non inveniatur error idem; differentia eorum errorum erit aberratio quadrantis a gradibus 90. Eam etiam methodum adhibui in illo quadrante.

43. *Scho-*

43. *Scholium 6*. Methodus, quæ proposita est hic pro corrigendis primis illis tribus erroribus pertinentibus ad tempus appulsus ad meridianum, requirit omnino, ut limbus in eodem plano jaceat totus. Id ibi erat præstitum, juxta Opusculum secundum. Si id non esset præstitum, oporteret habere rationem ipsius: erroribus trium astrorum ibi adhibitis oporteret addere, vel auferre errorem debitum distantiæ puncti limbi respondentis loco astri, a plano transeunte per centrum, & per duo extrema puncta limbi, prout ea distantia inclinat axem telescopii in partem contrariam ei, in quam vergit error observatus, vel in eandem, quia telescopio adducto ad id planum augeretur error observandus in primo casu, minueretur in secundo.

44. Si in quadrante habeatur error hujusmodi, nec correctus sit limbo ad planum adducto, non posset per collocationis mutationem reduci quadrans ad exhibendum appulsum ad meridianum sine ullo errore: quamobrem eo casu requireretur tabella errorum determinatorum saltem in quinos gradus, ex qua excerpenda esset correctio adhibenda singulis observationibus institutis ope ejus quadrantis. Quanquam ea tabella fere semper erit opportuna ob summam difficultatem, quæ habetur in corrigendo penitus accurate errores collocationis per quam exiguos. Ubi adhibita fuerit non mediocris diligentia pro corrigenda collocatione ipsa, opportunissimum erit, plurium fixarum, quæ exhibeant seriem punctorum limbi quadrantis, determinare per altitudines correspondentes momenta appulsuum ad meridianum, notare simul momentum, quo eæ appellunt ad intersectionem filorum telescopii, ac notare differentiam: series ejusmodi correctionum inventa per plures observationes ejusdem fixæ cujusvis exhibebit demum correctionum ipsarum tabellam accuratissimam, quæ semel determinata perstabit diu eadem, & vero semper, nisi a causa quapiam externa, ut a terræ motu, vel nimio calore, inducatur quæpiam mutatio.

45. Si planum quadrantis sit accurate planum, ut punctum superficiei cælestis, ad quod dirigitur axis telescopii, vel linea fiduciæ percurrat arcum circuli, utut non maximi ob primum errorem,

rorem, & inclinati respectu meridiani ob reliquos duos potest erui formula, quæ pro quavis distantia a zenith exhibeat quantitatem erroris corrigendi constans coefficientibus pendentibus ab illis tribus erroribus, qui evadant cogniti per tres appulsus erroneos, methodo analoga hìc adhibitæ, cujus occurret usus, ubi in alio Opusculo agemus singillatim de instrumento transituum, cui potest applicari tota theoria hujus, sed ea est multo magis opportuna pro ipso, in quo excursus telescopii pertinet ad totum meridiani semicirculum, dum in quadrante murali non pervadit nisi per ipsius dimidii dimidium. Dum autem pro quadrante murali, & pro instrumento transituum fixo in quapiam specula potest per altitudines correspondentes obtineri accurata, & permanens errorum tabula, quæ semper erit admodum utilis; pro eodem instrumento portatili, cujus potest haberi usus egregius, sæpe oportebit eruere, & adhibere ejusmodi formulam: sed ea de re alibi inferius.





OPUSCULUM IV.

DE VERIFICATIONE PUNCTI POSTREMI QUADRANTIS MURALIS, QUOD INDICAT POSITIONEM HORIZONTALEM.

1. UADRANS muralis præter gradus 90 solet habere aliquot alios ultra utrumque limitem, uti habebat ille, de quo egimus in Opusculo I. Alidadâ appellente ad alterum limitem eorum 90 graduum, deberet axis telescopii dirigi ad zenith, & quadrante bene disposito, distantia alidadæ ab eo punĉto debet exhibere distantias astrorum ab ipso zenith: alterum extremum indicaret positionem horizontalem: distantia alidadæ ab ipso debet indicare altitudines supra horizontem, vel etiam in illo excursu aliquot graduum ultra eum limitem depressiones infra ipsum. Solet apponi utrique extremo tam zero, quam 90, ut altera ex iis binis numerationibus exhibeat immediate distantias a zenith, altera altitudines supra horizontem: sed hìc in ipso Opusculi titulo juxta priorem numerandi rationem appellamus postremum quadrantis punĉtum illud, quod est destinatum positioni horizontali.

2. Quadrantis arcu continente gradus 90 accurate, & ita constituto, ut ille prior limes accurate referat positionem axis telescopii verticalem, is posterior indicabit accurate positionem horizontalem: si autem arcus graduum 90 contineat errorem aliquem, ac error innotescat methodo Opusculi primi; illo primo limite indicante accurate positionem verticalem, vel cognito errore collocationis in ordine ad positionem eandem, innotescet pariter, quantus sit error direĉtionis axis telescopii in appulsu alidadæ ad punĉtum postremum. Vidimus in fine secundi Opusculi, quo paĉto per distantiam a zenith alicujus fixæ parum distantis ab ipso inventam per instrumentum, quod converti possit circa axem verticalem, collatam cum indicata ab alidada, determinetur error illius primi punĉti destinati ad indicandam positionem verticalem: pro-

proponemus in hoc Opusculo methodum, qua possit immediate inquiri in positionem postremi destinati ad indicandam horizontalem, si locus ejus usui sit opportunus. Proderit hæc determinatio ad deducendum etiam errorem illius primi puncti, si desit instrumentum satis magnum, quod converti possit, & conversione sua determinare distantiam veram a zenith fixæ cujuspiam comparandam cum indicata ab alidada: ubi vero id instrumentum adsit, ac error primi puncti determinetur ope ipsius; determinato immediate per methodum hic proponendam errore hujus postremi, innotescet error arcus graduum 90 quadrantis ipsius, comparandus cum invento per methodum indicatam Opusculi I, cum quo hic debet congruere, quod confirmabit consensu suo & methodos, & rectam ipsarum applicationem.

3. Hæc methodus exigit objectum terrestre collocatum in plano meridiani transeunte per axem telescopii quadrantis ipsius, vel prope id planum elevato non nihil supra ejus horizontem. Collocato prope centrum quadrantis, circa quod convertitur telescopium cum alidada, ampliore vase pleno aquâ, observandum est id objectum tam directe, quam per reflexionem in aqua ipsa. Determinatâ tam elevatione supra horizontem indicatâ in prima observatione ab alidada, quam depressione in secunda, obtinetur methodo hic exponenda punctum positionis horizontalis, cujus distantia a puncto nonaginta graduum notato in limbo quadrantis est error quæsitus.

4. Si objectum sit admodum remotum; punctum positionis horizontalis erit ipsum medium inter ea, quæ determinavit alidada pro elevatione supra horizontem, & depressione infra: sed si adhibeatur objectum non ita remotum, occurrit quædam species parallaxeos, cujus habenda est ratio, & hoc Opusculum destinatum est potissimum determinationi effectus parallaxeos ejusdem. Porro requiritur vas satis amplum, quia prope margines vasis superficies aquæ incurvatur viribus, quas exercent particulæ ipsius in se invicem, & cum parietibus ejusdem vasis: ultra eam curvaturam habebitur satis ampla superficies plana horizontalis, in qua objectum apparebit regulare, & distinctum.

5. In fig. 5 (Tab. II) D est punctum objecti elevatum supra horizontem, quod telescopio quadrantis ABB'A' cernitur per radios DH, DH' reflexos in superficie aquæ contentæ in vase NRR'N' posito ante id telescopium in situ paullo inferiore, & detortos ad superficiem objectivi L, L', unde per refractionem abeunt ad intersectionem F filorum, quæ apponuntur in foco objectivi ipsius, ad determinandum punctum objecti, in quod collineatur: eorum autem filorum alterum est horizontale, alterum ipsi perpendiculare. Concipiatur recta DE perpendicularis ad planum HH' superficiei aquæ productum, quæ producta tantundem in D' determinabit punctum illud, in quo apparet punctum D objecti visum per reflexionem: radii HL, H'L' advenient ad objectivum, ac detorquebuntur ad intersectionem filorum in F impedientium eorum progressum usque ad oculum positum in O in productione axis telescopii, quo impedimento efficitur, ut objectum attribuatur directioni FD', quæ in telescopio habente objectivum bene, ut appellant, centratum, & intersectionem filorum in axe transit per centrum C aperturæ objectivi ipsius, & est productio quædam axis OFC. Si ea intersectio non sit accurate in ipso axe, nec objectivum prorsus accurate centratum; inter radios digressos a puncto objecti, & incidentes directionibus non nihil diversis in diversa puncta aperturæ objectivi habetur semper unus, qui post binas per quam exiguas refractiones habitas in binis objectivi ipsius superficiebus æquales, & contrarias pergit intra tubum per rectam parallelam illi, per quam advenit a puncto, a quo radii divergunt, ita proximam huic, ut earum distantia sensum omnem effugiat, ac ambæ censeantur unica linea: & id quidem fit sine ullo errore sensibili, quam ob causam ea recta dicitur linea fiduciæ: ea theoria felicissime detecta præbuit occasionem applicandi astronomicis instrumentis telescopia substituta veteribus dioptris cum tanto Astronomiæ fructu. Porro ea linea fiduciæ transit per illum objectivi locum, ubi ejus crassitudo est maxima binis superficiebus inter se parallelis, qui locus est satis proximus centro aperturæ, si telescopium est saltem mediocriter constructum. Eam lineam fiduciæ, quæ gerit vices axis, si cum ipso accurate non congruit, appellabimus hic axem: is

is autem incurrit in quoddam punctum I superficiei aquæ, ubi triangulum DID' est isosceles, ac angulus DIE æqualis angulo D'IE, adeoque & angulo NIC opposito huic ad verticem ita, ut radius delatus a puncto objecti D per rectam DI debeat reflecti per ICF.

6. Dum alidada convertitur cum telescopio, ut hoc abeat a positione directa ad imaginem D' objecti exhibitam ab aqua ad illam, quæ dirigitur ad ipsum punctum objecti D, fit motus circa axem transeuntem per centrum quadrantis, & perpendicularem ejus plano, & axis OFD' ita abit in axem O'F'D, ut perpetuo tangat circulum quendam, cujus centrum est in quodam puncto G axis ipsius: ejus radii GT, GT', qui terminantur ad eos contactus, erunt perpendiculares ad ipsos axes, qui sibi invicem occurrent in quodam puncto P parum admodum remoto a binis contactibus T, T', cum exigua depressio infra horizontem imaginis D' puncti D parum elevati supra ipsum horizontem exigat arcum TT' exiguum.

7. Concipiatur recta PM horizontalis, & si punctum D esset in immensa distantia, rectæ DP, DI habendæ essent pro parallelis, & angulus DPM elevatio vera puncti D supra horizontem esset æqualis angulo DIE, quem ipsa DI continet cum recta IE itidem horizontali, adeoque parallela rectæ PM: cum ipse angulus DIE debeat esse æqualis angulo D'IE, adeoque & angulo D'PM, qui est internus, & huic oppositus in parallelis PM, IE, hic autem postremus sit depressio apparens puncti D infra horizontem; patet, eo casu debere esse elevationem illam supra horizontem æqualem huic depressioni infra ipsum, adeoque in eo casu punctum quadrantis pertinens ad positionem telescopii horizontalem esset accurate intermedium inter duo puncta determinata ab alidada pro illis binis positionibus.

8. Punctum positum in immensa distantia esset fixa aliqua, quæ si remaneret immota in plano meridiani, rem perficeret, visa directe, & per reflexionem in aqua. Ejus motus diurnus, quo ea non nisi momento temporis transit per meridianum, non obstaret, assumeretur enim uno die altitudo supra horizontem

ipsius

ipsius visæ directe in transitu per meridianum, & alio die depressio infra horizontem ejusdem visæ in aqua, dum itidem per meridianum transit, & punctum quæsitum respondens positioni horizontali axis telescopii esset fere accuratissime intermedium inter illa duo puncta notata ab alidada in illis binis positionibus. Sed cum arcus quadrantis non excurrat nisi per paucos gradus ultra 90, non posset adhiberi nisi fixa parum elevata supra horizontem in appulsu ad meridianum, ubi refractio est ingens, & variatur ab uno die ad alium multo magis, quam ut eâ methodo acquiri possit determinatio ita accurata, uti exigitur pro determinatione ejus puncti, in qua paucissimorum secundorum error evitari debet, & vero etiam curari, ut evitetur error vel unius etiam secundi.

9. Quamobrem recurrendum est ad objecta terrestria, sed satis remota, ut proximitas non amandet imaginem distinctam per intervallum sensibile ultra positionem intersectionis F filorum, quæ aptantur pro astris positis in immensa distantia: ea elongatio foci a filis redderet confusam imaginem ejus puncti objecti in loco intersectionis ejusdem, quæ elongatio cum sit perquam exigua pro objecto terrestri satis remoto, ejusmodi distinctionem non turbat. Porro objectum distans parum etiam elevatum supra horizontem debet habere altitudinem non nimis exiguam supra planum horizontale observatorii, adeoque usui esse non potest, nisi turris aliqua campanaria, vel tholus forte occurrens in urbe in ea directione.

10. Tum vero rectæ DI, DP non evadunt satis proxime parallelæ inter se, & occurrit angulus PDI, qui est quædam veluti parallaxis objecti D relate ad directiones PD, ID, cujus habenda est ratio ad deprehendendam correctionem determinationis præcedentis respondentem eidem angulo. Ea correctio potest esse prorsus insensibilis respectu objecti etiam in eadem urbe siti: nam sinus anguli quæsiti PDI ad sinum depressionis IPD observatæ infra horizontem est, ut latus PI ad latus DI, quæ in angulis exiguis, uti erunt ii anguli, erit ad sensum eadem, ac ratio ipsorum angulorum. Potest autem collocari vas NN' in distantia exigua a telescopio BB'. Sed quoniam, quo remotius est objectum terrestre, eo major requiritur ipsius altitudo supra planum ob-

ser-

servatorii, ut etiam dimidio gradu elevetur supra ejus horizontem, inquirendum est in modum determinandi magnitudinem ejus anguli etiam pro objectis aliquanto minus remotis, & in ejus anguli effectum relate ad correctionem adhibendam puncto medio inter bina determinata ab alidada.

11. Quod pertinet ad primum caput, oportet determinare punctum I, ad quod tendit axis FC in ea positione, in qua telescopium adhibetur pro observando puncto D': id fit haud difficulter. Sublatâ lente oculari, & obductâ dimidiâ aperturâ objectivi per chartam, in cujus margine habeatur linea ducta, quæ debeat respondere centro C, satis distincte apparet superficies aquæ NN' transpicienti ex O per directionem FI, ob distantiam exiguam ab objectivo: hinc potest definiri distantia ipsius puncti I a puncto P posito prope mediam crassitudinem tubi e regione puncti G: nam error etiam non ita exiguus in ea mensura nullum sensibilem errorem producit in angulum quæsitum IPD, qui nimirum ob angulorum occurrentium exiguitatem est ad depressionem exiguam DPI, ut distantia ingens DI ad eum errorem distantiæ determinatæ PI. Eodem pacto error commissus in determinanda distantia DI exiguus respectu ipsius, licet non absolute exiguus, non inducit in eundem angulum quæsitum nisi errorem prorsus contemnendum. Satis est ad eam rem eruere distantiam loci speculæ, in quo habetur centrum quadrantis muralis, ab objecto adhibito e mappa urbis ichonographica, vel per notas methodos Trigonometriæ communis, non nimis abludentem a vera. Si accuratione adhuc majore opus esset, ea facile obtineretur, determinando accuratius distantiam PD, & pro habenda DI concipiendo centro D radio DI arcum circuli IK, qui debet æquivalere rectæ perpendiculari ductæ ex puncto I in rectam PD. Assumenda esset pro recta PK recta PI ducta in cosinum anguli IPK, qui est summa depressionis, & elevationis observatæ, & demenda ab ipsa distantia PD: sed ea differentia erit minor respectu totius PD, quam ut inducat errorem sensibilem in angulum quæsitum.

12. Quod pertinet ad effectum ejus anguli pro correctione deter-

terminanda, is est expeditissimus. Habetur angulus IPD differentia directionum PI, PD determinata ab alidada motu suo ab altera directione ad alteram, qui dicatur a, & angulus inventus PDI, qui dicatur b, angulus autem DPM, qui est elevatio directionis secundæ supra horizontem dicatur x. Erit angulus IPM $= a - x$. Porro is æquatur angulo D'IE dimidio anguli D'ID, & hic æquatur summæ angulorum IPD $= a$, & IDP $= b$ internorum, & oppositorum. Quare erit $a - x = \frac{1}{2}(a+b)$, & $2a - 2x = a + b$, $x = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$; unde eruitur hujusmodi regula. *A semisumma elevationis objecti visi directe, & depressionis visi in aqua auferatur dimidium parallaxeos inventæ* PDI: *residuum erit vera elevatio objecti visi directe, cujus differentia indicata a nonio erit error illius puncti postremi quadrantis, qui error quærebatur.*

13. In Mediolanensi specula, in qua hanc methodum adhibui, non habebatur ullum objectum idoneum in eodem prorsus plano meridiani transeuntis per axem telescopii, sed habebatur prope ipsum apex crucis cujusdam, quo usus sum. Si id objectum subeat in motu telescopii campum ipsius non nihil ad latus fili perpendicularis filo horizontali, ea deviatio non nocet, cum omnia puncta ejus fili in exiguo tractu semidiametri ejusdem campi habeant ad sensum eandem elevationem supra horizontem. Si distet paullo magis ad latus alterum extra campum, potest moveri non nihil totum planum quadrantis, deflectendo ipsum in eam partem usque ad congruentiam fili perpendicularis cum eo puncto objecti terrestris, & determinari error postremi puncti in ea positione, tum restitui planum ipsum ad priorem positionem: sed oportet, in mutatione positionis plani nulla fiat deviatio linearum ipsius ejusmodi, qua rectæ, quæ in positione adhibita pro ea perquisitione fuerant accurate verticales, evadant inclinatæ. Id quidem facile præstari potest appenso filo tenui cum pondere cuiplam puncto pertinenti ad latus superius horizontale quadrantis parum remoto a centro per filum tenue, & adducto tenui puncto plani cujuspiam, ut chartæ affigendæ per mollem ceram puncto cuipiam limbi, ad id filum post ipsum: tum enim satis erit in reductione plani ejusdem

dem ad novam positionem, & restitutione ad priorem efficere, ut id filum transeat per idem punctum. Præstabit affigere cuspidem permanentem puncto cuipiam superiori plani quadrantis, ex quo filum tenue cum pondere pendeat semper, & habere in parte inferiore punctum insculptum laminæ metallicæ ita adnexæ parti cuipiam machinamenti quadrantis ejusdem, ut ope cochleæ, promoveri possit non nihil, & si habeatur deviatio quæpiam a positionibus semel verificatis, innotescat per indicem, quantus fuerit motus, ac vel restituendum erit machinamentum in locum pristinum, vel habenda ratio deviationis ipsius: præstat adhuc magis habere binas ejusmodi laminas, alteram paullo, alteram multo inferiorem puncto suspensionis, quarum singulæ habeant suum punctum adducendum ad filum: tum enim ope lentis satis convexæ accuratissime agnoscitur positio, in qua filum transit per medium punctum. Et quidem tria ejusmodi fila cum ponderibus affigi possent tribus cuspidibus cum lamellis habentibus puncta sua ita inclinatis, ut ostenderent motum quemcunque, qui accideret in quavis directione quadrantis. Præstat etiam habere puncta fixa in aliqua distantia ab observatorio: collineando in ea per telescopium adductum per alidadam ad eadem puncta limbi deprehenditur motus, qui supervenerit vel plano quadrantis, vel filis tensis in foco telescopii: licet eo in genere cavendum illud, mutationem refractionum terrestrium impedire, ne eo pacto satis accurate deprehendi possit, nisi sola deflexio a plano meridiani: nam inæqualitas refractionum terrestrium efficit, ut alidadâ denotante certum limbi punctum appareat mutatio altitudinis supra horizontem puncti, ad quod telescopium dirigitur, etiam ubi nulla in quadrante mutatio acciderit, potissimum si punctum ipsum est aliquanto remotius.

14. Ubi objectum est parum elevatum supra horizontem, quod fere semper accidet, tum vas illud debebit apponi parum admodum infra caput telescopii inclinati deorsum, & superficies aquæ ita oblique jacebit respectu telescopii, licet vas sit satis amplum, ut radii reflexi non intercipiant in LL' nisi exiguam partem objectivi. In meo casu centrum quadrantis erat proximum angulo

conclavis, in quo aderat exigua fenestra verticalis, cum exigua apertura horizontali facta in tecto, quæ obtegebatur, neque patebat nisi dum observationes cælestes instituebantur, & ob viciniam centri ipsius illæ aperturæ licet parum amplæ relinquebant prospectum in totum cæli quadrantem positum ad meridiem. Vas aptatum est in ima parte fenestræ verticalis: impletum est penitus usque ad summum verticem laterum verticalium ita, ut nihil ex iis extaret supra superficiem aquæ, quod nimirum, ob tantam illam obliquitatem, impedivisset & progressum radiorum usque ad eam superficiem, & regressum versus telescopium: amplitudo vasis fuisset nimia, si ea debuisset præcludere viam radiis omnibus, qui pertinebant ad alia objecta urbis posita in directione totius amplitudinis tubi telescopii: ii pertinentes ad plura ex iis objectis transeundo prope latus vasis exterius adveniebant ad aperturam objectivi; sed id nihil oberat observationi: habebatur duplex imago in foco telescopii, altera pertinens ad hæc objecta depicta ibi per radios directos, & altera ipsi superposita pertinens ad objectum depictum per reflexos; sed hæc discernebatur facile; erat enim inversa illius alterius. Telescopio invertente objecta, uti fit in astronomicis dioptricis habentibus lentem ocularem unicam, illa apparebant inversa, hoc directum. Ventus utut levissimus turbando superficiem aquæ sæpe observationem turbabat, disparente per ejus agitationem imagine reflexa: sed inveni plures dies ita tranquillos, ut observationem pluribus vicibus potuerim instituere, imagine manente tranquillâ, & exitu observationum satis conformi, quam tranquillo aere licebat singulis diebus repetere pluribus vicibus: nam res brevissimo tempore peragitur.

15. Locus mihi occasionem præbuit & cogitandi de hac methodo, & eam adhibendi, & idcirco numero 2 addidi, *si locus ejus usui sit opportunus*. In plurimis astronomicis speculis, tam ipsarum positio respectu urbis, & positio quadrantis muralis in conclavi ad id destinato, quam defectus objecti satis elevati supra speculam ipsam in directione parum abludente a plano meridiani, observationem impediet, & potissimum hic postremus defectus, nisi

nisi occurrat prospectus in montem satis altum, & non nimis distantem, ut nimirum ejus vertex appareat non nihil elevatus supra horizontem, quo solo casu haberi potest ejusdem objecti observatio directa comparanda cum altera facta per reflexionem in superficie aquæ. Nec vero in ejusmodi casibus determinatio postremi puncti limbi indicantis positionem horizontalem est inutilis: nulla quidem tum poterit institui observatio astronomica tubo horizontaliter directo: verum ea determinatio non instituitur pro observatione facienda in ipsa directione horizontali indicata ab eo puncto, sed pro habenda determinatione accurata cujuscumque alterius distantiæ a zenith, ac altitudinis supra horizontem, quæ haberi non potest nisi cognitis erroribus divisionum, in quas inquisitum est in Opusculo primo, & cognito errore collocationis quadrantis in ordine vel ad primum punctum verticale, de quo egimus in Opusculo tertio, vel ad postremum horizontale, de quo actum est in hoc quarto. Determinatio autem utriusque prodest plurimum ad obtinendum accuratius, & tutius errorem arcus integri graduum 90, qui accurate continetur inter illa duo puncta. Inventis eorum distantiis a punctis limbi notatis 0, & 90, obtinetur error arcus intercepti inter ea puncta notata in limbo, qui error est differentia earum distantiarum, si ambo errores habeant directionem eandem, & summa, si habeant binas oppositas.





OPUSCULUM V.

De suspensione telescopii quadrantis muralis ope curvæ æquilibrii.

1. IN quadrantibus, quos appellant murales, tubus telescopii metallicus, qui debet revolvi circa centrum quadrantis ipsius, redderet admodum incommodum usum ob pondus ingens, nisi adhiberetur machinamentum aliquod, quod ipsum constitueret proxime in æquilibrio in ipso centro, cui innititur. Solent addere ultra id centrum virgam metallicam, quæ sustineat pondus capax efficiendi æquilibrium: id vero solet esse multo gravius ipso tubi pondere jam ingenti, ne virga adjecta adhiberi debeat nimis longa. Porro sæpe id accidit nimis incommodum, vel etiam omnino præstari non potest, ubi centrum ipsum quadrantis ita collocatur, ut sit proximum muro perpendiculari ad ipsius planum, & tabulato superiori conclavis, vel fornici, ut nimirum exigua apertura utriusque permittat liberum prospectum totius quadrantis meridiani cælestis per telescopium. Præterea illud pondus plusquam duplo majus pondere ipsius tubi prægravat foramen centrale, cui immittitur axiculus ipsi tubo affixus, & cum eo convertendus: inde fit, ut per frictionem eo magis perniciosam, quo illud pondus est gravius, atteratur & ipse axiculus, & foramen, quod post longiorem usum efficit, ut motus evadat demum irregularis foramine jam ampliore, quam ut illum axem accurate contineat.

2. Sunt, qui affigant massam habentem foramen, in quod axis immittitur, non ipsi quadranti, sed parieti posito post ipsum, quod quidem nec impedit frictionis malum ab ingenti illo ponderis additamento auctum, & habet difficultatem eandem in illa collocatione quadrantis prope murum oppositum, & tabulatum superius: & vero etiam accedit difficultas ita collocandi massam ferentem illud foramen separatam a toto quadrantis machinamento,

to, ut centrum ipsius foraminis accurate congruat cum centro quadrantis. Ubi id est in ipsa hujus compage, arcus circulares limbi possunt insculpi in prima ejus constructione per virgam habentem axem, qui ipsi foramini immittatur ad id obtinendum, & ubi quadrans translatus post constructionem collocatur in loco destinato, tubus ipse axiculo in foramen immisso jam sine ullis attentationibus ad præstandam centrorum congruentiam convertitur circa debitum centrum.

3. Cum Mediolanensis observatorii formam animo concepi, & partes construendas disposui, ita disponendum censui conclave destinatum binis quadrantibus muralibus alteri obvertendo versus meridiem, qui jam erat in promptu, alteri versus septentrionem, qui nondum ibi habetur, ut centrum utriusvis haberet indicatam positionem proximam muro opposito, & tabulato, quæ non nisi exiguam verticalem, & horizontalem fenestram requireret recludendam facile tum, cum observatio institui debet, & eâ peractâ occludendam. Hinc aliam inivi viam ad æquilibrium ita præstandum, ut pondus ad id adhibendum haberetur in positione commodissima, nec centrum conversionis aggravaret, sed potius minueret pressionem exercitam ab ipso pondere illius tubi. Jam ab initio hujus sæculi determinata fuerat curva æquilibrii pro elevandis pontibus a positione horizontali ad verticalem ope ponderis descendentis per eam curvam, & ita connexi per funem cum eodem ponte, ut id pondus in suo descensu remaneret in æquilibrio cum ipso in inclinatione quacunque; licet is eo minorem nisum exerceat ad recidendum, quo magis accedit ad positionem verticalem. Hinc illud mihi animo subiit, posse curvam æquilibrii ei curvæ analogam adhiberi etiam pro parili suspensione telescopii quadrantis.

4. Verum illud statim occurrit, ingens haberi discrimen inter hosce duos casus, nimirum illius pontis, & hujus telescopii. Ascensus pontis fit a positione horizontali, in qua ejus nisus ad descendendum est maximus, qui nisus perpetuo decrescit, & in fine motus per integrum quadrantem evanescit penitus in positione verticali: at hic tubus in initio ascensus habet positionem vertica-

ticalem, in qua nullam exercet vim ad descensum, quæ deinde perpetuo augetur, ac in fine evadit maxima. Hinc in priore casu illud pondus initio sui ascensus debet exercere vim maximam, quæ in progressu perpetuo decrescat, ac in fine evanescat: id vero exigit formam curvæ concavam, in qua inclinatio tangentis accedat semper magis ad positionem horizontalem, ac in eam demum desinat in ima sui parte: at in casu posteriore debet id pondus initio exercere vim nullam, curvâ ibi habente directionem horizontalem, quæ in descensu ab ea recedat perpetuo magis, quod exigit curvam convexam.

5. Sit in *fig.* 1 CE positio verticalis telescopii, quod elevari debeat per omnes positiones obliquas CF usque ad horizontalem CG; pons autem debeat elevari a positione horizontali CG usque ad verticalem CE'. Pro hoc casu affigitur funis cuipiam ejus puncto G, qui tendit rectà ad cochleam (*) positam in E', inde rectà ad aliam fixam in M', tum iterum rectà usque ad pondus N', quod descendit per curvam concavam M'N'K'. Ut vis pontis ad recidendum perpetuo decrescit, dum punctum F' elevatur oblique per quadrantem GF'E', ac evanescit in E'; ita pondus N', dum descendit per curvam concavam M'N'K', exercet perpetuo minorem vim directione curvæ semper magis accedente ad horizontalem, in quam si desinat arcus ipsius in K' ita, ut habeat ibi tangentem horizontalem, nisus ipse ponderis N' ad descendendum ibidem evanescit. Quæritur autem curva, quæ in omnibus positionibus F', & N' præstet æquilibrium habita ratione tam imminutionis virium in F', & N' ortæ ab obliquitate radii CF', & directionis curvæ, quam ab obliquitate directionis funium E'F', & M'N', qui trahunt oblique.

6. Pro casu telescopii cum pondus N initio sui descensus in M respondeat positioni telescopii verticali CE, debet ibi amittere omnem nisum, adeoque tangens curvæ ibi debet esse horizontalis: tum crescente vi telescopii ipsius ad descendendum, debet curva saltem initio, & sæpe, ut inferius patebit, usque ad finem

(*) Cochleas hic consideramus instar puncti; ut & pondus N.

nem ascensus telescopii ipsius ibi acquirere directionem semper magis accedentem ad verticalem, adeoque debet esse convexa respectu directionis, qua gravitas urget descensum. Videtur primo aspectu nexus inter puncta F, & N haberi non posse nisi per funiculum (pro ponte requiritur funis crassior, vel etiam catena: pro telescopio tanto leviore sufficit funiculus tenuior, qui erit eo aptior, quo fuerit magis plicatilis), qui ab M ad N advolvatur ipsi curvæ acquirens ejus convexitatem, quod quidem imminuit non nihil vim ponderis N, utcumque concipiatur bene levigata ejus superficies. Ea curvatura funiculi ipsius, neglectâ etiam resistentiâ ortâ a frictione, ita elevat naturam curvæ requisitæ ad hoc genus æquilibrii, ut eam reddat transcendentem; dum curva M'N'K' æquilibrii pro ponte jam tum inventa non est nisi quarti gradus.

7. Verum habetur dispositio, in qua punctum N tractum deorsum a pondere constanti affixo ipsi per funiculum descendat per curvam convexam, & tamen funiculus abeat itidem rectâ ab N ad M. Id quidem facile obtinetur, si curva MNK fiat ex virga metallica bene levigata, cui addatur annulus ex filo metallico cylindrico bene levigatus, & paullo amplior crassitudine ipsius virgæ transeuntis per ipsum. Is a pondere Q ipsi affixo per funiculum NQ trahetur deorsum, tanquam si ipsum collectum in N deberet descendere. Verum habeo quidem aliam methodum, quæ exponetur inferius, præstandi idem per canales quosdam incavatos in binis tabulis ligneis conjunctis cum aliis binis, ita, ut illæ conjungantur inter se in parte superiore, habeatur autem quædam distantia in inferiore: binæ rotæ connexæ per axiculum ferreum ita descendunt per eos canales, ut punctum medium axis in descensu ejus velut curriculi describat eam curvam: pondus affigitur per funiculum ei puncto axis ita, ut libere pendeat: is funiculus libere transit per illam aperturam, quæ remanet inter binas tabulas conjunctas in sola sui parte superiore, ut abeat recta tam ad pondus Q, quam ad trochleam M. Quod pertinet ad id machinamentum exponam inferius per figuras idoneas, posteaquam determinavero constructionem, & naturam curvarum huc pertinentium.

8. Et

8. Et quidem pro casu funiculi radentis superficiem convexam curva est transcendens , ut innui , dum pro casu funiculi rectilinei est algebraica , & constructionis admodum expeditæ . Videtur itidem primo aspectu curva æquilibrii , quam quærimus pro telescopio , debere esse continuatio illius jam inventæ pro ponte , quod novam perquisitionem redderet supervacaneam . Dum enim telescopium a positione verticali CE abit motu continuato puncti F usque ad horizontalem CG , si inde debeat ascendere usque ad verticalem oppositam CE'; habetur continuatio motus puncti F per F' in eadem curva continua circulari ; adeoque videtur & curva æquilibrii debere esse naturæ ejusdem . Adhuc tamen dum hæc secunda inventa est , ut diximus , & ut patebit inferius , gradus quarti , illam primam invenio gradus octavi . Ratio ejus discriminis habetur in natura positivorum , & negativorum , quæ in Geometria habent locum per directiones contrarias , æque ac in Arithmetica , & Algebra per signa + & — , in qua analogia habet fundamentum tota applicatio Algebræ ad Geometriam , qua Cartesius hanc scientiam usque adeo promovit , sed quæ producta postea ultra finitam Algebram , & applicata quantitatibus infinitesimis , & exponentibus ita indefinitis , ut eos complectatur etiam irrationales , quandoque summos etiam primæ notæ Geometras deduxit ad contentiones veteribus Geometris prorsus incognitas , ubi utraque pars demonstrationibus productis devenit ad conclusiones contradictorias , ut in quæstione de negativarum quantitatum logarithmis : sed ea huc non pertinent .

9. Hic habetur illud : dum punctum F motu continuato per G transit in F', arcus GF positivus abit mutatâ directione in GF' negativum ; at vis gravitatis , quæ tendebat directione rectilinea parallela E'CE , & directione circulari E'GE , agit etiam in F' directionibus iisdem non mutatis in oppositas negativas . Si vis in F', quæ fuerat gravitas tendens deorsum , abiret in levitatem , quæ esset vis negativa respectu gravitatis habitæ ut positivæ ; punctum F' tenderet sursum , & conaretur abire directione circulari GF'E', ac ad illud retinendum in æquilibrio oporteret adhibere eandem curvam MNK pondere Q ipsum retrahente deorsum per

per punctum N, & funiculum NMGF', quantum prius trahebat F sursum. Verum adhuc ibi haberetur alia irregularitas. Quantitas positiva per mutationem continuam nunquam in Geometria abit in negativam, nisi transeundo per nihilum. Hic quidem arcus GF positivus abiret in negativum GF' per nihilum, quod haberetur in G; at nisus gravitatis ad motum circularem non evanescit in G, sed advenit ad suum maximum utique finitum, a quo non potest concipi translatus momento temporis ad æqualem negativum respondentem levitati.

10. Iis itidem omissis progrediemur hic ad determinandas curvas pro telescopio, & pro ponte, agentes per funes, vel funiculos rectilineos, considerando singularum constructiones admodum analogas, ex quibus orientur æquationes. Deinde gradum faciemus ad naturam curvæ pro telescopio respondentem funiculo advoluto lineæ convexæ: ac demum producemus figuras pro illo exiguo veluti curru, cujus ope punctum N connectetur cum trochlea M per funiculum rectilineum.

11. In primis abscindatur GL ex GE, vel E'L' ex E'G æqualis GF, vel E'F': chorda curvæ MN, vel M'N' erit æqualis residuo EL vel GL'; cum enim totus funis FGMN sit idem, ac EGM, demptâ inde parte FGM, hinc LGM ipsi æquali, relinquetur MN = EL: eodem pacto auferendo ex æqualibus F'E'M'N', GE'M' partes F'E'M', L'E'M' æquales, residua M'N', GL' erunt æqualia.

12. Deinde pro æquilibrio oportet, ut pondus totius massæ, vel telescopii, vel pontis ductum in lineolam æqualem illi, per quam ipsius centrum gravitatis ascenderet, si tempusculo infinitesimo haberetur motus circa centrum C, æquetur ponderi exercenti vim in N ducto in lineolam æqualem illi, per quam descenderet id punctum eodem tempusculo, vel illi æqualem. Si F est ipsum centrum gravitatis, & id abeat motu circulari in *f*, abeunte N per arcum curvæ in *n*, concipiantur autem rectæ FI, *fi* perpendiculares radio CE, & NR, *nr* rectæ verticali MP; eæ lineolæ erunt I*i*, & R*r*. Quod si punctum F sit alibi ubicunque in recta, quæ transit per punctum C, & per ipsum gravitatis

centrum; descensus ejusdem centri ad descensum puncti F erit, ut distantia illius ab ipso centro ad rectam CF, adeoque loco producti ex ascensu centri gravitatis, & pondere totius pontis, vel telescopii, poterit assumi productum ex lineola Ii, & alio pondere minore, vel majore in ratione ejus distantiæ ad eam rectam. Id pondus dicatur p, & pondus, quod urget punctum N, dicatur P; eritque quævis lineola Rr, ad lineolam Ii sibi respondentem in ratione constanti p ad P. Quare in eadem ratione erunt etiam totæ lineæ MR, EI, quæ proveniunt ab omnium præcedentium summis. Eadem est demonstratio pro ratione eâdem lineolarum R'r', I'i', si litteris omnibus adhibitis addatur accentus. Sed cum summa omnium I'i' sit CI', non E'I'; rectæ M'R', CI' erunt in illa ratione constanti ponderum p, P, quæ est origo discriminis inter formas, & æquationes binarum curvarum.

13. Inde autem habetur expeditissima constructio curvæ utriusque per puncta. Assumpto quovis puncto I in radio CE, capiatur MR in recta verticali MP quarta continuæ proportionalis post P, p, EI, ducaturque ex R recta ipsi perpendicularis indefinita: centro G, intervallo GF inveniatur in recta GE punctum L: centro M, intervallo EL inveniatur in illa perpendiculari indefinita punctum N. Id erit ad curvam quæsitam; cum nimirum assumpta sit MR habens rationem inventam ad EI, & ostensum sit num. 11, rectam MN debere esse æqualem rectæ EL. Eodem autem pacto assumptâ M'R' quartâ post P, p, CI', invenietur punctum N' centro M', intervallo GL'.

14. Figura est aptata casui, in quo adhibeatur pondus P majus pondere p in ratione 3 ad 2. Verum constructio evadit multo expeditior, si pondus P adhibeatur æquale ponderi p; neque enim erit opus ulla proportione ad inveniendum punctum R, cum sufficiat assumere MR æqualem EI, vel M'R' = CI': facilis autem est inventio puncti L, vel L' centro G, vel E', & intervallo GF, vel E'F', ac inventio puncti N, vel N' centro M, vel M', & intervallo EL, vel GL'; ubi etiam si MP, vel M'P' fiat = CE = CE'; ea erit in hoc casu ultima abscissa,

& iis

& iis ipsis erit æqualis ultima ordinata PK, vel P'K' (*). Nam puncto F abeunte in G, abit eodem etiam L, & I abit in C; adeoque MR abiens in MP evadit = EC, & MN abiens in MK evadit = EG. Cum autem quadratum hujus sit duplum quadrati CE, erit & quadratum MK duplum quadrati MP, nimirum bina quadrata MP, PK æqualia simul binis MP, & proinde quadratum PK æquale uni quadrato MP. Eadem autem est demonstratio pro ultima abscissa M'P', in quam ultimò abit M'R' abeunte ultima CI' in CE', & GL' in GE', cui evadit æqualis ultima M'N' abiens in M'K'.

15. Si pondus P fuerit majus, vel minus quam p, abscissa MP vel M'P' respondens ultimo puncto quadrantis G, vel E debebit esse minor, vel major radio CE in eadem ratione inversa: ordinata autem PK, vel P'K' ipsi respondens, nisi evadat imaginaria, aucto pondere P augebitur, imminuto minuetur, ob MK semper æqualem constanti EG, vel GE', & abscissam MP, vel M'P' in primo casu imminutam, in secundo auctam. Ea in casu ponderis P majoris pondere p, nec poterit evadere impossibilis, nec vero evanescere: at in casu contrario ponderis P minoris evanescet utique, ubi ratio ipsius ad p fuerit eadem, ac ratio lateris quadrati ad diagonalem, sive 1 ad $\sqrt{2}$, ac deinde adhuc magis imminuto eo pondere, evadet impossibilis. Nam in casu ejus rationis evadit MP = EG = MK, evanescente PK, & eadem est demonstratio pro P'K'. Existente autem pondere P adhuc minore, adeoque adhuc auctâ MP, ipsa evadet major quam EG, & intervallum huic æquale translatum in M non pertinget ad P. Non erit possibilis nisi arcus MN, cujus abscissa MR minor rectâ EL sibi respondente excrescat usque ad æqualitatem cum ipsa. Ibi arcus ipse, mutato prius recessu ab axe in accessum, desinet in ipsum; atque arcus circuli EF respondens ei EL erit ultimus limes, ad quem possit ascendere telescopium cum æquilibrio præstito ab illo pondere. Ubi arcus curvæ mutat recessum ab axe in accessum, convexitas, quæ erat objecta directioni gravita-

(*) Id quidem non exprimitur a figura, quæ non respondet æqualitati ponderum, sed illi rationi.

vitatis tendentis deorsum, mutatur in concavitatem. Et quidem multo ante, quam pondera deveniant ad rationem 1 ad $\sqrt{2}$, incipiet alicubi is arcus curvæ mutare recessum ab axe in accessum & directionem curvaturæ respectu directionis, qua agit gravitas, licet non deveniat ad ipsum axem, nisi ubi pondera devenerint ad illam rationem, vel ubi pondus P decreverit adhuc magis.

16. Patet inde, pro telescopio adhiberi posse pondus P quodcumque majus pondere p, pondus ipsi æquale, & vero etiam pondus minus usque ad rationem 1 ad $\sqrt{2}$. Verum præstabit evitare hunc casum ponderis saltem ita minoris, ut haberi debeat ante ascensum ad finem quadrantis ille regressus cum mutatione curvaturæ, qui non habetur nisi infra æqualitatem, ut facile demonstrari potest, & ex ipsa constructione facile innotescit. Æqualitas ponderum reddit constructionem simpliciorem, ut vidimus, nec producit plus æquo ultimam ordinatam PK, quod præstant pondera majora, & evadit incommodum in ea applicatione curvæ, quam adhibebimus inferius.

17. In curva pro ponte non solum evadit impossibilis arcus postremus N'K', ubi pondere P depresso respectu p infra rationem 1 ad $\sqrt{2}$ evadit abscissa M'K' major, quam tota corda circuli E'G, cui deberet esse æqualis chorda curvæ M'N'; verum etiam nisi pondus P fuerit multo majus pondere p, evadit impossibilis etiam ipse arcus initialis M'N'. Cum enim binæ chordæ E'F', GF' simul excedant solum GE', & pars E'L' sit æqualis chordæ E'F'; chorda GF' erit major, quam residuum GL'. Porro accedente puncto F' ad G in infinitum, ex una parte recta CI' accedit in infinitum ad rationem æqualitatis cum chorda GF', & ex altera si concipiatur arcus F'L', qui initio poterit considerari ut recta linea perpendicularis chordæ GE'; angulo L'GF' accedente in infinitum ad semirectum, ratio chordæ GF' ad rectam GL' accedet in infinitum ad rationem $\sqrt{2}$ ad 1. Quare nisi ob augmentum ponderis P respectu p usque ad rationem $\sqrt{2}$ ad 1, vel ultra, minuatur ratio M'R' ad CI', quæ est reciproca rationis eorum ponderum, usque ad eum limitem, vel ultra; intervallum GL'

trans-

translatum in M' non pertinget ad R', adeoque id pondus non poterit incipere esse in æquilibrio cum ponte, nisi pondus P fuerit ad p ut $\sqrt{2}$ ad 1, vel adhuc majus. Id autem patet etiam idcirco, quod in G pons nititur ad descensum tota vi p agente directe, dum pondus P ope trochlearum trahit oblique directione E'G, cujus nisus ad vim absolutam est, ut CE' ad GE', nimirum ut $\sqrt{2}$ ad 1. Porro vis p in ponte, si is trahatur per funem, vel catenam applicatam margini, est circiter dimidium ponderis pontis totius, cujus centrum gravitatis est circa medium: at in telescopio, cui funiculus adnectatur circa centrum ipsum gravitatis, est circiter æquale toti ponderi telescopii. Sed iis jam omissis, progrediamur ad eruendam e constructione curvæ ejus æquationem.

18. Fiat $CE = CE' = CG = 1$, unde fiet $EG = GE' = \sqrt{2}$, tum $M'R' = x$, $R'N' = y$; & factâ ratione ponderum $\frac{P}{p} = m$, erit $CI' = mx$, adeoque $E'I' = 1 - mx$, & chorda E'F', quæ est media inter diametrum EE', & abscissam E'I', $= \sqrt{(2 - 2mx)} = E'L' = GE' - GL' = GE' - M'N' = \sqrt{2} - \sqrt{(y^2 + x^2)}$, habetur æquatio, quæ quadrando eos binos valores ejusdem E'L' evadit $2 - 2mx = 2 + y^2 + x^2 - 2\sqrt{(2y^2 + 2x^2)}$, sive $2\sqrt{(2y^2 + 2x^2)} = y^2 + x^2 + 2mx$. Quadrando iterum, ea demum assurgit ad gradum quartum.

19. At factis $CE = CE' = CG = 1$, adeoque $EG = \sqrt{2}$, $MR = x$, $RN = y$, ratione ponderum $= m$; non CI, sed EI erit $= mx$, & $CI = 1 - mx$. Ductâ FH perpendiculari ad CG, quæ erit $= CI = 1 - mx$, erit $CH = \sqrt{(1 - (1 - mx)^2)} = \sqrt{(2mx - m^2x^2)}$, & $GH = 1 - \sqrt{(2mx - m^2x^2)}$, quæ cum ducta in diametrum $= 2$ æquetur quadrato chordæ GF, sive rectæ GL, erit $GL = \sqrt{(2 - 2\sqrt{(2mx - m^2x^2)})} = EG - EL = EG - MN = \sqrt{2} - \sqrt{(y^2 + x^2)}$. Inde oritur æquatio $2 - 2\sqrt{(2mx - m^2x^2)} = 2 - 2\sqrt{(2y^2 + 2x^2)} + y^2 + x^2$, sive $y^2 + x^2 = 2\sqrt{(2y^2 + 2x^2)} - 2\sqrt{(2mx - m^2x^2)}$. Patet, ad auferendam irrationalitatem oportere post primam elevationem ad quadratum, quæ inducet $y^4 + 2x^2y^2 + x^4$, transferre terminos ratio-

rationales secundi membri in primum, ac iterum quadrare, quod æquationem reddet usque adeo complicatam, & elevatam ad gradum octavum: nec vero æqualitas ponderum prodest quidquam, quæ reddit tantummodo $m = 1$; licet ea reddat constructionem usque adeo magis expeditam.

20. Constructio geometrica multo melius ipsis oculis exhibebit formam integram ejus curvæ, cujus hìc indigemus solo arcu MNK, qui est ejus pars exigua, & sistet animo ipsius naturam, quam æquatio usque adeo complicata. Ipsa autem constructio evadet adhuc multo magis commoda, si pro casu maxime simplici æqualitatis ponderum fiat intra circulum genitori æqualem sequenti pacto. Capiatur (fig. 2) in axe curvæ describendæ MC æqualis radio CE figuræ 1, & centro C describatur quadrans circuli MFG, ducaturque chorda MG. E quovis puncto R ipsius radii ducatur ordinata RF: centro G, intervallo GF inveniatur in chorda GM punctum L: tum centro M, intervallo ML inveniatur in ordinata RF punctum N. Id erit ad curvam quæsitam, quæ desinet in G, punctis P, K figuræ 1 abeuntibus hìc in hæc puncta C, G. Erit enim EI ejusdem figuræ 1 æqualis MR hujus secundæ, ut ibi illius MR. Hinc RF hujus abscindet arcum circuli MF æqualem arcui EF illius, & chorda GF, ac recta GL hujus erunt æquales GF, GL illius, adeoque residuum ML hujus residuo EL illius. Cumque ibi punctum N inventum sit centro M, eo intervallo, ut hìc, in recta RF perpendiculari ad MR; erit punctum N hic idem, ac ibi.

21. Id quidem abunde est pro arcu MNG, qui respondet elevationi telescopii per quadrantem integrum figuræ 1: verum satis patet, locum geometricum integrum debere habere plura alia puncta in quavis linea perpendiculari ad axem MC. Nam in primis recta illa perpendicularis ducta per R, & indefinite producta, occurrit circulo integro, qui totus continet unum locum geometricum etiam in alio puncto analogo huic F. Hinc habebuntur duo intervalla GF. Horum autem singula exhibebunt in eadem recta MG indefinite producta duo puncta L hinc, & inde a puncto G, quæ jam evadunt quatuor. Demum centro M, inter-

intervallo cujusvis ex iis quatuor GL, quæ sit major abscissâ MR, debent inveniri bina puncta N hinc, & inde a puncto R in illa eadem recta perpendiculari, quæ idcirco evadunt 8, & respondent æquationi octavi gradus, cujus generis curvæ secari possunt a recta linea in octo punctis.

22. Patet autem, in curvis respondentibus cuivis rationi ponderum binas rectas RN inventas centro M, & quovis ex iis quatuor intervallis fore æquales inter se, adeoque rectam MC indefinite productam semper fore axem, qui secabit bifariam, & ad angulos rectos omnes chordas jungentes ea punctorum binaria, ac habebit bina dimidia totius curvæ hinc, & inde æqualia. Ubi aliqua ex iis quatuor ML fuerit æqualis abscissæ MR, bini arcus MN positi hinc, & inde ab axe abibunt simul in punctum R, evanescente RN $= y$, ubi earum unio requiret tangentem communem, quod exigit natura continuitatis geometricæ. Ea vel debet esse axis ipse, quod accidit, si ibi habeatur cuspis, vel eidem axi perpendicularis, quod in curva pro telescopio habebitur semper in M, abeuntibus eo simul cum R binis punctis F, binis e quatuor L, nimirum singulis e binis, quæ determinantur per horum singula, ac quatuor punctis N. Ibi nimirum bini arcus pertinentes ad eum locum geometricum contingent rectam perpendicularem axi, quod patet in figura 3 exhibente curvam integram delineatam juxta hanc constructionem. Ibidem videre est binos alios arcus, qui secant axem ad angulos rectos, nimirum in punctis M', M''.

23. Ea puncta omnia inveniuntur ope æquationis numeri 19 factâ RN $= y = 0$ juxta num. 15. Obtinetur enim $x^2 = \pm 2x\sqrt{2} - 2\sqrt{(2mx - m^2x^2)}$, nimirum $x^2 \mp 2x\sqrt{2} = - 2\sqrt{(2mx - m^2x^2)}$, adeoque $x^4 \pm 4x^3\sqrt{2} + 8x^2 = 8mx - 4m^2x^2$, & $x^4 \pm 4x^3\sqrt{2} + (4m^2 + 8)x^2 - 8mx = 0$. Inde obtinentur tres æquationes sequentes.

$$x = 0$$
$$x^3 + 4x^2\sqrt{2} + (4m^2 + 8)x - 8m = 0$$
$$x^3 - 4x^2\sqrt{2} + (4m^2 + 8)x - 8m = 0.$$

Prima æquatio exhibet pro quavis ratione m ponderum punctum ipsum

ipsum M, in quo habetur tangens: reliquæ duæ omnino unam radicem realem singulæ, prior minorem in fig. 3, quæ respondet valori $m = 1$, pro abscissa minore MM', posterior majorem MM'': reliquæ binæ radices singularum æquationum gradus tertii debent esse imaginariæ, cum constructio non exhibuerit nisi tria puncta M, M', M'' habentia ordinatam $\pm y = 0$: semper enim habentur binæ æquales directionum oppositarum: & vero in æquatione non habebatur nisi y^2, quo valore facto $= 0$, habetur $\pm y = 0$. In delineationibus, quæ respondent pluribus aliis valoribus m, adhibui autem plures ad contemplandam miram indolem transformationum, & formas multiplices curvarum inter se admodum diversarum, quæ respondent iis diversis valoribus, inveni aliquando tria tantummodo ejusmodi puncta ut hic, aliquando quinque, quod indicat, non semper binas radices in utraque ex iis binis æquationibus gradus tertii esse imaginarias: idem exhibebit calculus substituenti numeros.

24. Pro figura 3 assumptus est circulus totus MGVg, & chorda MG indefinite producta: tum ductis per multa puncta R assumpta in diametro MCV rectis ipsi perpendicularibus, posita sunt in singularum occursu cum circulo puncta hinc F, inde f: centro G, intervallo quovis GF inventa sunt in eadem chorda puncta, L versus M, & L' ad partes oppositas, ac quovis intervallo Gf puncta l, l': demum centro M, & quovis intervallo ML inventa sunt in recta Ff indefinita puncta N, N' hinc, & inde ab axe, quovis intervallo ML' puncta N'', N''', quovis Ml puncta n, n', quovis Ml' puncta n'', n'''. Obvenit curva, quæ ibi cernitur, quæ quidem bis transit per G, in quod punctum abit in eo casu postremum punctum K figuræ 1 cum punctis L, N figuræ 2, & hujus, adeoque transit etiam per punctum g diametraliter oppositum. Ejus forma ibi apparet admodum elegans: solus autem ipsius arcus MNG, vel MN'g ipsi æqualis, & oppositus, habet usum pro æquilibrio telescopii: reliqui exhibent contemplandam Geometriæ indolem, multo sane jucundiore exercitatione, quam occurrat in complicatis analyseos sublimis formulis illis paginalibus, quæ sæpe obtundunt mentem potius, quam recreent.

25. Por-

25. Porro ea curva contingit rectam perpendicularem axi MV ductam per V in punctis T, t, in quibus ipsi occurrunt chordæ MG, Mg productæ, ac rectam itidem perpendicularem eidem ductam per M in puncto ipso M, & in aliis binis E, e ad distantias ME, Me æquales rectæ MT. Habet nodum in MnM'n'M, ac ibi arcum NMN' tangit simul, & secat: ductus enim continuus totius curvæ habet sequentem litterarum ordinem M'n'MNGTn"EN"GM"gN"'en"'tgN'MnM'. Rectæ perpendiculares axi, quæ ipsi occurrunt ab M ad M', occurrunt curvæ in punctis 8; ab M' ad M" in punctis 6; ab M" ad V in punctis tantummodo 4, radicibus omnibus valoris y respondentis datæ x realibus, donec ipsa est minor, quam recta MM' determinata per primam ex iis binis æquationibus gradus tertii: inde usque ad valorem M'M" respondentem secundæ evadunt imaginariæ binæ: tum usque ad valorem MV $= 2$ fiunt imaginariæ quatuor. Sed si assumatur x vel positiva major, quam 2, vel negativa cujuscumque magnitudinis; fiunt imaginariæ omnes. Facto $y^2 = z$, valor z habebitur per æquationem gradus quarti, cum in illa gradus octavi non debeant occurrere, nisi valores y^8, y^6, y^4, y^2. Fiet autem imaginarius valor y, vel quia aliqua, aut aliquæ ex radicibus z ejus æquationis, vel etiam omnes, erunt imaginariæ, vel quia erunt valoris negativi, quo casu erit realis valor z, imaginarius valor $y = \pm \sqrt{2}$. Verum hæc ipsa reductio æquationis ad gradum quartum pro $z = y^2$ ostendit, binas ordinatas æquales, & contrarias respondere semper cuivis abscissæ, adeoque rectam abscissarum esse axem, quod jam superius constructio ipsa ostenderat.

26. Pro determinandis punctis appulsuum ad axem curvæ æquilibrii pro ponte, facto $y = 0$ in æquatione numeri 18 fiet $\pm 2x\sqrt{2} = x^2 + 2mx$, unde oriuntur tres valores x, nimirum $x = 0$, $x = 2\sqrt{2} - 2m$, $x = -2\sqrt{2} - 2m$, qui præter verticem M, exhibent determinatione usque adeo simpliciore bina alia puncta. Verum in casu, in quo initium arcus infra verticem M' est impossibile, non habebitur ibi ullus arcus pertinens ad eum locum geometricum, sed punctum unicum, nimirum ipsum M'.

M'. Sed jam omissa consideratione ejus curvæ immorabimur non nihil in altera pro telescopio.

27. Constructio pro curva integra etiam extra casum æqualitatis ponderum fiet facile ope integri circuli, adjecto altero, cujus radius MC' in fig. 4 ad radium prioris MC sit ut pondus p ad P. Inventis eodem modo in recta MG indefinite producta punctis L, L', l, l' centro G, intervallo GF, & Gf, producatur MF usque ad novum circulum in F', ac centro M, intervallo MF' inveniatur in eodem circulo punctum f'; ductâque F'f' indefinitâ, inveniantur in hac rectâ illa binaria punctorum N, n, eodem priore centro M, & intervallo ipsius a punctis L, L', l, l'. Demonstratio patet ex eo, quod recta F'f' debet ita occurrere axi in puncto R', ut si MG producta occurrat novo circulo in G', nova abscissa MR' sit ad priorem MR respondentem abscissæ circulari EI figuræ 1 in ratione chordæ MG ad MG', quæ est ratio diametri MV ad MV', sive radii MC ad MC', nimirum ponderis p ad pondus P, ut oportebat, manentibus cæteris pro inventione punctorum N, n per centrum idem M, & eadem intervalla.

28. Figura respondet ponderi P paullo minori pondere p, quam ob causam diameter MV' est major diametro MV: esset minor, si pondus P esset majus. Infinitum esset persequi transformationes omnes curvæ respondentis continuo incremento, vel decremento ponderis P. Multa persecutus sum cum jucunda contemplatione figurarum, quæ per accuratam, & adhuc facilem delineationem obtinentur: easdem facile obtinebit per sese, qui hisce contemplationibus delectetur. Hic ego progrediar ad casum funiculi advoluti curvæ convexæ, in quo ipsa est transcendens, ut indicavimus num. 8. In figura 1, manentibus cæteris, recta EL erit æqualis non chordæ, sed arcui MN, cujus valor non est $\sqrt{(x^2+y^2)}$, sed $\int.\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$, ob N$n$ $= \sqrt{(dx^2 + dy^2)}$. Hinc habebitur æquatio substituendo num. 19 hunc valorem illi, quæ fiet $\sqrt{(2 - 2\sqrt{(2mx - m^2x^2)})} = \sqrt{2} - \int.\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$. Facto $\sqrt{(2mx - m^2x^2)} = z$, fiet $\sqrt{(2 - 2z)} = \sqrt{2} - \int.\sqrt{dx^2 + dy^2}$, adeoque differentiando $\frac{-dz}{\sqrt{(2-2z)}} = \sqrt{(dx^2 + dy^2)}$,

sive

sive $dy^2 = \frac{dz^2}{2 - 2z} - dx^2$. Erit autem $dz = \frac{mdx - m^2xdx}{z}$. Quare $dy = dx\sqrt{(\frac{(m - m^2x)^2}{2z^2 - 2z^3} - 1)}$, ubi cum z detur per x, habetur integratio per series, vel quadraturam curvæ algebraicæ. Sed ea est satis complicata, & aliunde inutilis, cum habeatur alia curva algebraica, & constructionis usque adeo simplicis, ac expeditæ, quæ rem absolvat. Accedit quod omissa est resistentia orta e frictione, quæ non potest esse nimis exigua, & cujus consideratio redderet æquationem curvæ multo magis complicatam.

29. Reliquum est, ut videamus, quomodo appendi possit pondus P illi axi cujusdam velut curriculi, quem indicavimus num. 7, ita ut punctum suspensionis descendat per curvam æquilibrii convexam, & tamen funiculus sit semper rectilineus. In fig. 5 ADB est quadrans muralis, cujus centrum C, telescopium CD, quod convertitur circa id centrum. Ejus tubus in suo centro gravitatis F habet adnexum funiculum tendentem inde ad trochleam G, quæ ad distantiam CG æqualem CF ita debet adnecti, ut telescopium adductum ad positionem horizontalem libere appellat ad ipsam, vel etiam ipsa cochlea collocanda est paullo superius; ut nimirum possit elevari punctum D non nihil supra positionem horizontalem, quod potest habere usum quendam pro verificatione puncti horizontalis quadrantis ipsius per objectum terrestre remotum, & non nihil elevatum supra horizontem, visum & directe, & per reflexionem in aqua, quem usum exposui in Opusculo præcedente. Funiculus ascendit verticaliter usque ad trochleam ampliorem EE affixam muro per virgam ferream QEEQ figuræ 6 inflexam in EE (*). Ejus planum est perpendiculare plano quadrantis, cui advolvitur funiculus in I, tum descendit per rectam itidem verticalem inter quadrantem, & murum, usque ad foramen, quod debet haberi in R in machinamento ligneo HO constructo ex pluribus crassioribus tabulis modo, quem jam exponam, ac descendit usque ad trochleam M affixam intra ipsum ma-

L 2 china-

(*) Virga EE delineata est longior quam in fig. 5 tantummodo ut possit apparere flexio versus murum.

chinamentum, cui trochleæ advolutum abit usque ad punctum N pertinens ad medium axem ejus veluti exigui currus: huic autem, ut itidem mox explicabitur in fig. 7, est adnexum pondus P. Id punctum ope ejusmodi currus descendit per curvam inventam æquilibrii MNK, dum telescopium CD circulari motu ascendit versus positionem horizontalem.

30. Figura 7 exhibet sectionem QRR'Q' verticalem machinamenti HO figuræ 5 factam per ejus punctum N cum ipsius residuo usque ad fundum LOL'. Id machinamentum continetur binis crassioribus tabulis formæ expressæ in ea figura. Debet in iis delineari curva æquilibrii MNK: figura exprimit eam, quæ respondet ponderi æquali; posset autem adhiberi etiam ea, quæ respondet paullo majori, vel minori. In observatorio Mediolanensi adhibui pondus tantillo majus, quod reddidit ultimam ordinatam paullo majorem radio. Id autem est minus commodum, quia sic ipsa evadit major etiam dimidio radio quadrantis GC, adeoque non solum caput machinamenti O, sed ipsa curva excurrit ultra radium CB, qui in positione superius indicata parum distat a muro perpendiculari illi, cui quadrans adnectitur, ne nimirum longior apertura sit necessaria in tabulato superiore, & tecto ad observandas fixas parum remotas a zenith.

31. Latitudo earum tabularum determinatur a binis lineis ductis hinc, & inde ad eandem ubique distantiam ab ipsa linea MNK arbitrariam, sed ejusmodi, ut consulatur firmitati totius operis: procurrit autem utraque hinc ultra verticem M curvæ ipsius in H, inde ultra partem imam K in LOL' ita, ut abeat aliquanto etiam ultra rectam verticalem KK', ut nimirum rotæ exigui currus non impediant appulsum puncti N ad K, & intra intervallum, quod haberi debet inter eas binas tabulas, ut jam videbimus, possit etiam in eo appulsu libere pendere funiculus NP.

32. Binæ tabulæ interiores indicatæ tantummodo in SS' habebant ibi sulcos, per quos debebant descendere binæ rotæ curriculi: quamobrem eæ debebant esse multo minus latæ: erant autem etiam breviores, affixæ per clavos singulæ singulis externis, & habentes formam indicatam in fig. 5 in *abcfed*: terminaban-

bantur singulæ ex parte interiore per curvam *abc* distantem a curva æquilibrii MNK delineata in tabula externa sibi respondente per intervallum tantillo minorem semidiametro rotarum curriculi, æquale nimirum profunditati sulci: eo pacto, superficie rotæ innixâ in fig. 7 superficiei sulci, axiculus respondebat utrinque puncto N curvæ æquilibrii MNK figuræ 5.

33. Altera ex binis tabulis externis, cujus sectio habetur in fig. 7 in Q'R', potest adnecti ipsi muro per clavos: altera expressa ibidem per QR potest distare ab ipsa per intervallum paullo majus axe curriculi N, qui axis connectit binas rotas ita, ut permittat earum motum circularem: pondus P est affixum medio axi in N, ad quod tendit funiculus MN, qui transit libere per intervallum inter eas binas tabulas: intervallum binorum pollicum est abunde. Secunda tabula connectitur cum præcedente per tabulam interpositam in utroque excursu machinamenti ultra curvam versus H, & in LOL', ac ad majorem firmitatem etiam per tabulam minus latam interpositam per totum marginem superiorem usque ad aperturam, quæ debet relinqui supra locum curvæ MNK pro parte superiore rotarum. Ejus crassitudo debet esse æqualis ei intervallo: ipsius sectionem indicat figura 7 in TT'. Porro præstabit efficere nexum tabulæ extremæ cum intermedia TT' in T per cochleas potius, quam per clavos, ut si quid in ipso curriculo, vel in trochlea affigenda in M reparatione indigeat, possit facile aperiri machinamentum ad eam rem.

34. In ea tabula intermedia debet haberi foramen verticale in R ad excipiendum funiculum. Per totum marginem inferiorem utriusque tabulæ latioris debent haberi binæ minus latæ, & minus crassæ in S, & S' cum canali excavato in parte superiore, cui insistant rotæ ita, ut deflecti nequeant in latus: intervallum inter ipsas debet esse paullo amplius, quam sit crassitudo funiculi, cui debet relinqui transitus prorsus liber. Applicato eo machinamento in observatorio Mediolanensi, obtinui quietem telescopii in quavis positione, non obstante ingente ejus pondere. Æquilibrium utique non erat perfectum, quia nec tubus est unica linea, nec trochleæ unica puncta, & funiculus ipse resistit non

nihil

nihil flexioni: at ea omnia ita compensabantur a frictionibus axium, & ab ea resistentia funiculi, ut telescopium, quod, summoto pondere P vix manu sustineri possit prope positionem horizontalem, ubi vis ejus ad descensum est maxima, eo apposito sponte quiesceret, & vi perquam tenui manu impressa promoveretur in partem utramvis. Illud tantummodo cavendum erat, quod in ponte exigente curvam concavam non accidit, ut ubi punctum N jam esset in parte suprema curvæ habente directionem horizontalem, deflexo tubo per manum applicatam ejus margini inferiori punctum N non inciperet moveri, nisi vi exigua illata funiculo prope N traheretur non nihil in latus usque ad sensibilem inclinationem tangentis.

35. Porro illud obtinebatur ope æquilibrii, quod est ejus usus præcipuus, ut in quavis positione telescopii cochlea micrometri externi, qua id promovetur ita, ut filum horizontale adducatur ad astrum culminans, exerceret ubique vim ad sensum eandem, quæ sine eo auxilio gravaretur multo magis in quadrante summo, quam in imo, quod redderet inæqualem valorem partium micrometri.



OPU-

OPUSCULUM VI.

De collocatione, et verificatione ingentis quadrantis verticalis mobilis circa axem verticalem cum alidada, quæ in ingenti circulo horizontali notet azimutha.

1. IN postremo Opusculo Tomi II ostendi maxima commoda, quæ ab hujus formæ instrumento satis magno provenire possunt in universam Astronomiam, ac promisi me in hoc hujusce Tomi Opusculo acturum de ipsius collocatione, & verificatione. Ea commoda huc reducuntur.

I. Ope ipsius, & horologii oscillatorii, potest determinari altitudo poli independenter a refractionibus sine ulla suppositione physica præter æquabilitatem motus diurni intra unicam quamvis revolutionem horarum 24, & actionem refractionum non excurrentem in latus extra planum verticale saltem in altitudinibus supra horizontem non nimis exiguis, de quibus binis suppositionibus dubitari omnino non potest.

II. Possunt determinari sine ullis aliis suppositionibus physicis refractiones omnes, & earum variationes respondentes variationibus barometri, thermometri, & si libeat etiam hygrometri.

III. Possunt determinari ascensiones rectæ, & declinationes fixarum quarumcumque etiam independenter a refractionibus, quod multo facilius fieri potest dependenter ab ipsarum refractionum tabulis, & æque tuto, si refractiones ipsæ ope hujusce instrumenti jam fuerint determinatæ.

IV. Potest ope refractionum jam determinatarum haberi per unicam observationem momentaneam ascensio recta, & declinatio planetæ, aut cometæ cujusvis, quod quantæ utilitatis sit, videbit sane quivis Artronomus. Binarum horarum intervallo obtineri ita possunt commodissime 20, & fortasse etiam 30 observationes ejusdem astri.

2. Quo

2. Quo pacto ii fructus erui possint, ostendi ibidem, demonstrationibus adjectis: illud hic addi potest, id instrumentum gerere vices tam quadrantis muralis, quam quadrantis portatilis: & quidem in eo habetur quoddam genus quadrantis muralis universalis, qui solitis muralibus quadrantibus in eo præstat, quod adhiberi potest in plano verticali directionis cujuscumque, dum quadrantes murales non adhibentur nisi in solo plano meridiani cum directione australi, vel boreali: idem autem præstat quadranti mobili in eo, quod unum e præcipuis usibus ipsius reddat multo meliorem. Is usus consistit in determinatione altitudinum correspondentium, licet ea obtineri possit etiam per instrumentum quadrante portatili multo simplicius: at ope hujusce instrumenti non solum æque facile capiuntur altitudines correspondentes, sed iis substitui possunt azimutha correspondentia, quæ nihil timent a refractionum variatione, dum hæc, si accidat illo plurium horarum intervallo, quod inter observationes binarum æqualium altitudinum intercedit, erroneam reddat ipsam determinationem inde deductam. Oportet ingerere ideam diversarum partium, quibus constat ipsa machina, ac eorum, quæ adjungi debent ad obtinendos varios ejus usus, & exponere methodum obtinendi divisiones accuratissimas, ac persequi ea, quæ pertinent ad verificationes & ipsarum, & collocationis debitæ.

3. Machina debet habere (Tab. IV fig. 1) axem verticalem MN admodum crassum, qui moveri possit in gyrum circa se ipsum: huic in summo vertice debet in positione transversa adnecti regula ferrea admodum itidem crassa ONP: præstabit eam adnectere ad angulos ad sensum rectos in formam crucis, sed ea non est conditio necessaria: binis hujus punctis O, P, & uni puncto axis R posset adnecti quadrans ACB, uti adnectitur muro: verum præstat in utroque casu non adnectere quadrantem cruci, aut muro, sed suspendere e binis illis punctis superioribus methodo, quam innui num. 36 Opusculi III, ac explicabo inferius, & applicare tantummodo ad cuspidem cochleæ transeuntis per ipsum axem ita, ut limbus e parte sui posteriore, vel regula quævis pertinens ad totam compagem quadrantis, ipsam tangat, & contactu suo determinet positionem verticalem ejus plani, dum cochlea rite appli-

plicata modo itidem exponendo inferius in loco alterius e binis superioribus suspensionibus elevando, vel deprimendo ipsum suspensionis punctum, mutet inclinationem omnium linearum pertinentium ad totam eandem compagem motu manente intra idem planum verticale, quo post redactum ad positionem accurate verticalem axem MN reduci possit alter e binis radiis extremis quadrantis ipsius ad positionem accurate horizontalem, & alter ad accurate verticalem. Ipsa autem regula OP fulciri potest binis itidem crassis oblique adnexis in OR, PR. Quadrans ita suspensus in illa cruce nihil differt a quadrante murali, nec ejus usus ab usu illius. Crux gerit vices muri cum hoc solo discrimine, quod hic veluti murus dirigitur ad quamcumque horizontis partem.

4. Idem axis debet habere adnexam alidadam horizontalem DE, quæ pertinget usque ad dimidiam latitudinem fasciæ horizontalis, analogæ horizonti sphæræ armillaris, sustentatæ in quatuor punctis diametraliter oppositis, quorum bina exhibet figura in H, H. Hæc fascia sustinebitur a totidem pilis ferreis IH, innixis binis trabibus itidem ferreis II se intersecantibus ad angulos rectos in K, quæ intersectio facta in plano horizontali perpendiculari ad sectionem verticalem exhibitam a figura, supplenda est per imaginationem. Hæ trabes possunt habere superficiem superiorem in eodem plano cum pavimento speculæ destinatæ pro hoc instrumento: oportet autem innitantur in K fundamento magnæ soliditatis: optimum esset, si id foret intersectio binorum murorum pertinentium ad inferiora conclavia, vel saltem unico muro provenienti a fundamentis totius ædificii. In observatorio Parisiensi (*), in quo summus, & diligentissimus Astronomus Messierius tot observationes egregias instituit, habetur in media scala lapidea ejus turris, cui observatorium est impositum, pro fulcro firmissimo, ei rei maxime opportuno, cylindrus exurgens ex superpositione graduum, qui verticaliter erigitur a fundamentis usque ad observatorium ipsum. Saltem deberet haberi in ipso centro K fornix admodum firmus, qui nimirum deberet sustine-

(*) L' Observatoire de la Marine à l' hôtel de Clugny.

re totum pondus ingentis machinæ, tam id, quod pertinet ad eum limbum, & ejus fulcra, quam id, quod pertinet ad axem, quadrantem, alidadam.

5. Ipsa alidada debet fulciri per regulam ferream obliquam F, & ut minus obnoxia esset flexioni, oporteret ipsi adnectere afferruminatam alteram, cujus facies latæ latis ejus faciebus perpendiculares haberent positionem verticalem: ut etiam, ne nimio suo pondere nimis fortiter apprimeretur ei parti amplioris illius horizontalis circuli, posset ipsi adjungi æquipondium in G, quod hanc machinæ partem contineret in æquilibrio.

6. In centro K ipsi concursui trabium horizontalium II imponenda esset crassior lamina metallica iisdem adnexa habens foveolam concavitatis aptæ ad excipiendam imam superficiem M axis redactam ad sphæricitatem convexitatis paullo majoris, ut nimirum contactus fieret in unico puncto. Posset etiam ibi adnecti ipsi laminæ cylindrus cavus brevis cavitate æquali crassitudini axis, qui intra ipsum immissus inniteretur in unico puncto fundi ipsius habentis superficiem cavam cavitate paullo minore: ejus cylindri latera illa brevia impedirent excursum axis in latus in ipso imo puncto M. Ad imminuendum effectum frictionis, qui in binis superficiebus ex eodem metallo est major, præstaret efformare eam laminam, vel illum cylindrum ex aurichalco, cum axis sit ferreus.

7. Verum posset imminui, & vero etiam impediri penitus omnis effectus frictionis inductæ a gravi pondere axis sustinentis quadrantem, & alidadam hoc alio pacto. Hoc genus instrumenti requirit tectum mobile, in quo habeatur saltem una fenestra, quæ aperta permittat prospectum per telescopium in quadrantem azimuthi cælestis, & vero etiam paullo citra zenith: forma instrumenti permittit, ut apertura fenestræ non pertingat usque ad centrum ipsius tecti mobilis: satis est, si ipsa protendatur ex parte superiore paullo ultra intervallum productionis rectæ BC versus axem, & ex parte inferiore paullo infra productionem radii horizontalis AC. In Mediolanensi specula ego suspendi ipsum tectum innixum cuspidi ferreæ sustentatæ a tribus ferreis perticis affixis late-

lateribus immobilibus, quibus id imminet: eæ tres perticæ ascendunt verticaliter, tum incurvantur, & conveniunt in summo vertice, ac sustinent tectum, quod circa ipsas immotas movetur in gyrum: eo pacto id movetur facillime levi manu, cum libere innitatur ei cuspidi, dum in observatoriis communibus, in quibus id innititur rotulis gyrantibus intra canalem excavatum in superficie horizontali parietum cylindricorum turris continentis instrumenta, ingenti vi opus est ad movendum tectum ipsum: habentur autem in mea suspensione quædam trochleæ horizontales, quæ gyrant circa axes verticales connexos inferne cum ipsis perticis, dum in eas incurrunt coni ipsius latera inferiora, inclinato axe ob defectum accurati æquilibrii, quod induci non potest in molem ingentem unico puncto innixam, vel cito amittitur; eæ trochleæ impediunt progressum inclinationis, nec resistentiam pariunt motui circulari ipsius tecti, dum attactæ identidem a lateribus ipsius gyrantibus gyrant & ipsæ circa suos axes.

8. Uni ex iis perticis, vel nexui omnium trium prope verticem affigi potest trochlea verticalis T, cui advolvatur funis, qui ex una parte descendat usque ad verticem N axis, & ipsum sustineat, ex altera sustineat pondus S paullo levius pondere axis ipsius, & ejus quadrantis, ac alidadæ, quod efficiet, ut attritus in M sit per quam exiguus, & motus circularis totius molis admodum facilis. Potest funis esse duplex a transitu per foramen, quod fiat in ipso axe in N, usque ad quoddam punctum T parum distans a trochlea, qui sibi invicem advolvetur, ac evolvetur, sine periculo dissolutionis, si conversio instrumenti fiat in partes oppositas ita, ut non procedatur ultra dimidiam conversionem in eandem plagam. Verum etiam sine ejusmodi æquipondio non erit nimis difficilis conversio machinæ incumbentis in M unico puncto superficiei cavæ inferioris, & si timendum sit, ne longiore tempore attritus absumat ibi binas superficies, axe descendente non nihil cum alidada, & arcu adnexo, fieri potest, ut lamina inferior in K innitatur trabibus ferreis II per cochleas, quarum ope elevari possit per exiguum illud intervallum, quod respondeat superficiei imæ axis in K consumptæ ab attritu.

9. Ut axis MN acquirat positionem verticalem, eam conservet, & facile recuperet, si forte amiserit, poterit adhiberi quoddam genus veluti fulcri destinati non ad sustinendam molem, sed ad continendam. Quatuor ferreæ columnæ, vel pilæ quadratæ, quarum binas exhibet figura in *ab*, adnexæ horizontalibus illis ferreis trabibus II sustinebunt crassiorem laminam quadratam *bb* ex aurichalco, perforatam in medio per aperturam satis magnam: super hac inter duas regulas horizontales parallelas affixas ipsi poterit promoveri ope cochleæ secunda itidem perforata in medio, & super hac inter alias duas ipsi itidem affixas in directione perpendiculari prioribus poterit ope alterius cochleæ excurrere motu horizontali tertia, quæ habebit foramen circulare bene tornatum, cujus diameter sit æqualis diametro annuli ex eodem metallo accurate itidem tornati, & adnexi eidem axi ferreo in *cc*: is annulus cum toto axe continebitur in debita positione verticali ab ea tertia lamina. Ipsas laminas figura indicat tantummodo; sed facile est mente concipere mechanismum, quo ope primæ cochleæ secunda lamina possit excurrere motu exiguo horizontali inter binas regulas primæ, exempli gratiâ, motu directo a meridie ad septentrionem, ac tertia inter regulas secundæ motu itidem horizontali ab oriente in occidentem, & viceversa. Quo fulcrum ipsum sit magis solidum, poterunt adhiberi ferreæ virgæ *d*, *d* satis crassæ, quæ positione sua obliqua firmiores reddant pilas, vel columellas *ab*. Patet autem, manente puncto contactus M, posse ope earum cochlearum corrigi inclinationem ipsius axis: nam motus ejus circularis circa seipsum facile prodet quemvis minimum defectum positionis relate ad verticalitatem corrigendum per easdem cochleas: is & agnosci, & corrigi poterit, tam ope binorum filorum cum adnexis ponderibus, quam ope unicæ libellæ ex iis, quæ per bullam aeris relicti in cylindro vitreo pleno liquore admodum mobili, indicant positionem horizontalem, quales jam fiunt ita perfectæ, ut sensibilem reddant inclinationem unius etiam secundi.

10. Pro prima methodo satis est affigere binas cuspides binis punctis assumptis in binis lateribus ipsius axis distantibus a se invi-

vicem per quadrantem circuli, qui orietur e sectione horizontali ejus figuræ cylindricæ: in parte inferiori debent iis respondere binæ lamellæ verticales affixæ eidem axi paullo supra annulum *cc*, quarum singulæ habeant suum tenue punctum, per quod filum ipsi respondens debeat transire tum, cum axis obtinet positionem accurate verticalem: oportet autem ita collocare lamellas ipsas, ut possint non nihil promoveri in latus, antequam ad fixitatem reducantur. Adducto per gyrum axis filo altero ad directionem respondentem alteri e binis cochleis, quæ annulum *cc* promovent per alteram e binis laminis, in quam ea agit, debet promoveri lamella ipsa ita, ut ejus punctum tegatur a filo sibi respondente: factâ dimidiâ conversione, si filum non transeat per idem punctum, patebit, haberi inclinationem axis in positione perpendiculari ad diametrum semiconversionis ejusdem: promovebitur lamella ita, ut adducatur id punctum ad distantiam a filo dimidiam intervalli notati, & ope cochleæ perpendicularis illi eidem diametro ita inclinabitur axis, ut id filum transeat per eam novam positionem puncti ejusdem: factâ semiconversione in partem contrariam, filum debebit congruere cum eodem puncto, si illud dimidium assumptum fuerit accuratum: secus, notabitur novus recessus fili a congruentia cum eo puncto, qui erit utique multo minor priore, & facto motu lamellæ per dimidium ejus novi intervalli, ac repetitâ operatione priore, devenietur post duo, vel tria tentamina ad eam positionem axis, & lamellæ, in qua filum in initio, & in fine ejusdem semiconversionis factæ in ea directione congruat accurate cum eodem puncto. Præstitâ eâdem re relate ad filum alterum, patet, axem fore accurate verticalem, & si ambæ laminæ firmentur in ea positione, quotiescumque deinceps axis per eas cochleas reductus fuerit ad congruentiam utriusque fili cum suo puncto, recuperabit suam verticalitatem, quam ob aliquam accidentalem causam amiserit.

11. Pro secunda methodo imponenda erit libella alidadæ, & hac adductâ ad positionem alterius e cochleis inclinantibus axem, basis libellæ erit reducenda ad horizontalitatem ope cochleæ ad id destinatæ: factâ semiconversione, si bulla aeris non redeat ad locum

locum debitum, inclinabitur axis ope cochleæ respondentis ei positioni ita, ut bulla abeat ad dimidium distantiæ inventæ, & redactâ basi libellæ ad horizontalitatem in ea nova positione axis, fiet semiconversio, corrigendo iterum, si bulla non obtineat post semiconversionem locum debitum: post pauca tentamina devenietur ad positionem axis, in qua bulla obtineat locum debitum tam in initio, quam in fine semiconversionis factæ in ea directione: re præstitâ relate ad semiconversiones respondentes alteri cochleæ, obtinebitur positio verticalis quæsita.

12. Id fieri poterit, licet alidada non sit accurate perpendicularis axi: si ea habeat aliquam obliquitatem, poterit basis libellæ reduci ad horizontalitatem, etiam interpositis cuneis inter ipsam, & superficiem alidadæ ipsius. Illud quod est omnino necessarium ad eos alidadæ usus, est nexus ipsius cum axe ita firmus, ut, hoc ad verticalitatem redacto, omnia ipsius puncta describant circulos accurate horizontales, quod utique fiet, si juxta numerum 5 fulciatur alidada ipsa per regulam obliquam F, & ei adnectatur ad angulos rectos regula altera satis lata, cujus longitudo sit ipsi horizontaliter applicata, latitudo vero sit verticalis ita, ut eorum superficies latitudinales sint sibi invicem perpendiculares, hæc secunda impediet & curvaturam, & tremorem incertum illius primæ. Tum ope ipsius actæ in gyrum poterit reduci ad horizontalitatem accuratam illa fascia ferrea lata analoga horizonti sphæræ armillaris, quæ debet applicari suis quatuor fulcris in punctis H. Explorabitur ope cunei micrometrici descripti in Opusculo II distantia punctorum ipsorum H a productione superficiei alidadæ ipsius, quæ facile fiet adnectendo ejus superficiei superiori ope ceræ tabellam planam, quæ excurrat ultra ipsam: iis punctis ab ea æqualiter distantibus, erunt eadem accurate posita in eodem plano horizontali, ac fascia ipsa, quæ sit satis solida, & accurate redacta ad idem aliquod planum, imposita iis fulcris ita redactis acquiret horizontalitatem.

13. Porro ipsa fiet solida, si sit satis crassa, & multo magis, si per totam circumferentiam fulciatur regulis verticalibus satis latis ipsi verticaliter adnexis: reducetur autem ad superficiem accura-

curate planam, si ante collocationem super iis fulcris imponatur mensæ ingenti bene complanatæ, cujus planities explorata sit per congruentiam regulæ rectæ satis latæ, ut ejus longitudine disposità in situ horizontali, & latitudine verticaliter erectà, non possit incurvari in medio a suo pondere. Ipsa autem fascia poterit etiam fieri divisa in quatuor partes, quæ affigantur singulæ in binis suis extremis punctis binis fulcris hinc, & inde per cochleas: multo enim facilius tractabuntur, quam integra fascia circularis, & comparabuntur cum mensa bene complanata. Multo adhuc tutius explorabitur, an fascia tota sit in eodem plano horizontali, si adhibeatur canalis ligneus circularis cum cymbula ejus formæ, quæ habetur itidem in Opusculo II (Tab. I fig. 10, 11, 12).

14. Huic fasciæ potest superinduci limbus, qui a perito artifice dividatur eodem pacto, quo dividuntur limbi ingentium quadrantum, & adnecti eodem modo alidadæ nonius, adjectà pro determinatione arcuum, ut ibidem, cochleà micrometri externi, quæ promovendo alidadam ipsam motu lentissimo, exhibeat subdivisiones. Fieri potest verificatio earum divisionum per inæqualitates chordarum, eàdem methodo, quam exposui in Opusculo I pro quadrante. Valor absolutus primus ibi habebatur per comparationem chordæ graduum *60* cum radio, hìc haberi potest per comparationem quatuor chordarum totidem arcuum, qui debent continere gradus *90*. Differentia binarum ex iis chordis, quæ deberent esse æquales inter se, multiplicata per secantem dimidii arcus, nimirum per secantem graduum 45, quæ est = 1,414, exhibebit differentiam arcuum juxta id, quod ibidem est demonstratum, & summa excessuum arcus primi ex illis quatuor supra tres reliquos divisa per 4 exhibebit errorem ejusdem primi: dempto autem ejus excessu supra quemvis alium e tribus reliquis ab ejus errore, habebitur error ejus alterius. Correctio puncti borealis, a quo potest desumi initium azimuthorum computandorum in horizonte, facile obtinebitur sequenti pacto. Correcto plano quadrantis, ut in Opusculo II, & positione ipsius redactà ad planum meridiani, ut in Opusculo III, notentur azimutha indica-

dica-

dicata ab alidadâ in binis, vel ternis positionibus quadrantis ipsius parum remotis a positione Meridiani æstimata cum temporibus appulsuum fixæ cujuspiam ad filum, quod in foco objectivi est perpendiculare filo horizontali. Cum innotuerit per altitudines correspondentes, quo momento temporis ea fixa appulerit ad meridianum, innotescet utique, quod punctum circuli horizontalis alidada indicaverat eo momento. Ejus puncti distantia a puncto, quod est in ipso horizontali circulo notatum pro initio azimuthorum per zero, erit error puncti ejusdem male notati addendus omnibus azimuthis, qui deinde ab eadem alidada indicabuntur, vel ab iis demendus.

15. Verum hîc tradam methodum, qua Astronomus ope artificis communis possit ipse per sese obtinere divisionem horizontis accuratissimam, & sine usu altitudinum correspondentium obtinere positionem primi puncti borealis carentis omni prorsus errore. Adhibebuntur ad eam rem vigintiquatuor lamellæ ex aurichalco, quarum singulæ habebunt singula punctula notata: earum prima collocabitur accuratissime methodo exponendâ in puncto boreali, tum alia in puncto diametraliter opposito: binæ in punctis æque distantibus ab iis oppositis: quatuor in punctis intermediis, quæ jam distabunt ab iis per gradus 45: binæ aliæ in singulis ex iis intervallis positæ ad distantias accurate æquales perficient divisionem circuli horizontalis in 24 arcus graduum quindenorum: eæ cum arcu circulari graduum 15 adnexo alidadæ in E, & quodam genere micrometri, cujus formam, & usum hîc indicabo, exhibebunt omnia azimutha, & angulos azimuthales. Indicabo, inquam; si enim singula singillatim exponenda essent, integrum satis magnæ molis opus requirerent. Hinc ego proferam præcipua quædam lineamenta, quæ brevem ideam ingerant totius methodi, maximâ parte, ut supra etiam innui, relictâ ingenioso Astronomo supplenda ab ipso, qui artificem dirigat, & industrio artifici, qui exequatur.

16. Dimidia latitudo ejus fasciæ horizontalis occupabitur ab arcu adnexo alidadæ, dimidia exterior ab hoc genere limbi immobilis efformatu ab iis lamellis, & a regulis ipsas continentibus: ordiar

diar ab harum forma, dispositione, collocatione. Sit in fig. 2 AA arcus circuli exterioris ejus fasciæ, BB circuli interioris, EE intermedii inter partem latitudinis occupatam ab arcu affixo alidadæ & mobili cum ipsa, qui ei imminebit, & partem reliquam, cui adnectendæ erant laminæ continentes easdem lamellas affixas ipsi fasciæ. Figura exprimit unam ex ipsis lamellis interpositam in I inter duas laminas DD, FF, quæ dum comprimunt binas ejus partes procurrentes infra supremam earum superficiem versus margines AA, EE, illas tegunt. Melius apparet forma tam laminarum comprimentium, quam lamellæ compressæ in figura 3, quæ exprimit sectionem verticalem factam per punctum I directione perpendiculari ad arcus AA, EE figuræ 2 per totam crassitudinem tam ipsius lamellæ compressæ, & laminarum comprimentium, quam subjectæ fasciæ, in qua apparent etiam positiones cochlearum comprimentium. Toti crassitudini sectæ est æqualis altitudo AA', & EE' sectionis expressæ in figura 3, & AE, A'E' sunt ibidem æquales intervallo AE figuræ 2, quæ est dimidia latitudo fasciæ destinata hisce lamellis, & laminis. MNOPP'O'N'M' est forma lamellæ compressæ habentis punctum I in media longitudine MM' suæ superficiei supremæ directæ versus centrum commune circulorum, quod est in axe figuræ 1. AQPONM est forma laminæ comprimentis exterioris, EQ'P'O'N'M' forma interioris, AQQ'E' est sectio fasciæ subjectæ. Hujus superficiem lamella compressa contingit in PP': eandem laminæ comprimentes contingunt in QP, Q'P': hæ apprimuntur fasciæ per cochleas DD', FF', & comprimunt lamellam in ON, O'N'. Dum cochleæ adstringuntur per conversionem suam, lamella I remanet immobilis in figura 2; sed iis laxatis non nihil, ea potest vi illatâ per digitos moveri in latus, ut adducatur ad positionem sibi debitam, qua acquisita redditur immobilis per actionem cochlearum.

17. Ad eam positionem ipsas lamellas adducet Astronomus, sed ipse debebit antea dirigere artificem, ut omnia debito loco disponat, & præparet. Notanda sunt crassâ æstimatione puncta ejus horizontis, per quæ transit linea meridiana, & crassâ itidem æstimatione notanda puncta intermedia, quæ ab iis distent per gra-

dus 90, tum ea, quæ singulos quadrantes secant in partes sex circiter æquales: præparandæ laminæ DD, FF figuræ 2 habentes longitudinem plurium graduum, multo majorem errore, qui in ea crassa æstimatione intervallorum committi possit: excavanda in iis foramina pro cochleis, & itidem excavanda duo alia, quæ debent respondere ipsis in fascia subjecta hinc, & inde a puncto quovis ejusdem crassæ divisionis ad distantias circiter æquales, ut nimirum possit deinde lamella ipsa adduci ad positionem debitam puncto I inveniendam ab ipso Astronomo: tum enim ea positio ita cadet inter cochleas D, D, & F, F, ut iis laxatis possit ad eam ab ipso Astronomo adduci lamella. His ita dispositis, & collocatis lamellis, ac laminis, reducenda sunt omnia ad idem planum horizontale, saltem facies lamellarum, quæ debent continere puncta I, ope fili ferrei cymbulæ innatantis in canali, & cunei micrometrici, abradendo per limam quidquid extet supra ejusmodi planum, qua re peractâ debebunt tum demum insculpi punctula I cuspide tenui, ac bene rotanda, quæ possunt adhuc accuratius rotundari circumductâ cuspide eadem circa se ipsam.

18. Pro earum 24 lamellarum collocatione debita incipiendum ab illa, quæ debet exhibere punctum boreale. Ad eam rem obtinendam poterit adnecti superiori superficiei alidadæ lamella metallica, vel etiam tabella tantummodo lignea, & nexu facto tantummodo ope ceræ, procurrens ultra ipsam, & habens in eo procursu aperturam, per quam transpici possit lamella figuræ 3 cum ipsius puncto I: hujus tabellæ superficies inferior continget superficiem laminarum DD, FF figuræ 2: contingeret etiam superficiem lamellæ I, nisi ipsi responderet apertura. Huic aperturæ applicabitur in ima sui parte filum tenue in directione tendente ad centrum axis ita, ut id filum fere contingat superficiem ipsam I, vel potius adnectetur vitrum planum politum, cujus superficies inferior sit in contactu cum superficie eadem I, & habeat insculptam tenuem lineam directionis ejusdem. Tum alidada motu circulari adduci poterit ad concursum ejus lineæ cum puncto I ita, ut teste microscopio, quo ipsum apparebit ut circellus, transeat per medium ipsum circellum. Usus tabellæ pro collocatione singula-

gularum lamellarum erit brevis, quod permittit, ut ipsa tabella sit etiam lignea, & non applicetur alidadæ nisi per ceram, nec ipsi applicetur ea lamella vitrea, nisi itidem ope ceræ.

19. Rite præparatis iis omnibus, diriget Astronomus suum quadrantem versus aliquam fixam circumpolarem notabilem non ita parum distantem a polo, jam proximam maximæ elongationi a plano meridiani vel orientalem, vel occidentalem, & illam comitabitur usque ad ipsam elongationem maximam: in ea positione quadrantis assumet unam e lamellis jam præparatis detractam ex uno e 24 locis, in quibus aptatæ fuerant ad complanandas superficies omnes, & reducendas ad planum horizontale, & adducet ad locum alidadæ, ac sub ipsam propellet ita, ut filum tabellæ adnexæ alidadæ ipsi, vel linea illa superficiei vitri transeat accurate per ejus punctum, ac in eo situ adnectet lamellam ipsam superficiei fasciæ horizontalis ope ceræ. Idem præstabit ex parte opposita in appulsu ejusdem fixæ ad alteram elongationem maximam. Iis præstitis collocanda supererit inter eas lamellas tertia cum suo puncto ita, ut hoc habeat distantiam accurate æqualem a punctis præcedentium binarum: patet enim, tam id punctum fore accurate in puncto boreali fasciæ horizontalis. Porro hæc tertia jam invenietur collocata in loco, quod jam innotuerat esse proximum debito, in quo jam fuerat collocata cum laminis ipsam comprimentibus, quarum cochleis laxatis non nihil, ea poterit propelli in latus, quantum oportebit ad obtinendam æqualitatem earum distantiarum.

20. Ad inducendam eam æqualitatem oportebit adnectere axi alteram alidadam, quæ cum non debeat habere usum, nisi pro sola prima collocatione singularum e 24 lamellis in locis debitis, poterit esse etiam lignea: ejus formam indicat figura 4 in ABCFHIKL. Ipsius superficies AB, LK, CF, IH sunt horizontales, BC, HF verticales, ut licet discedat a punctis axis AL positis infra locum D prioris alidadæ, elevetur ad eandem altitudinem cum ipsa, & sua superficie IH innitatur parti interiori latitudinis fasciæ (fig. 2) EBBE, ac sustineat hic in O tabellam perforatam habentem suum filum, vel laminam vitream habentem suam lineam insculptam, quæ juxta num. 18 contingat facie sua inferiore super-

ficiem superiorem lamellæ, ad cujus punctum I debeat applicari id filum, vel ea linea. Ea alidada debet ita adnecti in AL axi, ut eo gyrante comitetur ejus motum, & contineat constanter cum priore alidada angulum eundem nexu satis firmo, ne descendat secus longitudinem axis ipsius versus M, nec per simplicem motum ejus circularem mutet positionem respectu ipsius, adhuc tamen possit vi illata ab Astronomo mutare angulum, quem continet cum priore alidada, qui debebit illam aliquando dirigere etiam ad partes diametraliter oppositas directioni alidadæ prioris, tum ad angulos plures cum ipsa, quorum minimus erit graduum 15: ad nimis exiguos adduci non poterit, quia pars postrema CF habens eandem elevationem cum alidada priore in ipsam incurreret: sed cum angulis minoribus angulo graduum 15 non sit futurum opus, illa elevatio non oberit positionibus, quibus indigebimus. Nullam determinatam methodum hic exprimo in figura: plures haud difficulter concipi poterunt, quæ rem perficiant ope armillarum constantium, pluribus frustis conjungendis ope cochlearum in unicam circularem integram circumducendam axi jam etiam collocato, & habenti suum quadrantem, & suam priorem alidadam: verum in usu hujus secundæ alidadæ pro determinandis positionibus lamellarum indigebit Astronomus adjutore, qui axem teneat immotum cum priore alidada, dum imprimitur motus circularis secundæ ad obtinendam hujus inclinationem respectu illius, qua opus erit ad operationes, quæ proponentur.

21. Habebuntur pro hac prima operatione binæ lamellæ collocatæ in locis binarum maximarum elongationum, quæ debebunt remanere immotæ, dum quæritur collocatio accurata tertiæ collocandæ in medio, quæ, ut diximus, ita jam erit collocata, ut non multum distet a loco accurate intermedio, possit autem vi illatâ moveri in latus ob laxatas cochleas, quibus comprimebatur. Adducetur altera alidada, ut prima, ad congruentiam accuratam cum puncto alterius e binis lamellis fixis, ut lamellæ occidentalis: tum hac immotâ cum axe adducatur alidada secunda ad congruentiam cum puncto lamellæ intermediæ: convertatur axis donec secunda alidada adveniat ad accuratam congruentiam cum puncto lamellæ orien-

orientalis, & si binæ distantiæ lamellæ intermediæ ab extremis non fuerint accurate æquales, ut nunquam erunt primo casu fortuito, linea alidadæ primæ non erit accurate congruens cum puncto lamellæ intermediæ. Notetur distantia, & moveatur lamella intermedia in latus per dimidium intervalli notati, ut ejus punctum adducatur ad distantiam eandem a binis extremis, quæ erit jam accurata positio, si illud dimidium fuerit accuratum: sed ut certo constet, an acceptum sit accuratum dimidium intervalli notati, & si tale non fuerit, fiat nova correctio, adducatur per motum axis iterum prima alidada ad punctum occidentale, & axe immoto secunda ad punctum lamellæ intermediæ: tum per motum axis eadem secunda ad punctum orientale, & jam linea primæ alidadæ vel congruet accurate cum puncto lamellæ intermediæ, vel distabit ab ipsa multo minus quam primâ vice. In hoc secundo casu moveatur iterum secunda lamella per dimidium novi hujusce minoris intervalli, & repetitâ priore operatione devenietur post pauca tentamina ad æqualitatem accuratissimam binarum distantiarum lamellæ intermediæ ab extremis.

22. Si prima alidada jam habuerit suum micrometrum externum cum cochlea, quæ ipsi imprimat motus lentissimos, & exhibeat ope indicis quantitatem motus ipsius; multo facilior erit accurata determinatio intervalli inventi in prima operatione, cujus dimidio accurate assumpto pro motu laterali lamellæ intermediæ, remanebit accurate correcta ejus positio post ipsam primam operationem, nec jam supererunt alia tentamina iteranda. Habitâ autem hac vel per primam operationem, vel per plures, poterit reddi fortiter fixa ipsa lamella intermedia ope cochlearum adstringentium ipsi laminas DD, FF figuræ 2, nisi forte Astronomus velit confirmationem majorem suæ determinationis, adhibitis binis maximis elongationibus plurium fixarum habentium diversas distantias a polo, quarum omnium determinationes si consentiant, id erit argumento etiam plani quadrantis accurate talis, & accurate verticalis, ac axis telescopii accurate paralleli axi conversionis, quæ conditiones si desint, vel etiam una ex iis, determinationes habitæ per diversas fixas erunt inter se discrepantes. Fixatâ hoc pacto

po-

positione ejus lamellæ, debebunt removeri illæ binæ, quæ fuerant adnexæ per ceram.

23. Habitâ accuratâ positione primæ lamellæ borealis, jam erit facilis determinatio oppositæ australis. Adductâ primâ alidadâ per conversionem axis ad eam primam lamellam, & positâ secundâ in loco australi proxime cognito, adducetur ad ipsum alidada secunda: fiet dimidia conversio adducendo alidadam secundam ad lamellam primam, & si prima alidada non congruat accurate cum lamella secunda australi, moveatur hæc in latus per dimidium intervalli notati: adducatur iterum alidada prima ad primam lamellam per motum axis: hoc immoto adducatur alidada mobilis ad novam positionem lamellæ secundæ: tum alidada secunda per motum axis ad lamellam primam, & si alidada prima nondum congruet cum secunda lamella, repetitâ operatione devenietur ad æqualitatem binorum semicirculorum eodem pacto, quo deventum est ad æqualitatem binarum distantiarum lamellæ primæ ab illis binis, quæ fuerant determinatæ a binis elongationibus maximis ejusdem fixæ in orientem, & in occidentem.

24. Eodem pacto collocabuntur, singulæ ad distantias æquales a binis jam collocatis, binæ aliæ lamellæ, altera orientalis, & altera occidentalis: tum inter binas quasque e quatuor jam collocatis singulæ distantes ab iis per gradus 45: collocandæ supererunt inter binas quasque jam collocatas binæ aliæ ita, ut tres distantiæ evadant æquales: id jam requiret longiorem attentationem, si nullum adhuc habeatur præsidium, quo accurate obtineri possit exacta mensura motus circularis exigui, qui imprimatur alidadæ primæ, quæ debet remanere constanter, & firmissime connexa cum axe, & adhiberi in omnibus astronomicis observationibus ad determinandos angulos azimuthales. Adhibetur in omnibus instrumentis destinatis ad mensuram angulorum cochlea ita collocata, ut lento motu promoveat alidadam, ut in quadrantibus, & sextantibus: ei cochleæ potest adjungi index, qui in circulo perpendiculari ad ipsum axem exhibeat partes cujusque revolutionis, numeratis integris revolutionibus, dum ea adhibetur ad præstandum ejusmodi motum exiguum, nisi addatur alter index promotus a

sin-

singulis revolutionibus per intervalla æqualia indicata a lineolis insculptis secus motum indicis ipsius, qui duo indices constituunt micrometrum, quod superius numero 22 appellavi externum, ad discrimen ab eo, qui metitur motum fili interni excurrentis in foco objectivi per imaginem objecti ibi depictam.

25. Ope hujusmodi micrometri externi res facile perficitur etiam sine ulla attentatione: collocentur binæ lamellæ inserendæ inter illas duas jam positas in locis proxime cognitis, quæ ipsis debentur, & jam notata esse diximus per crassam æstimationem cum foraminibus præparatis pro cochleis, quæ laminas comprimentes debent adstringere, & operatione absolutâ firmiter adjungere lamellas ipsas fasciæ horizontali. Quatuor lamellæ terminabunt hasce tres distantias, quæ debent esse æquales, quarum binæ extremæ jam sunt collocatæ, & firmiter adnexæ, binæ intermediæ erunt adducendæ ad loca sibi debita distantiarum accurate æqualium: appellatâ utrâvis ex extremis primâ, adducatur alidada prima ad hanc primam per motum ipsius connexum cum axe; tum eâ immotâ adducatur alidada secunda motu impresso ipsi soli ad secundam lamellam ita, ut ejus filum, seu linea vitrea congruat accurate cum ipsius lamellæ puncto, quod semper intelligi debet, ubi præscribitur, ut alidada adducatur ad lamellam: alidada prima motu suo connexo cum motu axis adducatur ad secundam lamellam, & si secunda alidada non congruat accurate cum lamella tertia, imprimatur ope micrometri externi motus primæ connexus cum motu axis usque ad congruentiam accuratam secundæ alidadæ cum eadem tertia lamella, & notetur numerus particularum ejus motus, qui indicabit differentiam arcuum interceptorum inter lamellam primam, & secundam, ac secundam, & tertiam: eodem pacto invenietur differentia arcuum, qui intercipiuntur inter primam lamellam, & secundam, ac inter tertiam, & quartam: habitis iis differentiis invenitur error absolutus primi ex iis tribus arcubus methodo proposita, & demonstrata in Opusculo primo pro quovis numero partium, quæ deberent esse æquales, & non sunt, quam methodum applicavimus hìc numero 14 ad divisionem circumferentiæ integræ in quatuor quadrantes. Fiat sum-

summa binorum excessuum primi ex iis tribus arcubus supra secundum, & ejusdem supra tertium, habitâ differentiâ pro negativâ; si ipse primus arcus evaserit minor obveniente defectu pro excessu: triens ejus summæ erit error absolutus quæsitus primi arcus: is corrigetur reductâ primâ alidadâ ad primam lamellam, tum secunda ad secundam, promotâ primâ per numerum particularum micrometri externi respondentem errori invento, quo motu jam secunda alidada non congruet cum secunda lamella: hæc lamella promovebitur usque ad congruentiam cum secunda alidada, & habebitur accurata positio secundæ lamellæ. Ad habendam positionem tertiæ reducatur prima alidada ad congruentiam cum prima: tum secunda alidada per motum suum immotâ primâ ad congruentiam cum secunda lamella: deinde prima alidada ad secundam lamellam, & immotis alidadis tertia lamella ad congruentiam cum alidada secunda, quæ debebit esse ejus positio accurata. An reapse sit, videbitur adductâ per motum axis primâ alidadâ ad tertiam lamellam: secunda debebit accurate congruere cum lamella quarta. Si non congruat, triens intervalli inter lineam alidadæ secundæ, & punctum lamellæ quartæ erit residuus error singulorum e præcedentibus binis arcubus, qui deberent esse æquales inter se, & cum tertio: is corrigetur per motum secundæ lamellæ respondentem ei errori, qui corrigetur facile eâdem methodo, adhibendo motum primæ alidadæ cum axe, & secundæ immoto axe: & verificabuntur correctiones, videndo, an cum eadem positione respectiva binarum alidadarum congruant singuli e tribus arcubus interceptis inter lamellas proximas. Peractâ omni hac operatione, summovenda est alidada secunda, quæ fuerat apposita tantummodo in ejus gratiam.

26. Jam vero arcus affixus alidadæ primæ permanenti indicatur in fig. 2 per quadrilineum GHHG adnexum ipsi in L, cujus extremum est ML: id imminet parti interiori EBBE fasciæ horizontalis: habet arcum *ab* divisum in gradus 15 per puncta: quoniam vero unus gradus circuli habens radium pedum sex est longior uno pollice, & multo magis gradus circuli habentis radium pedum octo, possunt facile haberi subdivisiones in quina etiam minu-

nuta: multo autem facilius est habere arcum 15 graduum accurate divisum, & ipsius divisiones multo minore labore verificantur. Fieri autem potest micrometrum, cujus ope promoveatur filum habens directionem tendentem ad centrum eorum circulorum, quod micrometrum applicetur per cochleam prementem laminæ metallicæ habenti flexum circularem conformem parti OHHO superficiei arcus adnexi, cui ea debet ita adnecti, ut ipsius plano perpendiculariter insistat ejus latitudo. Id micrometrum habebit laminam horizontalem perforatam cum filo ipsi affixo in directione tendente ad centrum eorum circulorum, vel laminam vitream cum linea recta insculpta, quæ eam directionem habeat. Ipsa micrometri machinula applicari poterit cuivis parti totius longitudinis OHHO promota secundum ipsam, & firmiter adnexa ubicumque libuerit: lamina autem ita intra machinulam ipsam erit aptata, uti fit in micrometris, quæ solent applicari telescopiis pro promovendo filo perpendiculari in eorum foco, ut filum illud, sive illa vitri linea per motum communicatum ipsi vitro progrediatur motu lentissimo inducto a cochlea, cujus motus perquam exigui exhibeantur a duplici indice, altero denotante numerum revolutionum de more, altero partes revolutionis cujusvis.

27. Cum alidada habeat arcum graduum 15, & in singulos quindenos gradus habeantur lamellæ I, patet, post quamvis observationem peractam debere aliquod ex iis punctis respondere ei arcui. Adducto illuc micrometro, & ita aptato, ut filum sit proximum ei puncto, poterit ope cochleæ micrometricæ adduci id filum ad accuratam congruentiam cum puncto eodem, adhibito etiam microscopio, si libeat, cujus applicatio ad eum usum est admodum facilis: si idem filum transeat per aliquod e punctis divisionis *ab*, numerus graduum, & minutorum contentorum ab initio divisionum *a* usque ad filum ipsum addendus erit numero respondenti illi puncto I ad habendum azimuthum: si nullum punctum ejus divisionis accurate respondeat ei filo, vel lineæ, promovebitur ope cochleæ filum ipsum usque ad congruentiam, & partes micrometri exhibebunt valorem intervalli addendi ad habendam accuratam determinationem azimuthi.

28. Idea aliqua methodi, qua adnecti possit micrometrum alidadæ per laminam verticaliter inhærentem superficiei OHHO figuræ 2, habebitur in fig. 5, quæ exprimit sectionem verticalem totius machinamenti factam per medium micrometri ipsius, perpendicularem directioni arcuum circularium: hinc superficies chartæ exprimit in figura 2 planum horizontale, in figura 5 verticale ipsi insistens, cujus longitudines sunt perpendiculares longitudinibus illius, & æquales ejus latitudinibus, latitudines autem hujus æquales crassitudinibus illius. AA'B'B est sectio totius fasciæ figuræ 2, cujus sectionis latitudo AA' in fig. 5 est eadem, ac in fig. 2 crassitudo fasciæ ipsius, longitudo autem AB hic eadem ac ibi latitudo AB ejusdem fasciæ: BDCO est sectio laminæ verticalis insistentis superficiei OHHO figuræ 2, cujus latitudo OB est hic eadem, ac ibi crassitudo illius OH: OO'P'P est hic sectio machinulæ micrometri, quæ est quædam capsula, in cujus latere verticali parallelo ei sectioni expressæ a figura habetur circulus hic non expressus, per cujus centrum transit cochlea perpendicularis sectioni eidem, adeoque horizontalis, denotans per suum indicem in eo circulo partes cujusvis suæ revolutionis. Si ipsi capsulæ in medio lateris perpendicularis huic sectioni adnectatur norma O'KLNQC satis crassa ad habendam in medio suæ ipsius crassitudinis cochleam FG: eâ premente latus BD laminæ ipsius, applicabitur facies OO' ejusdem capsulæ perpendicularis sectioni ad latus alterum OC laminæ ejusdem ita, ut ipsi firmissime adhæreat. Laxatâ autem cochleâ FG, poterit capsula jam libera ab ea pressione cum norma sibi adhærente promoveri secundum totam longitudinem ejus laminæ, nimirum secundum totam longitudinem arcus OO figuræ 2, ut filum, quod intra ipsam promovetur in ejus fundo, respondeat tam cuivis e divisionibus arcus *ab* figuræ ejusdem, quod in observatione inveniatur e regione puncti I, quam huic ipsi puncto.

29. Laminam perforatam, quæ habet id filum, exhibet figura 6 in ABB'A': ejus apertura est *abb'a'*, quæ debet esse ita longa in directione *ab* parallela rectæ AB figuræ 5, & perpendiculari ad arcus circulares figuræ 2, ut filum EF hujus ipsius figuræ 6 per-

pertingat hinc ad puncta arcus *ab* figuræ 2, & inde ad ejus punctum I. Multo complicatiorem figuram, & longiorem explicationem requireret mechanismus, quo hæc lamina promoveri possit intra capsulam ita, ut sit semper in ejus fundo, & filum ei adnexum perradat superficiem figuræ 2, vel si lamina vitrea adhibeatur, hujus superficies, quæ lineam habet insculptam, contingat semper superficiem ejusdem figuræ ad evitandam oculi parallaxim, licet cochlea sit multo superior in medio latere verticali capsulæ ipsius, quod est omnino necessarium, ut ea sit in medio circuli micrometrici, circa cujus centrum debet revolvi index, ut designet partes revolutionum. Id præstari potest pluribus modis: omnium tutissimus, quamvis minus simplex, esset is, qui haberetur includendo intra capsulam exteriorem alteram interiorem æque latam, & altam, sed minus longam, quæ secunda promoveretur intra illam priorem immotam a cochlea: prima exterior careret fundo: secunda interior haberet fundo suo adnexam laminam ABB'A' figuræ *6*, quæ promoveretur cum ipsa motu determinato a lateribus primæ capsulæ sine ulla deviatione, aut titubatione. Modos plures rem ipsam obtinendi excogitabit ingeniosus Astronomus, & artifex industrius, multo adhuc simpliciores.

30. Hic addam illud tantummodo, posse aptari plura fila EE', quotcumque libuerit, efficiendo capsulam longiorem secundum directionem *aa'*, & omnium aptissimæ essent plures lineæ insculptæ in superficie laminæ vitreæ ad distantias inter se æquales, quæ fieri possunt ita proximæ inter se, ut nonnisi per microscopium satis distinctæ appareant earum distantiæ a se invicem, & exhibeant subdivisiones intervalli inter rectam transeuntem per punctum I figuræ 2, & puncta arcus *ab* ita minutas, ut vix quidquam relinquant determinandum a cochlea, quo pacto deveniri posset ad exiguas etiam fractiones unius secundi. Plurium ejusmodi linearum usus esset egregius tam pro verificandis divisionibus arcus *ab*, quam pro verificanda etiam æqualitate tam integrarum revolutionum cochleæ micrometricæ, quam partium quarumcumque unius revolutionis.

O 2 31. Uni-

31. Unica etiam linea sufficit ad videndum, an arcus *ab* contineat accuratissime gradus 15. Adductâ alidadâ ad positionem, in qua punctum *a* respondeat proxime uni e punctis I, & promoto micrometro usque ad finem arcus HH, promoveretur ea linea laminæ vitreæ, vel id filum laminæ perforatæ usque ad congruentiam accuratam cum puncto *a* visam per microscopium: tum alidadâ per suum micrometrum externum promoveretur usque ad congruentiam ejusdem lineæ cum puncto I. Immotâ alidadâ adduceretur micrometrum ad alterum extremum ejusdem arcus HH usque ad congruentiam ejusdem fili cum puncto *b*. Si arcus *ab* est accurate æqualis gradibus 15, debet tum eadem linea transire per illud alterum punctum I, cum jam certo innotescat inter radios transeuntes per bina puncta I proxime succedentia contineri accuratissime arcum graduum 15. Si non habeatur ea congruentia accurata; poterit per motum lineæ factum a micrometro usque ad congruentiam haberi quantitas erroris, cujus facile haberi potest deinde effectus corrigendus in omnibus observationibus. Valor autem partium micrometri reducendarum ad partes unius secundi facile obtinetur determinando numerum illarum, quæ respondent motui inducto ab ipso micrometro, dum linea ab una e divisionibus arcus *ab* abit ad aliam distantem 10, vel 5 minutis: nam error, si quis habeatur in divisione ejus arcus, exiguus inducet errorem prorsus insensibilem in numerum particularum micrometri ipsius, qui erit semper exiguus. Eâ verificatione factâ progrediendum erit ad verificationem subdivisionum ipsarum arcus *ab* faciendam methodo sequenti, qui est alter usus egregius multiplicitatis earum linearum insculptarum in superficie laminæ vitreæ, & est analogus methodo adhibitæ pro verificatione divisionum in Opusculo I.

32. Pro hoc usu si capsula micrometrica sit satis longa, ut intervallum primæ lineæ superficiei vitreæ a postrema pertingat ad gradus 5, & ultra ipsos, poterit adduci micrometrum ipsum eo, ubi primâ ejus lineâ congruente cum puncto *a*, habeatur aliqua e postremis tam proximis inter se parum admodum distans a puncto gradus quinti: notabitur numerus partium micrometri, qui addu-

adducet eam alteram lineam ad congruentiam cum eo puncto, unde innotescet differentia intervalli inter distantiam earum linearum, & arcum interceptum inter ea extrema puncta, quæ deberent exhibere arcum primum graduum 5. Translato micrometro ad congruentiam lineæ primæ cum puncto gradus 5, invenietur eodem pacto differentia intervalli ejusdem primæ lineæ ab illa e postremis, quæ adhibita fuerat pro arcu primo, ab arcu secundo graduum 5, adductâ eâdem lineâ posteriore ad punctum graduum 10, unde innotescet differentia, si qua habeatur, arcus primi graduum 5 a secundo: eodem pacto invenietur differentia ejusdem primi arcus a tertio: inde methodo adhibita in eo Opusculo invenietur error proprius, si quis habeatur in iis arcubus, qui conjunctus cum errore singulorum derivato ab errore totali arcus graduum 15 exhibebit errorem totalem singulorum e tribus arcubus graduum 5. Eodem pacto per comparationem partium provenientium a subdivisionibus, quæ deberent esse æquales inter se, faciendum eadem methodo, invenientur errores tam derivati quam proprii, & totales arcuum quorumcumque minorum, e quibus eruetur, ut ibi, error cujuscumque arcus computati ab initio zero usque ad divisionem quamcumque. Id, quod ibi est præstitum deducendo differentiam arcuum, qui deberent esse æquales, e differentia chordarum, hîc fieret inveniendo immediate differentiam arcuum ipsorum inter se.

33. Ope plurium ex illis lineis insculptis in superficie laminæ vitreæ potest etiam inquiri in ipsum cochleæ statum in ordine ad æqualitatem progressus fili respondentis ipsius conversioni, tum fieri potest verificatio intervallorum, quæ habentur inter lineas ipsas, quæ deberent esse æqualia, vel saltem deberet haberi accuratissima notitia inæqualitatum, si quæ adessent: verum habentur machinæ, quæ per se ipsas æqualitatem inducant linearum, ut libet proximarum, & tenuium, & ductarum ad quælibet intervalla perquam exigua tam in superficie metallica, quam in vitrea, artifice machinam ipsam dirigente motibus periodicis expeditissimis. In arcu *ab*, vel prope ipsum in æquali ab eo distantia notentur duo puncta tenuia ad intervallum proxime æquale ei, quod res-

respondet uni conversioni cochleæ : possunt ea notari etiam atramento vel in ipsa superficie metallica, vel in tenui charta subjecta ipsi laminæ vitreæ, & immota, dum ope cochleæ micrometricæ movetur lamina ipsa; retrahatur ope cochleæ micrometricæ uterque index ad initium primæ revolutionis : in eo statu adducatur micrometrum ad eam partem laminæ verticalis OHHO figuræ 2, in qua una e lineis laminæ vitreæ congruat cum primo ex iis duobus punctis notatis : promoveatur ope cochleæ micrometricæ id filum usque ad congruentiam cum secundo puncto, & notetur numerus particularum micrometri, quo motus indicis differt ab una integra revolutione : adducantur indices ad initium secundæ conversionis immoto micrometro, tum micrometrum ad congruentiam ejusdem lineæ cum primo puncto : immoto micrometro promoveatur per ejus cochleam idem filum usque ad punctum secundum, & notetur itidem numerus partium impensarum in percurrendo eodem intervallo, & idem fiet respectu sequentium conversionum cochleæ, adducendo semper indices micrometri ad initium conversionis cujusque, tum micrometrum ad congruentiam lineæ cum primo puncto, deinde immoto micrometro lineam ope ejus cochleæ usque ad punctum secundum. Si conversiones integræ, & partes conversionis cujusvis fuerint æquales inter se, ut deberent esse; numerus partium impensarum pro percurrendo illo eodem intervallo invenietur semper idem : si inveniatur discrimen in eo numero, innotescet quantum una revolutio differat ab alia, quod debet provenire ab inæqualitate spirarum.

34. Si instituantur multæ ejusmodi comparationes, adhibitis pluribus diversis distantiis punctorum, quæ respondeant tam uni integræ conversioni, quam dimidiæ, vel numeris diversis conversionum integrarum, vel numeris integris cum fractionibus, poterit utique cognosci admodum accurate, & certò status cochleæ, ut & repetitis iisdem perspicietur, an ea exhibeat consanter per easdem conversiones, & earum partes eandem mensuram, quod si non accidat, ea cochlea non poterit inservire : illud enim est omnino necessarium in omnibus instrumentis, ut semper exhibeant

beant id, quod semel exhibuerunt, quod si non accidat, mutari omnino debet instrumentum. Si inveniatur ejus testimonium semper constans; inæqualitates nihil oberunt, dummodo per verificationem accuratam inveniantur errores indicationis, quorum fiat tabula, quæ pro correctione adhiberi possit: sic ibi cognito statu cochleæ per ejusmodi observationes iteratas, & computatâ semel tabulâ errorum, ex qua corrigatur earum effectus in singulis observationibus, determinationes habitæ per instrumentum erroneum erunt æque accuratæ, ac si nullus habeatur error in ipso instrumento. Verum si cochlea sit diligenter elaborata, nec habeatur inæqualitas inter cylindrum cavum, & convexum, sive, ut vocant, cochleam fæminam, quæ recipit, & marem quæ recipitur, numerus autem spirarum simul convenientium non sit nimis exiguus; progressus inductus a motu cochleæ erit omnino æquabilis: in pluribus cochleis ejusmodi æquabilitatem inveni. Præstat tamen habere methodum, qua Astronomus ipse possit per sese in eam rem inquirere, & suæ cochleæ statum cognoscere: methodus proposita est per quam idonea ad eam rem.

35. Parum absimilis est methodus inquirendi in distantias linearum, quæ designentur in superficie laminæ vitreæ, vel filorum, quæ tendantur in lamina perforata, quamquam hæc quidem tendi non possunt ad distantias usque adeo exiguas. Fila in eo præstant illis lineis, quod si deprehendatur inæqualitas, ea possit corrigi per motum filorum ipsorum, dum eæ lineæ semel ductæ mutare locum non possunt: sed eæ in eo ipso præstant filis, quod cum semper maneant in eadem positione respectiva, errores, si qui adsunt, semel deprehensos in verificatione conservant semper eosdem. En autem methodum instituendi verificationem, ad quam sufficit unicum etiam e punctis arcus *ab*.

36. Adducatur per motum vel alidadæ, vel cochleæ micrometricæ postrema linea ad id punctum: tum alidadâ & micrometro immotis promoveatur lamina habens eas lineas usque ad congruentiam lineæ penultimæ cum puncto eodem, notando numerum partium micrometri, quæ respondebunt ei motui: immotâ alidadâ, retrahuntur indices micrometri ad eundem statum, quem habebant ini-

initio prioris motus, & micrometrum retrahatur ita, ut jam congruat cum eo puncto linea penultima: per motum indicis micrometrici promoveatur lamina, donec ad ipsum punctum appellat linea antepenultima, & notetur itidem numerus partium: idem fiat respectu reliquorum præcedentium intervallorum comparando singula cum eodem motu ejusdem partis cochleæ. Inæqualitas numerorum exhibebit inæqualitatem intervallorum. Poterunt autem, si cochlea fuerit longior, comparari inter se plura etiam intervalla simul sumpta, cum aliis pluribus per eundem numerum earundem revolutionum, ut errores minus accumulentur: adhuc autem melius eadem res perficietur per motum cochleæ perquam exiguum, si adhibeantur bina puncta habentia distantiam parum admodum diversam a numero intervallorum comparando: adducetur enim micrometrum ad congruentiam lineæ posterioris cum puncto posteriore: ea ope cochleæ micrometricæ promovebitur, donec linea anterior congruat cum puncto anteriore, quod exhibebit differentiam ejus intervalli linearum a distantia eorum punctorum: eodem modo comparato quovis alio intervallo respondente eidem linearum intermediarum numero cum distantia punctorum eorumdem, habebitur etiam differentia secundi hujus intervalli ab illo priore, adeoque per ejusmodi operationes repetitas habebitur integra verificatio micrometri tam in ordine ad motum æquabilem inductum a cochlea, quam in ordine ad æqualitatem intervallorum inter fila, vel lineas superficiei vitri, quæ debent exhibere subdivisiones ita, ut non relinquantur determinanda ope cochleæ nisi residua admodum exigua.

37. Lamellæ mobiles cum punctulis possent etiam adhiberi pro divisione arcus adnexi alidadæ saltem pro divisionibus præcipuis, & vero etiam pro singulis gradibus, atque hinc, & inde ab iis punctis possent iisdem lamellis adjungi subdivisiones, in quibus minus errari potest post redactos gradus ipsos ad positionem accuratam per motum lamellarum ipsarum, & posset, ut innui in uno e præcedentibus Opusculis, præstari quid simile in ipso limbo quadrantis muralis translati ad crucem figuræ 1: sed saltem ipsius planum, & divisiones, ac positio respectu zenith, & horizon-

rizontis verificari deberent per methodos traditas in Opusculis iisdem. Promisi numero 3, me indicaturum rationem suspendendi ipsum quadrantem in illa cruce supplente vices muri. Ipsam hìc indicabo analogam ei, quam ego adhibui in specula Mediolanensi pro quadrante murali.

38. Puncto O figuræ 1 affigi potest massa ferrea (fig. 7) formæ CABDFIE: machinamento autem quadrantis per molem ferream oblongam horizontalem ipsi adnexam ex parte opposita plano limbi, quæ hìc non exprimitur vitandæ confusionis gratiâ, altera massa formæ MGHIKLN, cujus angulus HIK minor innititur majori EIF massæ prioris ad minuendam frictionem, & resistentiam in I, ubi motus, utut exigui, inducendi sunt in massam tanti ponderis pro reducendo quadrante ad positionem debitam per suspensionem secundam ope machinamenti indicati in figura 8, quod est affigendum alteri brachio crucis figuræ 1 prope punctum P. Massæ CABDFIE, MGHIKLN sunt hìc similes, & æquales adhibitis ibi: hæc posterior debet affigi machinamento quadrantis eodem modo: & quidem machinamentum ipsum in hisce quadrantibus ita magnis firmari solet ibidem pluribus crassis regulis plurium directionum coeuntibus. Prior massa debet esse mobilis motu verticali inter binas regulas verticales O, P connexas cum machinamento quadrantis, cum quo itidem connexa esse debet etiam tertia regula horizontalis ST: per hanc debet transire, vel huic esse adnexa cochlea QR, quæ sustineat eandem priorem massam, & eam propellat sursum, deorsum: eo motu inclinatur latus AC figuræ 1, & adducitur ad horizontalitatem. In quadrante Mediolanensi, qui erat muralis, aptavi aliam etiam cochleam horizontalem perpendicularem plano quadrantis, per quam massa AD figuræ 7 potest promoveri motu horizontali, quo punctum suspensionis I potest admoveri muro, vel ab ipso removeri: eo motu planum quadrantis redactum antea ad positionem verticalem reducitur ad planum meridiani. Nullum hìc est opus ejusmodi cochlea, cum id planum adduci possit ad eam positionem, ut etiam ad positionem cujuscumque alterius circuli verticalis per motum totius machinæ circa axem verticalem figuræ 1.

39. Reductio ad planum verticale fit per cochleam horizontalem pertinentem ad punctum axis Q figuræ 1. Ejus actionem refert figura 9, in qua planum chartæ est perpendiculare plano præcedentium binarum, & plano quadrantis figuræ 1, ut nimirum perspici possit, quæ aliter lateret post ipsum axem ejusdem figuræ 1. MN est axis, per quem transit cochlea QRP cuspide sua P pertingens usque ad superficiem posteriorem AB laminæ habentis affixum limbum. Ad hanc applicatur quadrans ob ipsum modum suæ suspensionis per massas illas figurarum 7, & 8 non nihil ab eo distantes. Verum potest etiam cogi ipsa superficies AB ad perpetuum contactum cuspidis P per funiculum, qui affigatur ipsi laminæ, & tendat horizontaliter usque ad trochleam affixam axi MN, ac sustineat pondus ipsi appensum. Id filum trahet laminam AB versus cuspidem tota vi ejus ponderis ita, ut sive cochlea promoveatur, sive retrahatur, semper superficies eadem sit in contactu cum ea cuspide: eo pacto mutabitur inclinatio quadrantis ita, ut is possit abire etiam ultra positionem verticalem ad inclinationem contrariam: sed ejus cochleæ usus erit ad inducendam tantummodo eam positionem plani quadrantis. Poterit autem agnosci, an is habeat eandem positionem, & si ipsam non habeat, ad eam adduci proxime talem ope fili cum pondere appensi acui prodeunti ex axe immisso in foramen laminæ centri, quo usi sumus in Opusculo II pro examine plani quadrantis. Id debet habere eandem distantiam ab ea lamina prope acum, & a plano limbi, quam an habeat, docebit cuneus micrometricus, & ut eam acquirat, efficiet motus inductus per hanc cochleam. Quæ pertinent ad positionem axis alidadæ ferentis telescopium ipsius quadrantis, respectu axis telescopii ipsius, & reliqua pertinentia ad circulum, quem in superficie cælesti describit hic axis productus usque ad ipsam, adducto ipso quadrante per alidadam horizontalem versus austrum, revocari poterunt ad examen, & corrigi methodo analoga ei, quam adhibuimus in Opusculo III pro deprehendendis, & corrigendis erroribus collocationis quadrantis muralis, cui debet respondere hic quadrans adductus ad eam positionem.

40. Pos-

40. Posset applicari ex parte opposita cruci ipsi, quæ sustinet quadrantem curva æquilibrii, de qua egimus in Opusculo præcedente, adjecto ipsi etiam pondere sufficienti ad habendum æquipondium respectu axis ipsius, in quo sic habeatur centrum gravitatis eorum omnium, quæ is sustinebit hinc, & inde, & si non adhibeatur ea curva, oportebit omnino inducere ejusmodi æquilibrium per pondus aliquod adnexum cruci, ne axis prægravatus ab ingenti pondere quadrantis ipsius deflectatur ex illa parte, & vero etiam non obstante ejus crassitudine incurvetur. Id augebit pondus totale, & actionem in M, ac difficultatem motuum totius machinæ circa eum axem: sed ea difficultas tolli potest ope ponderis S figuræ 1. Illud autem pondus poterit etiam imminui suppresso pondere G; cum alidada DE possit retineri in positione horizontali per solam suam soliditatem ortam ex regula ipsi adnexa cum faciebus latitudinalibus habentibus positionem verticalem, & e regula transversa F, præter quam quod obtenta horizontalitate fasciæ referentis horizontem ope canalis, & cymbulæ, potest ipsa alidada cum suo arcu inniti parti interiori fasciæ ipsius, quod & curvaturam impediet ejusdem alidadæ, & inclinationem: ejus autem soliditas, & regula F transversa efficiet, ut ibi non innitatur ei parti fasciæ, nisi vi perquam exiguâ alidada ipsa, & ejus arcus.

41. Remanet dicendum aliquid de modo observandi, & de iis, quæ necessaria sunt ad reddendum eum modum expeditum. Potest effici axis ejus altitudinis, ut punctum B remaneat tribus circiter pedibus elevatum supra pavimentum: tum observationes non multum distantes a zenith fieri poterunt insidendo sellæ cuipiam; alidadâ nimirum quadrantis adductâ ad arcum puncto imo B; oculus erit tribus pedibus altior pavimento, & sella parum alta erit opportuna ad eum usum; vitanda enim est omnino positio incommodissima, qua quis projectus dorso supra pavimentum instituat majoribus instrumentis observationes verticales, quod celeberrimo Astronomo de la Caille dicitur fuisse demum fatale. Ipsa obsertionum exactitudo requirit in primis commodam Observatoris positionem. Verum hic ipse quadrans non potest demitti ad distan-

 tiam

tiam a pavimento minorem, ne incurrat in fulcrum *abba*, quod debet habere altitudinem pedum saltem trium, ut retineat axem in positione accurate verticali: recedendo a puncto B elevatur limbus, & Observator potest insistere suis pedibus usque ad quandam distantiam, in qua adhibebit scabellum: tum machinam innixam trochleis habentem duos, vel tres, vel etiam plures gradus: pro observationibus parum elevatis supra horizontem præstaret habere scalam permanentem circulariter erectam in formam ejus, quæ adhibebatur in amphitheatris veteribus, & fit nunc etiam in exiguis theatris anatomicis. Ad infimos ejus scalæ fixæ gradus ascenderet Astronomus per illam scalam mobilem, & ad superiores ascenderet per ipsam tam pro observationibus horizonti proximis, quam pro observandis azimuthis in fascia, quæ fieri posset paullo superior gradu supremo ejus scalæ, & hic pedibus quinque inferior radio horizontali quadrantis, cui gradui supremo insistens Astronomus perficeret ipsas observationes horizonti proximas.

42. Instrumento ejus magnitudinis non posset Astronomus per se solum instituere satis multas observationes brevi tempore, sed posset utique, si haberet adjutorem, uti habebatur in Mediolanensi specula, pro qua hoc instrumentum ejus magnitudinis primo proposui. Astronomus ipse observaret per telescopium, & determinaret distantias a zenith exhibitas a quadrante, dum interea ejus adjutor assisteret fasciæ horizontali, & in ea determinaret azimutha: sed ita res disponi deberent, ut Astronomus ipse, dum habet oculum applicatum ad telescopium, posset binis baculis apprehensis binis manibus movere motu exiguo in gyrum tam alidadam quadrantis, quam alidadam horizontalem, quarum ope adduceret astrum ad intersectionem filorum, quæ habentur in foco objectivi. Notato momento ejus appulsus notaret ipse distantiam a zenith in divisionibus quadrantis, & adjutor azimuthum in fascia horizontali, quo pacto satis multæ observationes ejusdem astri, ut cometæ, sibi invicem succederent per intervalla temporis brevissima.

43. Hæc pertinent ad instrumentum ingens hujus generis, quod non

non potest adhiberi nisi in observatoriis satis magnis : pro minoribus esset maxime opportunum instrumentum hujusmodi habens radium tam quadrantis, quam circuli horizontalis pedum trium : qui radius sufficit ad habendos angulos tam verticales, quam horizontales saltem intra duo secunda , & vero etiam intra unicum, adhibito microscopio , si divisiones sint satis nitidæ , & accuratæ , vel bene cognitæ per accuratam verificationem , ad quam peragendam conferre possunt multa ex iis , quæ in præcedentibus Opusculis continentur. Ejus divisiones fieri possunt methodis adhiberi solitis cum usu nonii tam pro quadrante verticali , quam pro circulo horizontali. Usus hujusmodi instrumenti tanto minoris esset multo expeditior , & Astronomus suis insistens pedibus , vel pro objectis parum elevatis supra horizontem adhibito scabello , vel scala mobili duorum , vel trium graduum , posset facile per se ipsum præstare omnia, paucis minutis temporis impensis pro quavis observatione completa, transeundo a determinatione distantiæ a zenith ad determinandum azimuthum in circulo horizontali parum remoto. Inter limbum quadrantis , & circulum horizontalem haberetur etiam, dum observationes fierent prope horizontem, spatium satis amplum pro Astronomo, qui dum observaret per telescopium , haberet circulum horizontalem a tergo , tum conversus videret commode in eo circulo azimuthum.



OPU-



OPUSCULUM VII.

DE DETERMINANDIS, ET CORRIGENDIS ERRORIBUS AXIUM IN QUADRANTIBUS, ET SEXTANTIBUS.

1. IN Astronomia adhiberi solent quadrantes, & sextantes mobiles circa axem horizontalem perpendicularem eorum plano, qui & ipse moveatur circa alterum axem verticalem. Hic redditur verticalis ope cochlearum pedi affixarum, cujus positio verticalis facile earum ope acquiritur, ubi alter ex iis axibus sit accurate alteri perpendicularis, & planum instrumenti accurate perpendiculare axi suo. Ejusmodi positio reddit multo magis commodum eorum instrumentorum usum. Ubi semel instrumentum bene dispositum ad eam positionem adductum sit, eo utcumque circumacto ope eorum axium, semper filum penduli e centro demissi jacet in ipso instrumenti plano, & radit limbum, quod quidem obtineri non potest, ubi axium positio sit vitiosa, nisi movendo cochleas pro singulis novis motibus circa axes. Instrumentorum delineatio elegantissima, & descriptio copiosissima habetur in Opere incomparabili Domini de La-Lande, quod ipse jure optimo Astronomiam nominavit. Inter cætera habetur quadrans portatilis pedum trium, & sextans multo major, ad quorum axes pertinet hoc Opusculum. Hìc ego non nisi lineas simplices adhibebo tubis, & virgis, ac regulis metallicis substitutas, quarum ope intelligi possint, quæ ad hanc investigationem, & ad correctiones pertinent: cætera Astronomus mente supplebit, & quæ hìc habebuntur abunde sunt, ut ipse possit determinare errores, & artificem dirigere pro correctione ipsorum, ut obtineatur exacta axium eorundem collocatio.

2. In fig. 1 (Tab. V) ILG est simplex axis cylindri solidi verticalis immissi intra cavum itidem verticalem ita, ut intra ipsum immotum gyrare possit. Hic posterior innititur pedi habenti quatuor cochleas in R, S, T, V, quarum ope ipse axis, ut innui, admo-

modum facile reducitur ad positionem verticalem : habetur alter cylindrus solidus ita immissus cavo horizontali, ut intra ipsum manentem in data quavis positione horizontali possit moveri in gyrum, & secum transferre totum planum sextantis indicati hìc per sola bina sua latera CA, CB, & eum arcum AB, in quo habentur divisiones, quæ in eo sextante, pro quo hanc perquisitionem institui, erant factæ per punctula : cylindrus solidus horizontalis adductus cum suo cavo ad quampiam positionem determinatam, debet ibi posse gyrare intra hunc circa eorum axem communem ita, ut quivis e radiis sextantis, & axis telescopii ipsi affixi productus usque ad superficiem sphæræ cælestis percurrat arcum circuli verticalis : bina autem sunt ejusmodi telescopia, quæ hìc ne indicantur quidem, alterum in directione lateris AC, quod percurrit arcum ejus circuli verticalis a zenith usque ad 60 gradus, & indicat distantias ab ipso zenith, alterum huic perpendiculare, quod percurrit gradus itidem 60 a tricesimo distantiæ a zenith usque ad nonagesimum, & indicat altitudines supra horizontem. Cylindrus horizontalis cavus ita connexus est cum verticali solido, ut verticali cavo immoto cum toto pede, & suis cochleis, moveri possit motu horizontali in gyrum, & secum transferre planum sextantis, quod ita adducitur ad quodvis planum verticale : eo pacto telescopia possunt determinare distantias apparentes a zenith, & elevationes supra horizontem in quovis circulo azimuthali.

3. Axis cylindri solidi horizontalis hìc exprimitur per solam rectam GF : is cylindrus desinit in planum circulare ita procurrens circumquaque, ut affigatur ope cochlearum machinamento posteriori sextantis ipsius ex parte opposita plano limbi, ac id planum indicat circulus *pqr*, ultra quem, & ultra planum limbi concipi debet filum cum pondere P pendens ex acu C*c* prodeunte e centro arcus ADB, quod debet conradere limbum ipsum in punctis D, & in ipsis determinare eas distantias a zenith, & altitudines supra horizontem, ac ipsum ita conradit reipsa, ubi planum sextantis habet positionem verticalem, quam debet habere tum, cum eo instrumento fiunt observationes : sed hìc exhibetur id planum in positione non nihil inclinata, in qua filum ipsum distat

stat non nihil a limbo per distantiam ipsi perpendicularem ED.

4. Cylindrus verticalis cavus adnexus pedi immoto desinit in limbum circularem exigui circuli horizontalis immoti cum ipso; quem indicat arcus OO'O''H, in cujus divisionibus exiguis determinatur crassiore determinatione motus circularis axis horizontalis ab indice affixo huic cylindro. Ut autem in utroque motu tam axis horizontalis circa verticalem, quam plani sectoris circa axem horizontalem hoc planum possit remanere semper in positione verticali, debet axis ipse horizontalis esse accurate perpendicularis tam axi verticali, quam plano sectoris, quæ positio utraque nisi accurata sit tam in G, quam in F, non poterit id obtineri, nisi in quavis nova positione sextantis fiat ille novus illarum cochlearum usus. At si ea habeatur satis accurata; satis facile obtinetur positio debita verticalis conservata in quovis motu tam axis horizontalis circa verticalem, quam plani sextantis circa axem horizontalem.

5. In eo casu satis est reducere axem IG ad verticalitatem accuratam, qua reductione factâ, axis GF evadit semper accurate horizontalis, & planum GF accurate verticale, ac filum CP, quod si libere pendeat, est semper accurate verticale, semper accurate conradit limbum. Porro positio axis IG accurate verticalis tum facile inducitur ope cochlearum pertinentium ad pedem. Convertatur axis GF, donec evadat ad sensum parallelus binis ex iis cochleis pertinentibus ad idem quodpiam e quatuor lateribus quadrilinei, quod concipiatur terminatum ad quatuor puncta R, S, T, V, ut binis R, V: planum ACB, quod supponitur perpendiculare ei axi, erit perpendiculare ei lateri: si filum CP vel distet a limbo, vel ipsi ita applicetur, ut non libere pendeat; facile per motum cochlearum pertinentium ad latus adjacens, ut cochlearum R, S, vel V, T, mutabitur inclinatio plani ACB ita, ut filum adducatur ad contactum simplicem liberum limbi, sed cum tria puncta determinent planum, poterit utique una e reliquis binis cochleis remanere elevata supra planum pavimenti, vel basis lapideæ præparatæ ad stabilem sectoris positionem, quæ adduci poterit ad contactum cum ipso. Tum axis IG erit in plano quodam

dam verticali transeunte per puncta R,S. Fiat conversio axis GF per quadrantem motus sui circularis, & eodem pacto ope cochlearum pertinentium ad latus alterum utrumvis perpendiculare priori, ut cochlearum R, V, vel S, T iterum mutetur inclinatio plani, (ea mutatio nihil oberit positioni axis ejusdem in plano verticali priore, si fiat per motum æqualem utriusque cochleæ; axis ipse tantummodo inclinabitur intra id planum), donec filum iterum adducatur ad liberum contactum cum limbo. Eo pacto adducetur is axis ad alterum planum verticale transiens per puncta R, V, adeoque erit in intersectione binorum planorum verticalium, quæ debet esse verticalis.

6. Quod si post ejusmodi binas operationes, circumacto axe GF circa GI, vel plano ACB circa ipsum GF, filum CP alicubi nimis apprimatur limbo, vel ab eo distet, limbus autem sit in eodem plano cum centro, quod ut fiat obtineri potest methodo Opusculi II; manifestum erit, haberi in collocatione axis GF vel respectu axis IG, vel respectu plani ACB, vel respectu utriusque, aliquod vitium, quod oportebit determinare, ut possit corrigi. Ea correctio haberi non potest per normas, quæ nimirum applicari non possunt in G, & F ita, ut per eas obtineatur ea positio accurate perpendicularis. Inveni methodum determinandi ope Geometriæ, & calculi singulos errores, per ipsas distantias ED fili a limbo determinatas in tribus positionibus plani sextantis circumducti circa axem horizontalem immotum, & aliis tribus axis horizontalis transferentis secum planum sextantis carentis quovis alio motu præter eum, quo transferatur ab axe eodem, & dirigendi correctiones, determinatis plagis, & magnitudinibus singularum correctionum, indicato etiam modo, quo correctiones obtineri possint, & id est scopus totius hujusce Opusculi.

7. Ubi filum distat a limbo AB, admodum facile determinari potest ipsa ejus distantia DE, quæ ob datum radium CD exhibebit angulum inclinationis DCE. Si rectæ verticalis positio jaceat ad partem oppositam; filum apprimetur plus æquo ipsi limbo: verum etiam tum ea poterit determinari, removendo punctum suspensionis a C versus caput *c* acus C*c*, defixæ in centro ita,

ut filum jam distet a limbo. Tum vero distantia C*c* fili ipsius a centro in C evadet major, quam ejusdem distantia a limbo in D, & hæc subducta ab illa exhibebit ejusmodi inclinationem factam in partem contrariam, cujus valor facile habebitur. Si enim DE, vel ea differentia sit $= m$, & radius instrumenti CD $= a$, patet, sinum ejus anguli fore $\frac{m}{a}$: cumque is angulus debeat esse exiguus ob errores instrumenti exiguos, ut hic supponimus; is ipse poterit assumi pro valore anguli, sive pro valore arcus eum metientis in circulo, cujus radius $= 1$. Verum satius erit efficere, ut filum pendeat ex ipso centro C, ut unica debeat assumi distantia DE, & ea quidem in loco commodiore, nimirum in imo limbo: id autem facile obtinebitur; nam si ope cochlearum pedis RSTV satis inclinetur axis IG; habebitur in aliqua parte conversionis axis GF circa ipsum GI filum a limbo remotum, & posito axe GF ad eam plagam, versus quam inclinatus est axis IG, planum ACB ita inclinabitur, ut filum vel in magna parte conversionis, vel etiam in ea tota sit non nihil remotum a limbo.

8. Porro admodum facile definiri accuratissime poterit distantia DE (*). Charta crassior ope longioris regulæ rescindatur per rectam longiorem, tum per aliam, quæ cum ea exiguum angulum contineat. In eo angulo quæratur distantia a vertice, in qua latera a se invicem distent per duas, vel tres lineas pedis Parisiensis, & sectis lateribus in duas, vel tres partes æquales, habebitur locus, ubi distantia laterum sit unius partis assumptæ duarum, &c. Subdivisionibus adhibitis facile habebuntur bases anguli in centesimis etiam ejusdem partis. Anguli planum limbo perpendicula-

(*) Hic ego quidem proposui, cum hoc Opusculum conscriberem, methodum expeditam præstandi ope crassioris chartæ abscissæ ad angulum exiguum, illud idem, pro quo habetur in Opusculo II instrumentum, quod ad ejusmodi usum perpetuum curavi perficiendum e metallo, & appellavi cuneum micrometricum, ac habetur in fig. 1 Tab. I. Ibidem exhibui methodum tutiorem dividendi ejusmodi superficiem ita, ut hasce distantias accuratissime exhibeat. Cum illud non haberem ad manus, substitui hoc instrumentum chartaceum, quod hic relinquo, cum sit tam facile parabile, occasione se offerente, & illud non sit in usu communi.

culariter applicatum insinuetur inter limbum, & filum, ac sensim promoveatur, donec attingat filum ipsum. Ibi a loco lateris apparebit, quanta sit distantia fili a limbo, æqualis nimirum basi anguli, sive distantiæ laterum a se invicem in eo loco.

9. Positio quoque instrumenti, in qua assumitur distantia fili a limbo, facile determinabitur. In casu, in quo planum ACB circumagitur circa axem GF, positionem ejus plani respectu ipsius axis exhibebit ipsa divisio limbi AB cum gradibus ibi adnotatis. In altero autem casu, in quo axis GF circumducitur circa axem IG, notari poterit positio axis mobilis in illo circulo azimuthali OO'O'', per indicem GO tendentem ad partes ipsi axi oppositas, vel utcumque connexum cum ipso axe.

10. Jam vero si concipiantur rectæ GQ, FN perpendiculares ad planum ACB; circumacto axe GF circa IG, & notatis tribus distantiis fili a limbo in tribus positionibus axis GF ita determinatis, ut obtineatur id, quod obtinendum proposuimus, determinabitur & magnitudo, & positio inclinationis axis ILG ad horizontem, & angulus IGQ, quem is continet cum perpendiculo GQ, quanquam hujus posterioris nullus nobis occurret usus, ac circumacto plano ACB circa axem GF, & notatis itidem tribus distantiis fili a limbo, determinabitur inclinatio hujus ad horizontem, & angulus GFN, quem is continet cum perpendiculo FN, ac positio utriusque inclinationis: eorum autem ope invenietur, quantum angulus LGF aberret a recto, quibus cognitis innotescet quidquid requiritur ad corrigendam instrumenti constructionem, ut deinde possit ad accuratam positionem perduci. Verum eæ omnes determinationes requirunt bina lemmata, quæ idcirco præmittemus.

11. *Lemma* 1. Si e binis punctis C, C' (fig. 2) quibusvis plani inclinati MN pendeant bina pondera P, P' per fila CP, C'P', & assumptis CE, C'E' versus P, P' æqualibus, ducantur perpendicula ED, E'D' in ipsum planum; erunt æqualia ipsa, & æquales anguli DCE, D'C'E', ac latera CD, C'D' æqualia.

12. Erunt enim inter se parallelæ binæ rectæ verticales CE, C'E', & bina perpendicula ED, E'D' in idem planum ducta. Qua-

re & anguli CED, C'E'D', & eorum complementa DCE, D'C'E', & tota ea triangula, adeoque & latera ED, E'D', ac CD, C'D' omnia erunt inter se æqualia.

13. *Scholium*. Hinc si in fig. 1 in conversione axis GF circa axem IG penderet filum ex Q, vel in conversione instrumenti circa axem GF penderet ex F; id in distantiis ab eo puncto æqualibus distantiæ CE haberet distantiam a plano ACB æqualem distantiæ DE fili pendentis e puncto C.

14. Patebit infra, quanto faciliorem determinationem id reddat: nam in primo casu recta GQ perpendicularis plano ACB conversa cum ipso circa axem IG describit superficiem coni recti, si angulus IGQ non est rectus, quo existente recto, describeret planum circuli perpendiculare ipsi axi IG: in secundo vero casu, converso plano ACB circa axem GF, punctum F manet fixum, recta vero FN perpendicularis ipsi plano describit itidem superficiem coni recti, nisi congruat cum eodem axe: ea consideratio solutionem exhibebit.

15. *Lemma* 2. Datis (fig. 3) in peripheria dati circuli tribus punctis O, O', O'', quæratur in eadem punctum A ejusmodi, ut ductis perpendiculis OR, O'R', O''R'' in diametrum ACB, in qua sit quoddam punctum M, rectæ MR, MR', MR'' sint ad se invicem in ratione data m, n, r, quæraturque ipsum illud punctum M.

16. Ducantur chordæ OO', O'O'': harum posterior occurrat perpendiculo RO in S. Quoniam datur ratio rectarum MR, MR', MR'', dabitur etiam ratio RR' ad R'R'', quæ erit $n-m$ ad $r-n$. Ea autem est ratio rectæ O'S ad chordam O'O''. Quare dabitur ipsa O'S cum puncto S, adeoque & SO. In hanc, si opus est, productam ducatur perpendiculum CR, quod utrinque productum determinabit quæsitam diametrum AB, posito A in eo ejus extremo, quod accedit propius ad punctum e tribus O respondens maximæ distantiæ fili a limbo, quam ad respondens minimæ. Ducto in AB perpendiculo O'R', habebitur RR', cujus ratio ad RM, cum sit eadem ac $n-m$ ad m, habebitur & RM cum puncto M sito ad partes R', vel R, prout fuerit m major, vel minor, quam n.

17. *Schol.*

17. *Schol.* 1. Datis arcubus AO, AO', AO'', & numeris m, n, r, facile cætera expedientur calculo etiam trigonometrico. Occurrat enim SO peripheriæ etiam in V, & cum anguli OO'O'' mensura sit dimidius arcus OBO'', cui is insistit; mensura ejus supplementi OO'S erit dimidium dati arcus OO'O''. Chordæ autem OO', O'O'' sunt dupli sinus dimidiorum suorum arcuum, adeoque dantur ii sinus respectu radii dati circuli, qui assumi potest pro unitate. Hinc eæ dantur, & factis $r - n : n - m :: O''O' : O'S$, dabitur & hæc recta. In triangulo OO'S habito angulo O' cum lateribus adjacentibus, invenietur angulus SOO', adeoque & hujus suplementum O'OV, cujus duplum est arcus O'O''V. Si huic addatur O'O, & assumatur dimidium ejus summæ; habebitur arcus OA. Tum vero R'R erit differentia cosinuum CR, CR' arcuum AO, AO' jam datorum: si ii cosinus dicantur b, & c; erit $n - m : m :: c - b : \frac{m(c-b)}{n-m} = RM$, & $CM = \frac{m(c-b)}{n-m} - b$.

18. *Schol.* 2. Ad hoc secundum lemma reducitur determinatio eorum, quæ ex datis distantiis fili penduli a limbo quæruntur in utraque conversione circa axes IG, GF figuræ 1, quod hasce perquisitiones instituenti mirum sane accidit, & commodissimum. Ternæ ejusmodi distantiæ pro singulis ex iis binis casibus omnia exhibent, ut innui num. 10, & jam patebit: idcirco libuit ipsum lemma præmittere utrique e sequentibus binis problematis.

19. *Probl.* 1. *Notatis (fig. 1) tribus distantiis* DE *fili a limbo in tribus datis positionibus axis* GF *gyrantis circa axem* IG, *invenire declinationem exiguam ipsius axis* IG *a recta verticali cum plaga, in quam inclinatur, & differentiam exiguam anguli* IGQ *a recto.*

20. Sint O, O', O'' tria puncta notata ab indice, quæ determinabunt arcus OO', O'O'' similes iis, quos interea describit punctum Q in circulo, cujus planum est perpendiculare ad axem IG. Exprimat eum circulum figura 4, in qua sit C ejus centrum, & CG segmentum axis IG figuræ 1, quod erit axis coni descripti a perpendiculo GQ. Concipiatur ex G recta verticalis, occurrens plano circuli in K: sit autem ACB intersectio plani verticalis

GCK

GCK cum plano ipsius circuli, ac GA, GB cum ejus coni superficie. Angulus CGK exhibebit declinationem axis IG figuræ 1 a positione verticali, & punctum A plagam, in quam is inclinatur, ac angulus CAG, sive CQG differentiam anguli quæsiti CGQ a recto GCQ.

21. Ad ea invenienda concipiatur per punctum Q planum horizontale occurrens rectis GI, AB in H, R: tum in plano BGA recta AI, & GM utraque parallela horizontali RH, quæ occurrant rectis GK, AB in I, M. Erit ut KI ad KA, ita tam KH ad KR, quam KG ad KM, adeoque etiam, capiendo antecedentium, & consequentium summas, GH ad MR, quæ ratio cum sit constans, utcumque mutatâ positione puncti Q, erit, eo utcumque mutato, GH ut MR. Hìc revocandum est animo, puncta G, Q esse in hac figura eadem, ac in fig. 1, & axem GC coni recti descripti hìc a recta GQ perpendicularem plano sectionis circularis BQA ejus coni esse segmentum axis GL ejusdem figuræ 1. Quamobrem si concipiatur recta verticalis QE æqualis filo penduli CE figuræ 1, cum recta ED hìc perpendiculari ad id ipsum planum ejusdem figuræ 1, erit hæc æqualis illi ED in ipsa determinatæ ope cunei: angulus autem GQD rectæ perpendicularis plano eidem cum recta ED existente in eodem plano erit rectus, adeoque æqualis angulo HQE, quam recta QH horizontalis continet cum QE verticali. Quare dempto communi HQD, erit GQH = EQD, & proinde ob GHQ, EDQ rectos erit GH ad ED in constanti ratione GQ, ad QE. Quare erit GH, ut ED, adeoque etiam MR, quæ est ut GH, erit ut distantia fili a limbo in figura 1. Facile autem patet, punctum A debere respondere maximo angulo GQH.

22. Si jam figura 3 referat hunc circulum, & in eo tria puncta O, O', O'' respondeant tribus punctis O, O', O'' notatis ab indice in fig. 1 pro tribus diversis positionibus axis GF gyrantis circa IG; habebitur ratio trium MR, MR', MR''; erunt enim, ut tres distantiæ fili observatæ, quæ appellari possunt m, n, r, cum respondeant iis, quarum ratio expressa est iis litteris numero 15. Quare habebitur (num. 17) arcus OA: si in fig. 1 assumatur ei similis OH,

& ad-

& adducatur index ad H; habebitur positio axis GF obversi in eam plagam, in quam inclinatur axis IL, & habebitur (num. 17) $CM = \frac{m(c-b)}{n-m} - b$.

23. Invenientur etiam facile in fig. 4 & anguli quæsiti CGK, CAG. Nam in primis ductâ QK, angulus GQH, æqualis EQD, seu (num. 13) æqualis angulo ECD figuræ 1 dato per num. 7 erit divisus in duas partes KQH, KQG, quæ erunt ad totum, ut HK, KG ad totam HG (nam tangens HG ejus anguli exigui relata ad radium QH confunditur ad sensum cum arcu circuli), nimirum ut rectæ MK, KR, sive (neglectâ perquam exiguâ CK; est enim exiguus angulus CGK, & exigua recta KG ob angulum KAG exiguum) ut rectæ MC, CR jam datæ ad totam MR. Quare habebuntur illæ duæ partes, quarum posterior, nimirum angulus GQK est quamproxime æqualis angulo CQG (ob punctum K quamproximum puncto C), sive angulo CAG, qui est alter e quæsitis. Prior autem, nimirum KQH, exhibebit elevationem rectæ KQ supra horizontem QHR. Ea ad KAI erit quamproxime, ut KH ad KI (nam ob punctum K proximum centro C, est proxime KQ = KA, & KH, KI sunt eorum angulorum tangentes ad eos radios, quæ in angulis exiguis sunt ut ipsi anguli), nimirum ut KR, sive CR ad CA. Dabitur igitur & angulus KAI, qui æqualis est quæsito CGK, cum ii sint complementa angulorum æqualium ad verticem K in triangulis rectangulis KIA, KCG, existente recto etiam hoc secundo ob CG axem coni recti (num. 14).

24. *Scholium* 1. Erit $MR = \frac{m(c-b)}{n-m}$ (num. 17): $KR = CR = b :: GQH = EQD = \frac{m}{a}$ (num. 7): $KQH = \frac{b(n-m)}{a(c-b)}$. Hinc primò $GAC = GQC = GQK = \frac{m}{a} - \frac{b(n-m)}{a(c-b)}$. Tum erit $KR : KA$, sive $CR = b : CA = 1 :: KQH : KAI = KGC = \frac{n-m}{a(c-b)}$. Hi postremi duo valores exhibent binos angulos quæsitos.

25. Si

25. Si binæ distantiæ fili extremarum observationum sint inter se æquales, & media cadat in medium arcum; determinatio evadit multo simplicior. Punctum secundæ observationis (fig. 3) cadet in A, & immediate determinabit ipsum A: cosinus c observationis secundæ erit $= 1$. Quod si prima, & tertia exhibeant distantiam $= 0$; chorda ipsa OO'' determinabit M, cum eo casu tam MR, quam MR'' debeat esse $= 0$: valores angulorum, facto $m = 0$, $r = 0$, $c = 1$, erunt hîc GAC $= -\dfrac{bn}{a(1-b)}$, & KGC $= \dfrac{n}{a(1-b)}$. Facile autem ejusmodi observatio instituitur circumducendo axem GF circa GL hinc, & inde, donec deveniatur ad positionem, in qua filum appellat ad limbum, & deinde adducendo eum axem ad medium arcum prioribus positionibus interceptum, ac ibi capiendo distantiam n.

26. *Probl. 2. Notatis (fig. 1) tribus distantiis* DE *fili a limbo in tribus datis positionibus plani* ACB *gyrantis circa* GF, *invenire inclinationem exiguam ipsius axis ad horizontem cum plaga, in quam inclinatur, & declinationem exiguam ejusdem a perpendiculo* FN.

27. Sit in fig. 5 recta FO eadem, ac in fig. 1 recta FN perpendicularis plano ACB, substituto hîc puncto O illi N ad habendam analogiam cum figura 3, cujus usus hîc recurrit: AOPB sit circulus descriptus ab eo puncto, cujus circuli planum erit perpendiculare axi GF ejusdem figuræ 1, & centrum C hîc in eodem axe ita, ut hîc axis FC coni habentis pro basi eum circulum, & pro vertice punctum F sit segmentum ipsius axis FG figuræ 1. Concipiatur recta verticalis VFE cum binis planis verticalibus transeuntibus per ipsam, & eorum altero per C, altero per O. Eorum planorum intersectiones cum plano circuli determinabunt diametrum AB, & chordam OP. Erit autem punctum V admodum remotum ob axem FC parum abludentem a positione plani horizontalis ducti per F. Id planum occurret rectis VOP, VAB in I, M, & erit IM perpendicularis plano VBF, cum sit ipsi perpendiculare præter id planum horizontale etiam planum AOPB, quorum planorum ea est intersectio. Demum conceptâ FE æquali

filo

filo CE figuræ 1, sit ED perpendicularis plano instrumenti, adeoque (num. 13) æqualis distantiæ fili a limbo, quæ quidem debebit esse parallela FO normali itidem ad idem planum, adeoque jacens cum ipsa in eodem plano OFI. Demum sit OR parallela IM, adeoque normalis itidem ad diametrum AB.

28. Angulus CFM erit quæsita inclinatio axis FC ad horizontem FM, & OFC = AFC declinatio ejusdem a perpendiculo FO itidem quæsita: indicabit autem A positionem puncti O, in qua ipsum perpendiculum jacebit in eodem plano verticali supra eundem axem FC.

29. Ob angulos AFB, OFP exiguos, bases ACMB, OIP haberi possunt pro arcubus subtendentibus angulos in F ad radium constantem FO, & sinus ED itidem pro arcu subtendente angulum EFD ad radium FE. Porro ob angulos OFD, IFE rectos, ablato communi IFD, habetur EFD = OFI. Igitur erit ut FE ad OF, ita ED ad OI, quæ ratio cum sit constans, erit OI ut ED. Porro est proxime OI = RM; est enim OI : RM :: VO : VR, quæ ob ingentem distantiam puncti V haberi potest pro ratione æqualitatis. Quare erit & RM, ut ED.

30. Redit igitur pro inventione puncti A per tria puncta O figura tertia cum lemmate 2, & invenietur ratio RM, sive OI tam ad AC, quam ad CM, quæ erit ratio anguli OFI, seu dati DFE æqualis (num. 13) ECD figuræ 1 dati per num. 7, ad AFC, & CFM, qui anguli idcirco habebuntur, ut oportebat.

31. *Scholium* 1. Tres distantiæ fili a limbo in hoc motu dicantur m', n', r', cosinus CR, CR' figuræ 3 b', c': erit, ut numer. 23, MR $= \frac{m'(c'-b')}{n'-m'}$: angulus vero RFM proxime æqualis OFI, sive EFD $= \frac{m'}{a}$. Hinc in fig. 5 erit MR $= \frac{m'(c'-b')}{n'-m'}$: CR $= b'$ :: MFR $= \frac{m'}{a}$: CFR $= \frac{b'(n'-m')}{a(c'-b')}$; unde CFM $= \frac{m'}{a} - \frac{b'(n'-m')}{a(c'-b')}$: tum CR $= b'$: CA $= 1$ :: CFR : CFA $= \frac{n'-m'}{a(c'-b')}$. Hæ postremæ formulæ congruunt cum prima, & ter-

tia numeri 24; sed hìc quidem inclinationem axis ad horizontem exhibet valor prior binomius anguli CFM, pertinente posteriore simplice ad angulum perpendiculi cum axe; dum ibi declinationem axis a positione verticali exhibet posterior simplex, exhibente priore binomio declinationem perpendiculi a recta normali eidem axi. Ascendet autem directio FC, descendente CF, ut figura exhibet; si valor primæ formulæ fuerit positivus, & FA abibit supra FC, si fuerit positivus valor secundæ: contrarium accidet, si ii valores fuerint negativi; cum nimirum eæ formulæ respondeant casui expresso a figura.

32. *Schol.* 2. Etiam hìc, ut num. 25, determinatio erit facilior, si inveniantur binæ positiones, quæ exhibeant binas ED æquales, & assumatur media in æquali distantia ab ipsis. Verum ibi quidem id licebit præstare semper, cum index possit percurrere totum circulum azimuthalem figuræ 1, dum hìc filum penduli non potest evagari nisi per quadrantem, vel sextantem, in quem si non cadat maxima vel minima distantia fili, non poterunt haberi binæ æquales: & vero si caderet prope initium, vel finem; binæ distantiæ æquales non essent satis idoneæ ad determinationem accuratam, cum prope maximam, vel minimam earum variatio sit perquam exigua.

33. Pro punctis O, O', O'' figuræ 3 assumi possunt ipsa puncta D, quibus in fig. 1 respondet filum; cum satis pateat, arcum AD metiri conversionem rectæ FN ipsius circa FG.

34. *Scholium* 3. Facile patebit, quid facto opus sit, ut corrigatur error, quo axis horizontalis FG (fig. 1) aberrat a perpendiculo FN plani ABC inventus num. 31. Id planum adnecti solet basi cylindri habentis axem FG per cochleas. Optimum esset, si ex ipsa instrumenti constructione haberetur facultas mutandi inclinationem cylindri ad ipsius instrumenti planum, ut induci posset positio penitus perpendicularis post hujusmodi observationes, quod sane liceret, & quidem haud difficulter. Ubi id commodum non habetur, ut fere haberi non solet, potest a plano cylindri detrahi per limam, quantum oportet, in parte opposita ei, versus quam declinabat axis, effecto novo plano, quod a priore decli-

clinet per angulum æqualem invento GFN figuræ 1, sive CFO = CFA figuræ 5, vel ibi interseri lamella crassitudinis debitæ, quæ remoto plano ACB figuræ 1 a priore positione per eundem angulum inventum, efficiat, ut axis FN recidat in FG.

35. Plaga, in qua fieri debet abrasio, est illa, quæ respondet puncto A invento in fig. 3. Posito instrumento in ea positione, in qua assumpta est prima distantia fili a limbo, quæ nimirum pertinet ad punctum O, notetur in superficie cylindri solidi punctum, quod eminet summum prope os circulare cavi, in quod ille inseritur: tum assumatur in eadem superficie secundum eum ipsum circulum arcus similis invento OA figuræ 3 in ea directione, in qua succedunt sibi puncta ejusdem superficiei, si conversio continuetur in directione OO'. Is arcus facile habito simili invento habebitur, cum ex crassitudine cylindri innotescat ejus circuli diameter. Extremum punctum ejus arcus erit id, quod respondebit puncto A figuræ tertiæ, in quo nimirum debebit fieri abrasio, vel hiatus in ejus opposito. Id vero invenietur multo facilius, si punctum A in fig. 3 ita cadat inter puncta O, O'', ut assumpto ei analogo in fig. 1, id habeatur in limbo instrumenti. Tum enim adducto filo ad id punctum per conversionem instrumenti ipsius, punctum quæsitum pro abrasione erit illud ipsum, quod tum eminebit in summo cylindro.

36. Facile itidem definiri potest crassitudo abradenda, vel hiatus procurandus. Sit in fig. 6 AI planum pertinens ad cylindrum, cujus axis FG, adnectendum plano instrumenti CD ope cochlearum H: sit autem FN perpendiculum plani CD applicati immediate plano AI adductum ad positionem, in qua id jaceat supra FG in eodem plano verticali. Ad hoc ut FN, FG congruant, debebit in A inseri cuneus BAI habens angulum I æqualem invento GFN, vel abradi AIE ipsi æqualis. Porro pro valore anguli exigui BAI, vel AIE, assumi potest $\frac{AE}{AI}$. Is valor num. 31 est æqualis valori fig. 5 $CFA = \frac{n' - m'}{a(c' - b')}$. Quare si fiat $AB = f$, erit $AE = BI = \frac{f}{a} \times \frac{n' - m'}{c' - b'}$.

37. Id quidem plerumque erit fere insensibile ; nam AB $= f$ est perquam exigua respectu radii instrumenti $= a$, & nisi ipsum instrumentum sit negligentissime elaboratum, distantia fili a limbo debet esse exigua. Abrasio post determinationem crassitudinis abradendæ succedet utique, potissimum si abradatur potius minus justo, tum observationibus repetitis resumatur opus, donec deveniatur ad positionem accuratam, quod fiet utique satis cito. Adhuc tamen facilior erit intrusio lamellæ tenuis ex parte opposita, quæ potest exsecari ex tenui longiore cuneo, a cujus basi crassiore, & longis lateribus facile fluet determinatio crassitudinis requisitæ BI : debebunt autem binæ aliæ habentes crassitudinem dimidiam ejus crassitudinis inseri hinc, & inde ab F in verticibus diametri perpendicularis diametro AB. Si forte post primam earum lamellarum intrusionem aliquis errorculus supersit observationibus iteratis deprehensus ; facile corrigetur is etiam ipsis intrusis aliquanto ulterius, vel retractis ad augendum angulum, vel minuendum.

38. *Probl.* 3. *Inventis superioribus angulis invenire angulum, quem* (*fig.* 1) *axis* IG *continet cum* GF.

39. Sit in fig. 7 circulus BDA idem, ac in fig. 1 azimuthalis OO'H cum suo centro G, sed positus in situ accurate horizontali. Occurrat autem superficiei sphæræ habentis eum circulum maximum axis GL figuræ 1 in L, in F axis GF ejusdem habentis eam positionem, quam habebat in observationibus pro secundo problemate, in I recta verticalis demissa ex G, in BLIA planum verticale GLI, in FL planum LGF : sit autem ID quadrans circuli maximi transeuntis per F, ad quem terminetur arcus LO descriptus polo F.

40. E primo problemate habetur (num. 20) diameter BGA, punctum autem D e positione instrumenti in observationibus secundi : nimirum arcus AD erit æqualis arcui in fig. 1 intercepto inter punctum H, & locum indicis in ea postione : quamobrem habetur ejus complementum BD mensura anguli LIF. Est autem DF mensura anguli DGF, sive depressionis axis GF infra horizontem, cui in fig. 5 æquatur angulus CFM elevatio directionis contrariæ

FG

FG supra rectam horizontalem FM habens (num. 31) pro valore $\frac{m'}{a} - \frac{b'(n' - m')}{a(c' - b')}$.

41. Arcus IL metitur deviationem axis GL a verticali GI, quam in fig. 4 exhibet angulus $KGC = \frac{n-m}{a(c-b)}$ (num. 24): eo ob exiguitatem habito pro recta una cum arcu LO erit $IO = LI \times cos. BD$ ob angulum ad O rectum, sive posito arcu $BD = q$ erit $IO = \frac{n-m}{a(c-b)} \times cos. q$, ubi $cos. q$ erit valor positivus, vel negativus, prout AD fuerit quadrante major, ut figura exhibet, vel minor, & cadet IO versus D, vel ad partes oppositas, prout totus is ejus valor fuerit positivus, vel negativus, cum formulæ aptatæ sint casui expresso a figura. Hinc habebitur IO + FD differentia a quadrante arcus FO, sive FL, nimirum differentia a recto anguli quæsiti FGL, quæ erit defectus, ut figura exhibet, vel excessus, prout summa earum binarum formularum fuerit positiva vel negativa. Quamobrem habebitur error corrigendus: debebit autem fieri correctio in directione verticali FD; nam ob arcum LO exiguum directio LF producta congruit ad sensum cum ipsa.

42. *Schol.* 1. Si pro secundo problemate observationes fiant in positione distante a BGA per quadrantem, sive indice figuræ 1 notante punctum distans per quadrantem ab H; arcus AD erit hic quadrans, cujus cosinu evanescente, evanescet IO, & error FD deprehensus in probl. 2 (num. 24, & 40) erit totus error hujus problematis tertii. Si vero fiant eæ observationes indice notante punctum H figuræ 1; evanescente BD fiet ille cosinus = 1, & punctum O abibit in L, eritque error anguli axium LGF summa errorum EL, FI definitorum in binis problematis pro binis ipsis axibus seorsum.

43. *Schol.* 2. Ut habeatur unico intuitu fructus totius perquisitionis, en valores analyticos, & formulas, ac totam errorum corrigendorum seriem. Tres distantiæ fili a limbo notandæ sunt, dum axis horizontalis convertitur circa verticalem, & aliæ tres, dum planum instrumenti convertitur circa axem horizontalem: dicantur

tur illæ m, n, r, hæ m', n', r', & radius instrumenti a. Eorum ope in fig. 3 præparantur valores pro determinatione errorum. Puncta O, O', O'' respondent punctis notatis ab indice in iis conversionibus. Diameter AB invenitur, productâ chordâ O''O' in O'S in ratione $r-n$ ad $n-m$, sine accentu pro primo problemate, cum accentu pro secundo, ac ductâ rectâ SO, & per centrum C diametro perpendiculari eidem: ponitur autem A in extremo propiore illi e punctis O, quod respondet maximæ distantiæ fili a limbo. Eadem diameter inveniri potest calculo trigonometrico posito num. 17. Si capiatur arcus OH in fig. 1 æqualis arcui OA tertiæ, & jacens eodem ordine respectu punctorum O, O', quo ibi; habebitur positio ejus axis, qui deberet esse horizontalis, versus quam inclinatur is, qui deberet esse verticalis. Quantitas ejus inclinationis habebitur, si cosinus CR, CR' arcuum AO, AO' dicantur b, c: angulus, quo axis verticalis inclinatur, erit (num. 24) $= \frac{m-n}{a(b-c)}$. Is error non pertinet ad constructionem instrumenti, sed ad ejus collocationem ope cochlearum pedis, ac reliquis correctis facile corrigitur methodo exposita num. 3.

44. Si in fig. 3 puncta O, O', O'' referant tres positiones instrumenti circumacti circa axem horizontalem, sive puncta in divisione limbi notata a filo penduli in iis positionibus, eâdem methodo invenitur diameter AB. Si ibi punctum A jaceat respectu punctorum O in ea positione, ut ejus analogum in fig. 1 cadat in limbum AB; adducto filo per conversionem ad id punctum, abrasio debebit fieri in altissima parte basis cylindri. Si id cadat extra; tum adducto instrumento ad positionem respondentem puncto O, in qua est facta prima observatio, notetur punctum, quod eminet summum in superficie cylindri solidi prope os circulare concavi, cui is inseritur: ab eo puncto ibidem in eadem superficie capiatur arcus similis invento OA in eadem directione, in qua, filo notante in limbo puncta O respondentia punctis O, O', succedere sibi debent puncta superficiei ipsius cylindri convexi. Punctum positum in extremo puncto ejus arcus respondebit crassitu-

situdini AE abradendæ in fig. 6. Posito ibi BA $= f$ erit crassitudo AE, vel BI $= \frac{f}{a} \times \frac{n' - m'}{c' - b'}$.

45. Supplementum distantiæ puncti H figuræ 1 inventi num. 22 a puncto notato ab indice in circulo eodem azimuthali in conversione circa axem horizontalem immotum dicatur q, & error anguli axium, quo is deficiet a recto, erit (num. 40, & 41) $= \frac{m'}{a} - \frac{b'(n' - m')}{a(c' - b')} + \frac{(n - m)}{a(c - b)} \times cos. q$, qui vertetur in excessum, si ea formula negativum valorem exhibeat. Correctio similis adhibitæ in fig. 5 adhiberi debebit in nexu alterius axis cum altero, & simili methodo ex hac formula invenitur quantitas abradenda, vel hiatus procurandus ita, ut axis horizontalis depressus in plano verticali, vel elevatus acquirat positionem debitam. Si nimirum dicatur f latus inducendi hiatus, vel longitudo cunei abradendi; crassitudo analoga crassitudini AE, vel BI fig. 6, erit is valor ductus in f.

46. Omnium expeditissima determinandi ratio erit, si in gyro circa axem verticalem notentur bina loca indicis, in quibus filum tangit limbum: tum, nullâ aliâ mensurâ ibi captâ, ponatur index horizontalis in puncto remoto ab eorum medio per quadrantem, & ibi fiat conversio circa axem horizontalem: errores corrigendi erunt sequentes duo, in quibus m', n' sunt binæ distantiæ fili a limbo in gyro circa axem horizontalem, b', c' cosinus arcuum AO, AO' figuræ 3 respondentium iisdem observationibus, a radius instrumenti, f latus cunei abradendi, vel hiatus procurandi per intrusionem lamellæ in situ correctionis: en eos errores $\frac{f}{a} \times \frac{n' - m'}{c' - b'}$, $\frac{f}{a} \times (m' - \frac{b'(n' - m')}{c' - b'}$.

OPU-



OPUSCULUM VIII.

De verificatione divisionum sextantis.

1. Hoc Opusculum conscripseram occasione inquirendi in divisiones sextantis habentis radium pedum sex, qui habebatur in Mediolanensi specula, pro quo etiam excogitavi methodum traditam in Opusculo præcedente inquirendi in positionem axium sectoris ejusdem, qui laborabant vitio ibi exposito ita, ut in ejus usu necessarius esset perpetuus motus cochlearum pro adducendo filo penduli ad limbum, vel reddenda ipsi libertate positionis verticalis impeditæ a nimia applicatione ad ipsum limbum. In eo repetebatur tota methodus, quam in alio Opusculo conscripto alio tempore adhibueram pro quadrante, determinandi inæqualitatem arcuum per inæqualitatem chordarum, eruendi inde errorem arcus graduum 60 per comparationem ejus chordæ cum radio, tum pro subdivisionibus considerando errorem derivatum in singulis partibus ab errore totius, qui æqualiter distribuitur inter partes, & haberetur in iis, etiam si eæ essent accurate æquales inter se, ac errorem proprium, qui oritur ab inæqualitate partium ipsarum, conjungendum cum derivato ad habendum errorem totalem partium singularum, ac demum deducendi tabulam errorum absolutorum pertinentium ad arcus omnes incipientes a zero usque ad quodvis punctum notatum in limbo. Habebatur series amplissima numerorum exhibitorum a singulis observationibus repetitis, & calculorum numericorum adhibitorum ad obtinendam demum eam tabulam.

2. Ordinatâ jam serie Opusculorum pro hac collectione, & imminente impressione, censui fore magis opportunum, si pro eo integro Opusculo exhiberem potius compendium quoddam, in quo omissa omni serie numerorum, qui pertinebant ad illum tantummodo individuum sextantem, proponerem tantum ea, que in

eo pertinebant ad methodos generales, addendo nonnulla, quæ ibi deerant, & proponendo formulas quasdam idoneas pro ordinanda serie calculorum, quæ in eo Opusculo occurrebant. Occurrit in primo Opusculo pro quadrante theorema pertinens ad eruendam differentiam arcuum a differentia chordarum, quod ibi supposueram: habebatur hìc ejus demonstratio, quam huc inde transferam. Ibi divisiones habebantur per rectas lineas perpendiculares arcui circuli delineati ductu continuo per circinum habentem binas cuspides perpendiculares virgæ metallicæ, quarum altera cum esset fixa in centro, altera non poterat exhibere ullam inæqualitatem radiorum: hìc divisiones erant factæ per punctula, quæ dum imprimuntur malleolo percutiente cuspidem innixam circulo delineato per ductum tenuem, ac levem, non ita facile habentur ejusmodi, ut centra eorum punctorum, quæ per microscopium apparent ut circelli, cadant accuratissime in medium ductum tenuissimæ illius peripheriæ circularis, adeoque habeant omnia eorum circellorum centra distantiam a centro ejusdem peripheriæ accurate eandem. Circellorum, qui nudo oculo apparebant simplicissima quædam punctula, diameter microscopio visa occupabat plura quam 10 secunda. Inquirendum igitur erat in effectum inæqualitatis binorum radiorum terminatorum ad duo extrema puncta eorum arcuum, in quorum inæqualitatem inquirendum erat per inæqualitatem chordarum terminatarum ad eadem puncta determinatam methodo expositâ in eodem Opusculo I. Id ibi præstiteram: proponam hìc inde erutum theorema eo pertinens, & regulam, quæ ex inæqualitate tam chordarum, quam radiorum exhibet differentiam arcuum, sive angulorum terminatorum ad centrum, & quidem redditam adhuc simpliciorem. Accedet demonstratio aliquanto melius ordinata eruendi errorem proprium, & quidem immediate pro parte quavis, ex inæqualitate partium, quæ deberent esse æquales, ac formula melius ordinata pro habendo errore totali absoluto. Quare habebitur hìc id, quod ibi deerat, cum additamento admodum utili.

3. *Theorema* I. *Differentia duarum chordarum ad differentiam arcuum parum a se invicem differentium est, ut cosinus*

 dimi-

dimidii arcus ad radium, sive ut radius ad secantem dimidii arcus.

4. Si enim (Tab. VI fig. 1) arcus BA, BC differant a se invicem per differentiam exiguam AC, & centro B radio chordæ minoris BA concipiatur arcus AD abscindens a chorda majore BC differentiam chordarum CD; is arcus exiguus haberi poterit pro recta perpendiculari ad chordam BC, ut & arcus AC pro recta, quæ in triangulo ADC jam rectilineo, & rectangulo erit hypothenusa. Si ea consideretur ut radius, erit CD sinus anguli CAD sibi oppositi, adeoque cosinus anguli ACD sibi adjacentis, & si CD consideretur ut radius, erit AC secans ejusdem anguli ACD. Porro is angulus insistit arcui AB ad circumferentiam in C, adeoque habet pro mensura dimidium arcum BA. Quare differentia CD duarum chordarum BA, BC est ad differentiam AC arcuum ut cosinus dimidii arcus ad radium, vel ut radius ad secantem dimidii arcus. Q. E. D. (*).

5. *Corollarium*. Hinc habitâ differentiâ chordarum habebitur differentia arcuum, dividendo differentiam priorem per cosinum dimidii arcus, vel illam multiplicando per secantem ejus dimidii.

6. *Scholium*. Hìc, ubi agitur de arcubus pertinentibus ad sextantem, & vero etiam in Opusculo I, ubi agebatur de pertinentibus ad quadrantem, semper occurrunt arcus, in quibus chordæ majori respondet arcus major, quod habetur semper in arcubus semicirculo minoribus: contrarium accidit in arcubus semicirculo majoribus, ut facile patet. Quævis chorda respondet binis arcubus, qui simul complent circulum integrum. Diameter quidem binis semicirculis inter se æqualibus, quævis autem alia chorda binis arcubus inæqualibus, quorum alter est major semicirculo, alter minor. Eo ipso, quod, ubi agitur de arcubus minoribus semicirculo, chorda major respondet majori arcui, debet haberi oppo-

(*) Patet, hoc theorema debere habere locum etiam, si bini arcus proxime inter se æquales distent a se invicem, ut CB, MN. Abscisso enim versus C arcus majoris arcu BA, æquali arcui minori NM, chorda BA erit æqualis chordæ NM, & redibit eadem demonstratio pro differentia chordarum MN, CB, quæ pro chordis AB, CB.

positum, ubi agitur de majoribus semicirculo: nam residuum arcus majoris ad eundem integrum circulum debet esse minus residuo minoris. Idem respondet naturæ cosinus, & secantis, quarum ratio adhibetur in hoc theoremate: nam dimidium arcus minoris semicirculo est minus quadrante, & dimidium majoris illo est majus hoc: cosinu autem arcus minoris quadrante, qui metitur angulum acutum, assumpto pro positivo, uti fit, secans ipsius est itidem positiva, sed cosinus arcus majoris quadrante, qui metitur angulum obtusum, est negativus, ut & secans negativa, quod mutat differentiam positivam respondentem excessui in negativam respondentem defectui.

7. In casu sextantis, & quadrantis dimidium nunquam est majus gradibus 45, vel eam mensuram parum admodum superat, ubi adduntur gradus aliquot citra zero, & ultra 60, vel 90. Id autem efficit, ut theorema sit in iis semper proxime verum, atque id sive assumatur dimidium arcus majoris, sive dimidium minoris, quorum dimidiorum cosinus, & secantes differunt inter se per differentias exiguas, ubi agitur de arcubus non parum distantibus a quadrante. At in his exigua differentia mutua potest inducere differentiam cosinuum ingentem respectu cosinus utriuslibet, qui est exiguus etiam ipse, & prope quadrantem secantes excrescunt in infinitum ita, ut exiguis differentiis arcuum possit respondere differentia secantium immensa. Prope quadrantem angulus ACD accedit ad rectum etiam ipse, & considerando arcus AC, AD pro rectis lineis, & angulum ADC pro recto, negliguntur quantitates ejusdem ordinis cum iis, quæ retinentur pro determinatione rationis quæsitæ: differentia CD evadit ordinis inferioris respectu arcuum AC, AD, qui accedunt ibi ad rationem æqualitatis ultra quoscumque limites. Sed hic casus, ut innui, evitatur, ubi agitur de arcubus AB, CB vel minoribus quadrante, vel non nisi paullo majoribus, quorum dimidia longe distant a quadrante, prope quem oritur ille defectus formularum. Hoc autem accidit omnibus ejusmodi methodis differentialibus, quæ prope quædam puncta possunt inducere in errores etiam infinitos, si theoremata ipsarum ope eruta pro casibus generalibus adhibean-

tur prope ea puncta ita, uti exprimuntur. Unus ex iis casibus habetur, ubi parum distat a quadrante arcus, cujus inducitur cosinus, qui ibi decrescit in infinitum, vel tangens, & secans, quæ in infinitum augentur: potest id ipsum accidere etiam, ubi is arcus ipse est exiguus. Sed ut innui, nullum hìc habetur ejusmodi periculum, & potest adhiberi cosinus, ac secans arcus vel majoris, vel minoris ex iis binis, dummodo arcus ipsi non sint ita exigui, ut eorum differentia non sit exigua respectu eorundem.

8. In arcubus, qui hìc possunt occurrere, secunda ratio radii ad secantem est multo aptior. Satis est multiplicare differentiam chordarum inventam per excessum secantis supra radium, & addere productum ei ipsi differentiæ ad habendam differentiam arcuum quæsitam. Porro is excessus incurrit statim in oculos inspicienti tabulas sinuum, dempta prima unitate, quæ radium exprimens occurrit sola in arcubus minoribus gradibus 60. Cum autem differentia chordarum, quæ in arcubus instrumenti verificandi proximè æqualibus potest occurrere, debeat esse admodum exigua; ea multiplicatio evadit expeditissima, atque id eo magis, quod in excessu secantis supra radium, sit satis in iis arcubus pro prima illa unitate ponere zero. Satis autem erit assumere in eo excessu partes radii tantummodo centesimas, vel ad summum millesimas, quod ipsum reducet ad notas ad summum tres, & cito ad duas, vel etiam ad unicam, eo penitus neglecto in arcubus minoribus. Pro dimidio arcus graduum $30 = 15$, jam is excessus est tantummodo 0,035, pro $7°.\frac{1}{2}$ dimidio arcus $15°$ is non pertingit ad 0,009.

9. *Theor.* 2. *Si duo radii sint inæquales cum differentia exigua respectu rectæ jungentis eorum extrema puncta, quæ recta hìc appellabitur chorda observata, & hæc comparetur cum chorda arcus intercepti inter eorum radiorum directiones in circulo habente pro suo radio majorem ex iis binis radiis, quæ dicatur chorda reducta; excessus radii majoris supra minorem erit ad differentiam earum chordarum, quæ erit excessus reductæ supra observatam, ut est sinus totus ad sinum dimidii ejusdem arcus intercepti.*

10. Sint enim (fig. 2) ii radii CB, CD, quorum posterior pro-

du-

ductus occurrat in A arcui circuli habentis pro suo radio priorem; chorda observata erit BD, vera BA, angulus autem DBA erit exiguus ob differentiam AD æqualem ei differentiæ radiorum exiguam respectu chordæ utriusque. Hinc arcus DE circuli habentis B pro centro, qui abscindet differentiam chordarum AE, haberi poterit pro recta perpendiculari ad chordam BA. Hæc autem debet cadere intra angulum DAB, qui in triangulo CAB semper isoscelio erit semper acutus, adeoque ea differentia erit excessus chordæ reductæ supra observatam. Deinde si recta CF sit perpendicularis ipsi chordæ BA, quam secabit bifariam; erit AF sinus dimidii arcus AB, & ratio radii CA ad ipsam AF erit ratio, quam habet sinus totus ad sinum dimidii ejus arcus, quæ cum sit ratio excessus AD radii CB supra radium CD ad excessum AE chordæ veræ supra observatam: sic patet quidquid fuerat propositum.

11. *Scholium*. Hic itidem nulla difficultas haberi poterit in applicatione hujus theorematis differentialis ad casus, qui possunt occurrere in hujusmodi verificationibus, cum ex una parte dimidium arcus AB debeat distare multum a quadrante, & ex alia supponatur differentia AD binorum arcuum ita exigua respectu chordarum earundem, ut angulus ABD evadat exiguus, nec angulus CAB possit ita accedere ad rectum, ut sinus-versus arcus DE, qui negligitur accipiendo ipsum arcum pro suo sinu re ipsa rectilineo, & perpendiculari ad chordam BA, non debeat esse perquam exiguus respectu differentiæ AE, respectu cujus negligitur.

12. *Cor.* 1. *Si pro chorda reducta assumatur chorda arcus determinati a productione binorum terminatorum ad bina puncta divisionis limbi in circulo habente radium paullo majorem utroque ex iis, & is circulus, ac ejus radius dicantur circulus, & radius reductionis; excessus chordæ reductæ supra observatam conjungentem ea divisionum puncta habebitur multiplicando summam excessuum radii reductionis supra eos radios per sinum dimidii ejusdem arcus.*

13. Si enim (fig. 3) ii radii minores sint CD, CG, qui producti occurrant in A, & B, circulo habenti pro radio reductionis CA,

CA, & CB, & concipiatur recta DB, ac centro D arcus GH terminatus ad hanc, & centro B arcus DE terminatus ad chordam BA; erit BH excessus rectæ BD supra chordam observatam DG, & AE excessus chordæ reductæ AB supra eandem rectam BD. Quare summa ipsorum excessuum BH, AE erit excessus chordæ reductæ AB supra observatam DG. Porro ex hoc theoremate erit tam BG ad BH, quam AD ad AE in eadem ratione sinus totius ad sinum dimidii arcus AB. Quare habebitur summa ipsarum lineolarum BH, AE, quæ est excessus chordæ reductæ supra observatam, multiplicando summam excessuum BG, AD radii reductionis supra radios terminatos ad bina puncta G, D per sinum dimidii arcus AB intercepti inter horum productiones, quod productum exhibebit excessum chordæ reductæ supra observatam, uti fuerat propositum.

14. *Cor.* 2. Si comparandi sint inter se per differentias chordarum bini arcus circuli reductionis, etiam non contigui, quorum radii terminati ad puncta divisionum sint omnes inter se diversi, poterit assumi pro radio reductionis maximus ex omnibus radiis terminatis ad omnia divisionum puncta, & inveniri differentia, quam habebunt a se invicem binæ chordæ illorum arcuum reductorum ad hunc circulum, & differentia ipsorum arcuum methodo sequenti.

15. In primis comparando eos radios inter se methodo Opusculi I, invenietur excessus radii reductionis supra singulos ex iis quatuor, qui erit $= 0$, si ipse ille radius omnium maximus fuerit unus ex iis quatuor. Dicantur ii excessus pro radiis arcus primi a, & b, & pro radiis arcus secundi a', & b'. Deinde determinetur in iisdem particulis excessus primæ chordæ observatæ supra secundam d, qui erit defectus, si ea prima chorda fuerit minor secundâ, valore d eo casu evadente negativo: chorda prima observata dicatur c, & dimidium arcus utriuslibet m. Chorda secunda observata erit $c - d$: chorda prima reducta erit $c + (a + b)\, sin.m$, secunda $c - d + (a' + b')\, sin.m$. Hinc excessus primæ chordæ reductæ supra secundam erit $d + (a + b - a' - b')$ $sin.m$.

16. In-

16. Invenietur excessus primi arcus supra secundum per theorema 1, dividendo hunc valorem per *cos.m*, vel multiplicando illum per *sec.m*: poterit autem adhiberi pro primo termino ea multiplicatio, & pro secundo ea divisio: hac autem adhibitâ, obvenit $\frac{sin.m}{cos.m}$, qui valor ex formulis trigonometricis est $=$ *tan.m*. Quare excessus primi arcus supra secundum erit $d\,sec.m + (a+b-a'-b')\,tan.m$, qui evadet defectus, si is valor evaserit negativus.

17. *Scholium*. Inde oritur pro differentia arcuum, quæ demum quærebatur, sequens regula, in qua habetur ratio non solius tantummodo inæqualitatis chordarum, sed etiam inæqualitatis radiorum pertingentium ad puncta divisionis. *Pro habendo excessu primi e duobus arcubus comparatis per suas chordas supra secundum, excessus primæ chordæ supra secundam multiplicetur per secantem dimidii arcus: fiat tam summa excessuum radii maximi omnium exhibitorum ab instrumento supra radios arcus primi, quam summa excessuum supra radios arcus secundi: subtrahatur summa posterior a priore: residuum multiplicetur per tangentem ejusdem dimidii arcus: summa horum binorum productorum erit quæsitus excessus arcus primi supra secundum.*

18. Patet ex hac regula, & e formulis, rem totam peragi per solas differentias chordarum, & radiorum, quæ solæ debeant haberi accuratæ, & quidem relate ad scalam quamcumque, quæ exhibere possit particulas perquam exiguas, independenter a valore accurato cujusvis chordæ, vel radii, dummodo habeatur relatio particularum scalæ ipsius ad valorem arcus non ita nimis exigui insculpti in instrumento, utcumque non prorsus exacti, ut minutorum 10, vel 5, cujus arcus error exiguus respectu totius, inducet in numerum exiguum particularum, quæ habentur in iis differentiis, errorem exiguum respectu ipsius totius exigui, adeoque penitus contemnendum. Ea scala habetur per numerum integrarum revolutionum cochleæ micrometri, & partium unius revolutionis.

19. Methodus determinandi eas differentias pro chordis habetur.

in

in Opusculo I, habetur ibidem methodus comparandi radium, qui ibi inventus est constans, cum chorda arcus graduum 60: pro chordis methodus hìc est eadem, & eodem modo hìc comparari possunt omnes radii inter se, quo ibi ille constans, cum ea chorda: quoniam hìc supponuntur omnes divisiones factæ per punctula, possunt omnia fieri accuratius, cum lineola ducta in superficie laminæ vitreæ multo accuratius adducatur ad positionem, in qua ea tegat fere totam diametrum circelli visi pro puncto per microscopium ita, ut extent hinc, & inde duo segmenta æqualia. Si haberetur hìc etiam, ut in quadrante, cylindrulus in centro, circa quem circumducatur alidada; comparatio radiorum terminatorum ad punctula fieret multo facilius: satis esset adnectere ipsi alidadæ unicam machinulam habentem lamellam vitream mobilem ope cochleæ: adductâ alidadâ ad positionem primi puncti adduceretur lineola ad ejus centrum: tum ipsâ alidadâ adductâ ad omnia sequentia punctula, haberetur per micrometrum differentia ejus primi radii a sequentibus omnibus.

20. Proposuimus num. 14, ut assumatur pro radio reductionis radius omnium maximus, ut nimirum in exprimenda regula adhiberetur pro differentia vox excessus, sine alternatione positivorum, & negativorum, excessuum, & defectuum, ubi radius posterior est major priore: verum patet, rem æque perfici, si assumatur pro radio reductionis quicumque e radiis, ut primus ex iis, ad quos alidada sit adducta, adhibitis defectibus cum signo negativo. Posset etiam initio amandari ope micrometri lineola ad distantiam aliquanto majorem ea, quæ possit supponi in radiis parum utique discrepantibus a se invicem. Tum differentia numeri notati a micrometro pro ea positione a numero notato pro quovis alio radio exhiberet semper immediate excessum sine ulla permixtione negativorum.

21. Sed nec esset necessarium adhibere radium quempiam reductionis communem pro omnibus binariis arcuum comparandorum: posset assumi quivis e quatuor radiis pertinentibus ad ipsos: habebitur enim differentia angulorum subtensorum in centro, pro quorum mensura potest considerari arcus circuli cujusvis: valor

par-

particularum micrometri desumitur a numero ipsarum respondente arcui circuli cujusdam determinati, sed pro hoc assumi potest, ut diximus, arcus quivis ex iis, qui habentur in ipso instrumento, utcumque non nihil erroneus, cum ejus erroris effectus dispareat in valore exigui numeri, qui habetur in exiguis differentiis, atque id eo magis, quod pro eruendo valore ipsarum particularum assumi possunt plures arcus determinati a pluribus binariis punctorum exhibentibus arcum ejusdem numeri minutorum, quorum errores se maxima ex parte compensabunt, assumpto valore medio. Porro adhibendo pro radio reductionis unum ex illis quatuor radiis, non adhibentur in singulis ex iis calculis numericis, nisi tres tantummodo excessus. Ubi autem comparantur inter se bini arcus contigui, quod fit semper in bissectionibus, & sæpe etiam, vel quandoque, in trisectionibus, & divisione arcus cujuscumque graduum quinque in gradus singulos, non occurrunt, nisi tres radii, adeoque assumpto pro radio reductionis intermedio ex iis tribus, non occurrunt adhibendi nisi duo excessus.

22. Verum pro divisione arcuum graduum quinque in gradus singulos negligenda erit omnino inæqualitas radiorum, si sit exigua, ut esse debet; nam tangens dimidii gradus, per quam debet multiplicari $a + b - a' - b'$, non est, nisi 0,009: etiam pro bissectione arcuum 10 in arcus 5° tangens arcus $2^\circ.30'$ dimidii hujus non est nisi 0,043: addenda est consideratio valoris multiplicandi, qui componitur e positivis, & negativis, quæ erunt vere negativa, si pro radio reductionis assumatur radius major iis omnibus, qui occurrunt adhibendi, vel maximus eorum. In primo casu si assumeretur radius non parum excedens omnes exhibitos ab instrumento, obvenirent excessus a, b, a', b' non ita parvi, sed tunc ii essent veri excessus, adeoque positivi, & valor $a + b - a' - b'$ minueretur ab oppositione signorum. Hinc ibi etiam videtur contemni posse secundus terminus formulæ. Cum autem in iis excessus secantis supra radium sit adhuc minor, quam 0,001 multo magis negligi poterit hæc additio facienda differentiæ chordarum multiplicandæ per secantem, adeoque ibi jam adhiberi o-

 mnino

mnino poterit sola differentia chordarum observatarum pro differentia arcuum.

23. Inventâ differentiâ arcuum, procedebatur hîc etiam, ut in Opusculo I, ad determinationem erroris tam derivati, quam proprii arcuum quorumcumque. Error totius divisus per numerum partium est error derivatus singularum ex ipsis partibus, nimirum is, qui esset ipsarum error, si omnes essent æquales. Invento errore arcus graduum 60 per comparationem ejus chordæ observatæ cum radio reductionis, & radiorum ipsius observatorum cum eodem, non occurrit usque ad gradus singulos, nisi divisio ipsius in duos = 30, tum horum singulorum in duos = 15, horum in tres = 5, horum in quinque graduum singulorum, adeoque in hisce casibus assumendum est pro errore derivato dimidium, iterum dimidium, tum triens, ac demum pars quinta erroris sui arcus totius. Pro errore proprio, qui oritur ex inæquali divisione partium, ibi assumebatur excessus partis primæ supra quamcunque e reliquis, & pro errore ejusdem partis primæ assumebatur omnium ejusmodi excessuum summa divisa per numerum partium, tum pro quavis alia parte demebatur ab errore partis primæ excessus hujus supra eam partem. In hoc Opusculo pro habendo immediate errore partis cujusvis adhibebatur eadem regula, assumendo summam excessuum ipsius supra omnes reliquas, & pro errore partis alterius cujusvis demebatur excessus illius ejusdem supra hanc aliam: demonstratio expeditissima habetur ibi numero 18. Si ea regula hîc adhibeatur, habetur immediate error partis cujusvis etiam intermediæ, sed res eodem redit, & nihil refert, utro modo fiat calculus.

24. In eo sextante, pro quo hæc investigatio fuerat instituta, habebatur etiam subdivisio singulorum graduum in dena minuta per punctula: quamobrem ibi habebatur altera subdivisio singulorum graduum in 30', & horum in 10', cum errore totius subdiviso adhuc primum in partes duas, tum in tres ad habendum errorem derivatum partium singularum. Quoniam quævis pars divisionis postremæ habet participationem singulorum errorum totalium pertinentium ad unam e singulis magnitudinum præcedentium,

vide-

videtur primo aspectu posse timeri augmentum justo majus in omnium ejusmodi terminorum summa. Ad amovendum eum timorem, & subjiciendum progressum omnem ejusmodi errorum ita, ut videri posset unico aspectu, proposita fuerat in hoc Opusculo, cujus compendium hic exhibetur, sequens tabula, in qua errores proprii pro arcu totali graduum 60, & arcubus provenientibus ex divisionibus, & subdivisionibus 30°, 15°, 5°, 1°, 30', 10' appellantur p, q, r, s, t, u, x. In prima columna habentur magnitudines arcuum, tum e regione singulorum error totalis compositus e derivato, & proprio.

60°	p
30	$\frac{1}{2}p + q$
15	$\frac{1}{4}p + \frac{1}{2}q + r$
5	$\frac{1}{12}p + \frac{1}{6}q + \frac{1}{3}r + s$
1	$\frac{1}{60}p + \frac{1}{30}q + \frac{1}{15}r + \frac{1}{5}s + t$
30'	$\frac{1}{120}p + \frac{1}{60}q + \frac{1}{30}r + \frac{1}{10}s + \frac{1}{2}t + u$
10	$\frac{1}{360}p + \frac{1}{180}q + \frac{1}{90}r + \frac{1}{30}s + \frac{1}{6}t + \frac{1}{3}u + x$.

25. Si in determinatione singulorum ex iis erroribus deveniretur ad præcisionem particulæ cujusvis; summa terminorum omnium efformantium errorem derivatum, qui præcedunt postremum proprium, & in postrema linea sunt sex, adhuc vix excederet dimidium unius ejus particulæ. Si enim reducantur singuli coefficientes fractionarii ad eundem denominatorem 360, summa omnium numeratorum non erit nisi $1 + 2 + 4 + 12 + 60 + 120 = 199$, quæ vix superat 180 dimidium numeratoris.

26. Inventis erroribus totalibus partium singularum, facile efformatur tabula errorum pertinentium ad arcus totales, qui incipiunt a zero usque ad quodvis e punctis notatis in limbo. In ipso Opusculo primo habetur ordo servandus in progressu calculi usque ad arcus continentes gradus integros, & ostenditur, quam parum accumulentur errores, servato eo ordine, qui evaderent 59, si usque ad eum terminum fieret summa errorum pertinentium ad gradus singulos. Is ordo poscit, ut digestis in prima columna o-

mnibus numeris a zero usque ad 60°, adscribatur in secunda prius huic error suus: pro 30°, suus totalis erutus e secunda linea: itidem pro 15°, 5°, 1°, 30', 10' suus erutus e singulis sequentibus numeris: pro 45° suus pertinens ad suum 15, additus ei, qui habebatur respondens arcui 30. Pro 10, 20, 35, 50, qui arcus componuntur addito 5 arcubus 5, 15, 30, 45, qui jam habebantur, apponetur summa errorum horum arcuum, & sui graduum 5 adjecti: at pro 25, & 55, qui respondent divisionibus in partes tres, & componi possunt demendo 5 a gradibus 30, & 60, demendus est error sui 5 ab errore 30, & 60. Ita habebuntur jam omnes errores arcuum compositorum e quinque gradibus. Horum singulis accedent errores primi, tum primi, & secundi ex intermediis, qui addi debent arcubus præcedentibus ad eos efformandos, ac ab errore sequentis demendus erit error tertii, & quarti, vel solius quarti ab errore arcus sequentis, a quo ii arcus auferri debent ad efformandos præcedentes. Eadem est ratio ordinis pro arcubus continentibus gradus, & minuta.

27. Patet sane, quam eo pacto minuatur errorum accumulatio. Accedit autem eorum elisio mutua, quæ occurret utique semper ob errores negativos permixtos positivis, quæ permixtio semper occurrit. Si examen instituatur diligenter cum bono micrometro, & microscopio, invenietur consensus ingens, verificatione repetitâ, quod ego ipse expertus sum.



OPU-



OPUSCULUM IX.

Problema pertinens ad excentricitatem in circulo verticali, circa cujus axem horizontalem convertatur telescopium meridianum.

1. IN astronomicis speculis adhiberi solet ubique instrumentum appellatum a Gallis *Instrument des passages*, quod idcirco in uno e præcedentibus Opusculis appellavi *Instrumentum transituum*, de cujus verificatione agetur in Opusculo XI. In eo circa axem horizontalem perpendicularem plano meridiani convertitur telescopium: ejus usus præcipuus, & plerumque unicus est determinatio momenti, in quo astrum quodcumque transit per meridianum, quod ipsi instrumento nomen dedit, & ad eum usum sufficit unicum filum tensum in directione perpendiculari ad filum horizontale in eo foco, in quo habetur imago objecti: appulsus astri ad id filum determinat momentum ejus transitus: filum horizontale haberet usum ad determinandam distantiam a zenith, vel altitudinem supra horizontem: ea determinatio simultanea addita momento ejus transitus esset admodum utilis, quia per eam unicam observationem haberetur completa determinatio loci astri in sphæra cælesti. Momentum transitus comparatum cum appulsu vel solis, vel astri cujuspiam, cujus nota sit ascensio recta, exhiberet ascensionem rectam illius prioris, dum via astri congruens cum filo horizontali in instrumento bene rectificato ad eum usum exhiberet declinationem ipsius. Sed ad habendam ejusmodi determinationem satis accuratam oporteret habere saltem semicirculum radii satis magni collocatum in plano meridiani, cujus centrum esset collocatum accurate in ipso axe conversionis: index affixus ipsi axi methodis, quæ adhibentur pro quadrante murali, nimirum ope nonii, & micrometri, quod ibi etiam aptari posset, exhiberet accuratas distantias a zenith, vel altitudines supra horizontem.

2. Sed

2. Sed cum fere semper id instrumentum adhiberi soleat unice pro accurata determinatione momenti ejus transitus, solet addi tantummodo ad latus telescopii semicirculus exigui radii, qui tantum crasso modo exhibeat ipsas altitudines supra horizontem, ut dirigi possit telescopium in eam cæli plagam, quæ efficiat, ut astrum, cujus transitus expectatur observandus, potissimum si debeat observari per diem, debeat ingredi campum telescopii, & appellere ad illud filum verticale, quod ejus transitum exhibeat. Verum vidi ego quidem in quodam observatorio circulum integrum satis magnum affixum ad latus telescopii catadioptrici satis magni, qui erat satis idoneus ad habendas accuratas ejusmodi determinationes, & ingens numerus observationum fuerat institutus ejus ope, ac in ingentem catalogum redactus, in quo præter momentum ipsum transitus fuerat adnotatum punctum peripheriæ ejus circuli, ex quo deduci potuisset determinatio completa loci ejus astri pro momento transitus, si centrum ipsum circuli fuisset accurate congruens cum eodem conversionis axe. Sed quoniam ea additio fuerat facta instrumento jam collocato, & firmiter adnexo axi ipsi, ac axe crassiore suis fulcris, centrum illud aberrabat ab ea positione non quidem plurimum, sed per distantiam adeo sensibilem, ut omnes eæ determinationes factæ per eum indicem in eo circulo deberent remanere inutiles, nec vero ullus earum usus fuerat factus jam a pluribus annis, a quibus perpetuo relatæ fuerant in eum catalogum eædem observationes.

3. Hinc ego quidem cogitavi de modo reddendi utilem tantam accuratissimarum observationum multitudinem jam ibi institutarum: exhibebo hic plures methodos, quibus id ibi obtineri poterat, cum possint esse utiles pro aliis ejusmodi casibus, qui possint occurrere, pertineat autem id argumentum ad seriem eorum, quæ in hoc Volumine persequor, nimirum verificationis instrumentorum astronomicorum, cujus ope cognitis eorum erroribus, vel corrigi possint ipsi eorum errores, si pertineant ad solam erroneam collocationem, vel possint haberi effectus producti ab iis erroribus ita, ut habitâ eorum ratione obtineantur observationes accu-

accuratæ, utut erroneis instrumentis peractæ. Illud autem hic præstabo, ut cognosci possit ejus circuli excentricitas, sive distantia ejus centri ab axe conversionis, & directio excentricitatis ipsius, quibus cognitis invenietur facile quantitas erroris inducti ab ea excentricitate in angulos ope ejusmodi instrumenti determinatos.

4. Prima methodus determinandi quantitatem, & directionem excentricitatis supponet, peripheriam, quæ habet divisiones, esse ductus accurate circularis, & divisiones esse accuratas, & quidem ejus forma videbatur admodum regularis, ductu peripheriæ ita nitido, ut satis appareret, delineatam fuisse unico ductu circini habentis binas cuspides perpendiculares virgæ cuipiam, & earum alteram fixam in dato puncto. Verum exhibebo etiam methodum inquirendi in id ipsum, & si forma aberret a circulari, determinando quantitatem ejus erroris in punctis divisionum singularum, quantum nimirum ea distent a peripheria circuli transeuntis per tria ejusmodi puncta, ac indicabo rationem inquirendi in errores divisionum ipsarum, si qui habeantur, conformem methodis, quæ habentur in præcedentibus Opusculis, unde orietur secunda methodus.

5. Pendet illa prior a solutione problematis prorsus elementaris, quod pro constructione geometrica indiget unica propositione Euclidea. Dentur (Tab. VI fig. 4) in circulo ABB', arcus AB, AB' cum angulis ADB, ADB' terminatis ad quoddam aliud punctum D, ac quæratur magnitudo, & positio excentricitatis CD.

6. Constructio prorsus expedita pendet a solutione problematis Euclidei, quo quæritur segmentum circuli insistens chordæ datæ, quod contineat angulum æqualem dato. Si ducantur chordæ AB, AB', & ducantur segmenta circulorum insistentium iis ipsis chordis, quorum singula contineant angulos æquales datis, illud angulo ADB, hoc angulo ADB'; concursus eorum segmentorum in D determinabit quæsitum punctum. Sed hic agitur de applicando calculo numerico, qui est necessarius ad usum præsentem.

7. Ad eam applicationem adhibebimus tres formulas trigonometricas notissimas I. $sin.(a - a') = sin.a cos.a' - sin.a' cos.a$. II. $cot.a = \frac{cos.a}{sin.a}$. III. $sin.vers.a = 1 - cos.a$. Sit E concur-

cursus rectæ CD productæ ad partes D cum circulo. In casu exposito a figura, qui facile transferetur ad omnes alios casus, duce ipsa formula eruenda per calculum, erit CAD $=$ ADE $-$ ACE, ac CBD $=$ BDE $-$ BCE, adeoque CAD $+$ CBD $=$ ADE $+$ BDE $-$ (ACE $+$ BCE) $=$ ADB $-$ ACB. Cum ii duo anguli dentur, dabitur etiam valor ADB $-$ ACB, qui dicatur n, & eodem pacto fiat ADB' $-$ ACB' $= n'$: angulus autem CAD incognitus fiat $= u$, & erit CBD $= n - u$, CB'D $= n' - u$. Fiat præterea ADB $= m$, ADB' $= m'$, ADE $= x$, CA $=$ CB $=$ CB' $= 1$, quo valore absoluto hìc non indigebimus, CD in partibus ejus unitatis $= z$: erit CD $= z$, EDB $= m - x$, EDB' $= m' - x$.

8. Est autem $sin.$ADC $= sin.$ADE $= sin.x : sin.$CAD $= sin.u ::$ CA $= 1 :$ CD $= z = \frac{sin.u}{sin.x}$, & CB $= 1 :$ CD $= z = \frac{sin.u}{sin.x} :: sin.$BDE $= sin.(m-x) = sin.m\,cos.x - cos.m\,sin.x : sin.$CBD $= sin.(n-u) = sin.n\,cos.u - cos.n\,sin.u$. Ob primum terminum $= 1$, erit hìc quartus æqualis producto e mediis, nimirum $sin.n\,cos.u - cos.n\,sin.u = \frac{sin.u\,sin.m\,cos.x}{sin.x} - sin.u\,cos.m = sin.u(sin.m\,cot.x - cos.m)$. Dividendo hos valores æquales inter se per $sin.u$, & ponendo $cot.u$ pro $\frac{cos.u}{sin.u}$ habebitur $sin.n\,cot.u - cos.n = sin.m\,cot.x - cos.m$, ac demum $cot.u = \frac{sin.m\,cot.x + cos.n - cos.m}{sin.n}$.

9. Eodem prorsus pacto ponendo ubique B', m', n' pro B, m, n, fiet $cot.u = \frac{sin.m'cot.x + cos.n' - cos.m'}{sin.n'}$. Quare fiet $sin.n'$ $sin.m\,cot.x + sin.n'cos.n - sin.n'cos.m = sin.n\,sin.m'cot.x + sin.n\,cos.n' - sin.n\,cos.m'$, & $cot.x(sin.n'sin.m - sin.n\,sin.m') = sin.n\,cos.n' - sin.n'cos.n - sin.n\,cos.m' + sin.n'cos.m = sin.(n - n') - sin.n\,cos.m' + sin.n'cos.m$, adeoque demum $cot.x = \frac{sin.(n-n') - sin.n\,cos.m' + sin.n'cos.m}{sin.n'sin.m - sin.n\,sin.m'}$.

10. Si

10. Si excentricitas CD sit exigua; erit exigua differentia angulorum ADB, ADB' ab angulis ACB, ACB', nimirum valor n, & n' erit exiguus, adeoque ipsi anguli assumi poterunt pro eorum sinubus. Tum formula evadet multo simplicior: nam denominator erit $n - n' - n cos.m' + n' cos.m = n(1 - cos.m') - n'(1 - cos.m) = n sin.vers.m' - n' sin.vers.m$, adeoque $cot.x = \frac{n sin.vers.m' - n' sin.vers.m}{n' sin.m - n sin.m'}$.

11. Invento valore $x =$ ADE, obtinetur u per formulam $cot.u = \frac{sin.m cot.x + cos.n - cos.m}{sin.n}$, quæ in casu valoris n exigui, facto $cos.n = 1$, & $1 - cos.m = sin.vers.m$, evadit $\frac{sin.m cot.x + sin.vers.m}{sin.n}$, ubi cum etiam valor u sit exiguus, adeoque minus accurate inveniendus per suam cotangentem, posito $\frac{1}{tan.u}$, sive $\frac{1}{u}$ pro $cot.u$, erit $u = \frac{n}{sin.m cot.x + sin.vers.m}$: potest autem pro m, & n, adhiberi etiam m', & n'. Inde vero habebitur etiam CD $= z = \frac{sin.u}{sin.x}$, quod exhibet ipsam excentricitatem, cujus ita habebitur magnitudo.

12. Invento angulo ADE $= x$, & angulo CAD $= u$, invenietur angulus ACE $=$ ADE $-$ CAD $= x - u$, adeoque & arcus AE ejus mensura, quo cognito, habetur ipsum punctum E, ad quod excentricitas dirigitur, cum supponatur cognitum punctum A respectu divisionum ejusdem circuli. Hinc habebitur & magnitudo, & directio excentricitatis respectu axis.

13. Cognito puncto E, ad quod dirigitur excentricitas, facile invenietur correctio adhibenda cuivis alteri numero exhibito a divisionibus circuli pro quovis alio puncto A. Habebitur enim arcus AE, qui potest appellari a. Is metitur angulum ad C trianguli ACD, in quo habebitur ratio laterum CA, CD, quæ est 1 ad z, cum angulo intercepto $= a$, adeoque inveniri poterunt bini anguli ad basim AD, quorum alter est angulus CAD quæsitus.

14. Quoniam errores supponuntur exigui ; poterit immediate erui correctio CAD, cujus sinus est $\frac{CD \times sin. ACD}{AD}$: assumpto pro AD radio AC = 1, fiet sinus correctionis CAD' = $z\, sin. a$.

15. Ad applicandam solutionem analyticam problematis propositi cum formulis inde deductis casui, de quo agitur, instrumenti transituum, oportet videre, quomodo haberi possint anguli ACB, ACB', ADB = m, ADB' = m'. Observentur ope ejus instrumenti appulsus trium fixarum, quarum declinatio sit cognita, ad intersectionem filorum, quæ habentur in foco telescopii exhibente imaginem objecti, adducto filo horizontali per motum ipsius instrumenti ad singulas, & notentur tria puncta A, B, B' exhibita ab indice : habebuntur arcus AB, AB', per summas, vel differentias numerorum indicatorum ab instrumento pro puncto A, & punctis B, B', qui arcus metiuntur angulos ACB, ACB'. Ex declinatione primi astri, ad quod tendit recta DA, collata cum declinationibus secundi, ac tertii, ad quæ tendunt rectæ DB, DB', habebuntur anguli ADB = m, ADB' = m', adeoque etiam ADB − ACB = n, & ADB' − ACB' = n'. Quare eruentur per eas formulas valores x, u, z, & habebitur correctio adhibenda omnibus reliquis punctis, quæ obvenerint in observationibus.

16. Eadem directio, & magnitudo excentricitatis potest haberi etiam sine ullis observationibus astronomicis alia methodo, quæ rem obtineat per formulas æque simplices in hypothesi formæ accurate circularis, & cujus ope inquiri possit in id ipsum, an forma sit accurate talis, & si habeantur errores etiam respectu ejus formæ, possint iidem corrigi. Id fiet per differentias distantiarum, quas habent singula divisionum puncta a centro conversionis. In hypothesi formæ accurate circularis satis sunt puncta tria, ut in priore methodo, cum binis differentiis distantiæ primæ a reliquis binis.

17. Potest utique aptari axi conversionis regula, quæ habeat in fine machinulam, cujus ope filum adnexum laminæ perforatæ in directione perpendiculari ad rectam, quæ tendit ad centrum vel lamina vitrea habens rectam lineam sibi insculptam in ea directio-

rectione possit ope cochleæ promoveri versus axem ipsum, vel ab eo removeri, denotatâ quantitate motus, ut in micrometris, methodo analoga ei, quæ adhibita est in Opusculo V, & indicata in figura 5, & 6 Tabulæ IV. Adductâ regulâ, & ipsâ illâ ejus lineâ rectâ ad punctum A, & notato numero indicato a micrometro, adducetur eadem regula ad puncta B, B' per eandem conversionem circa eum axem, per quam convertitur telescopium, & si filum ipsum non transeat per puncta B, B', motus inductus a cochlea, qui filum ipsum adducet ad ea puncta, ostendet differentiam distantiarum DB, DB' a distantia DA.

18. Ita eæ differentiæ erunt notæ in partibus indicatis a micrometro: sed oportebit eas reducere ad partes radii CA assumpti pro unitate. Ad eam rem oportebit habere valorem radii AC in partibus ejusdem micrometri, sed satis erit habere eum valorem tantummodo vero proximum. Id autem facile fiet, assumptâ chordâ arcus graduum 60 ope circini constantis virgâ cum binis cuspidibus ipsi perpendiculariter affixis, & translatâ in lineam rectam ductam in plano quopiam, cujus valor ope circini communis facile obtinetur in partibus scalæ cujusvis partium æqualium, in qua ope linearum transversalium habeantur particulæ admodum minutæ. Si desit ejusmodi circinus, facile suppletur ejus defectus, affigendo ope fili, & ceræ binas acus bacillo satis longo etiam ligneo, cujus altera adducatur ad primum punctum ejus arcus, altera ad finem, illatâ vi modicâ huic posteriori, quæ facile ita cedet vi ipsi illatæ, ut distantia ita capta non mutetur in translatione ab instrumento ad id planum, in quo habebuntur bina puncta extrema segmenti ejus lineæ æqualis ei chordæ, quæ debet esse æqualis radio ejusdem circuli, assumpto certo numero particularum ejus scalæ, ut 1000, & translato in eam rectam incipiendo ab altero extremo, invenietur, quot ejusmodi intervalla integra contineantur in ea recta: ac postremum residuum translatum eodem circino in eandem scalam complebit numerum earundem particularum contentum in ipso radio: poterit autem ante applicationem ejus micrometri ad illam regulam id ipsum comparari cum eadem scala, & determinari numerus particularum ipsius respondens dato cui-

 piam

piam numero particularum ipsius : ope horum numerorum facile reducetur quivis numerus particularum scalæ ad numerum particularum radii assumpti pro unitate.

19. Sit enim numerus particularum scalæ inventus in radio $= a$, numerus particularum ipsius scalæ comparatus cum micrometro $= b$, numerus particularum micrometri ei respondens $= c$, numerus alius quivis particularum scalæ, ut is, qui obvenerit pro differentia rectarum CA, DA, $= d$: erit primo ut b ad c, ita a ad $\frac{ac}{b}$, qui erit numerus particularum micrometri contentus in radio : tum ut hic numerus ad d, ita 1 ad $\frac{bd}{ac}$, qui erit numerus particularum ejus unitatis contentus in differentia illa d. Quamobrem si logarithmo constanti valoris $\frac{b}{ac}$ addatur semper logarithmus valoris d inventi in quavis differentia, obtinebitur valor differentiæ ipsius redactus ad unitatem æqualem radio.

20. Si ageretur de constructione geometrica, datis punctis A, B, C, & differentia rectæ DA a rectis DB, DB'; statim incurrit in oculos, quo pacto obtineri posset punctum D per intersectionem binarum hyperbolarum, quarum utraque haberet alterum e focis in A, & alterum earum prior in B, cum axe æquali differentiæ priori, posterior focum alterum in B', cum axe æquali differentiæ posteriori : constat enim, habitis focis, & axe, haberi hyperbolam : calculus etiam algebraicus facile applicaretur ; sed oporteret habere valores admodum accuratos & radii AC, & magnitudinis, ac positionis chordarum AB, AB', præter valorem illarum differentiarum : perquam exigui errores illorum valorum inducerent errorem ingentem in valorem exiguæ excentricitatis CD, & ejus positionis. Verum hic omnia, quæ ad hunc usum requiruntur, fient per eas solas differentias accuratas, cognito valore arcuum AB, AB', & radii AC, tantum non nimis abludente a vero. Verum superioribus tribus formulis trigonometricis addemus quartam $cos.(a - a') = cos.a\,cos.a' + sin.a\,sin.a'$.

21. Reductis ad eandem scalam tam radio, quam utrâque differentiâ, fiat earum prior BD — AD $= u$, posterior B'D —

AD

$AD = n'$, concipiantur autem, ut prius, arcus DL, DI, DI' habentes centra in A, B, B'. Cum sit $AD + CL = AC = BC = BD + CI$, erit $CL - CI = BD - AD = n$, & eodem pacto $CL - CI' = B'D - AD = n'$. Si autem fiat $ACB = m$, $ACB' = m'$, ACD, sive $ACE = x$, $CD = z$; erit $DCI = m - x$, $DCI' = m' - x$, $CL = CD \times cos.ACD = z\,cos.x$, $CI = CD \times cos.DCI = z\,cos.(m-x) = z\,cos.m\,cos.x + z\,sin.m\,sin.x$, & eodem pacto $CI' = z\,cos.m'\,cos.x + z\,sin.m'\,sin.x$. Cumque sit $CL - CI = n$, & $CL - CI' = n'$, habebitur primò $z\,cos.x - z\,cos.m\,cos.x - z\,sin.m\,sin.x = n$, tum $z\,cos.x - z\,cos.m'\,cos.x - z\,sin.m'\,sin.x = n'$.

22. Multiplicando primum terminum utriusque æquationis per secundum alterius, habebitur æqualitas productorum, adeoque nova æquatio, in qua omnes termini poterunt dividi per z: ea evadet $n'\,cos.x - n'\,cos.m\,cos.x - n'\,sin.m\,sin.x = n\,cos.x - n\,cos.m'\,cos.x - n\,sin.m'\,sin.x$, ubi ob $(1 - cos.m) = sin.vers.m$, & $1 - cos.m' = sin.vers.m'$ habebitur $n'\,cos.x\,sin.vers.m - n'\,sin.m\,sin.x = n\,cos.x\,sin.vers.m' - n\,sin.m'\,sin.x$, ac dividendo per $cos.x$, & ponendo $tan.x$ pro $\frac{sin.x}{cos.x}$, erit $n'\,sin.vers.m - n'\,sin.m\,tan.x = n\,sin.vers.m' - n\,sin.m'\,tan.x$, & $tan.x = \frac{n\,sin.vers.m' - n'\,sin.vers.m}{n\,sin.m' - n'\,sin.m}$.

23. Invento angulo x per suam tangentem, habebitur per primam e binis æquationibus finalibus numeri 21 $CD = z = \frac{n}{cos.x - cos.m\,cos.x - sin.m\,sin.x}$, vel per secundam idem valor positis m', & n' pro m, & n. Quare habebitur & magnitudo excentricitatis z in partibus radii AC assumpti pro unitate, & punctum E peripheriæ, ad quod ipsa dirigitur. Tum vero pro quovis alio novo puncto A habebitur arcus AE, & prorsus, ut num. 13, angulus CAD, vel ex data ratione laterum CA, CD 1 ad z, & angulo intercepto ACD, cujus mensura est is ipse arcus AE, vel multo facilius immediate e valore ejus sinus $\frac{CD \times sin.ACD}{AD}$,

assum-

assumpto, ut ibi, AC $= 1$, pro AD ob exiguitatem rectæ CD. Facto enim novo angulo ACE jam dato $= a$, & correctione quæsita CAD $= u$, fiet $sin.u = z\, sin.a$: ea in casu exhibito a figura erit addenda valori a, & in singulis aliis casibus facile ex ipso valore formulæ, & consideratione transformationis locorum geometricorum invenietur numerus substituendus numero notato ab indice in observatione quavis pro illo novo puncto A.

24. Ope illius regulæ, ope cujus determinata est differentia primæ distantiæ DA a reliquis binis DB, DB', potest etiam inquiri in errores formæ circularis, si qui habentur. Invenietur enim differentia rectæ DA a nova DB. Si rectæ CA, CB sunt æquales; debebit ea eadem esse differentia rectæ CL semel inventæ a recta CI inventa pro quovis novo arcu EB $= a$. Si eæ binæ differentiæ non sint æquales; ipsarum discrimen erit distantia puncti B a peripheria circuli descripti centro C radio CA. Sit CA $= z\, cos.x$ semel inventa $= r$, CI inventa pro quovis arcu EB $= a$ sit $= r'$, novus excessus novæ rectæ DB, supra DA sit novus valor n: erit AL $=$ AD $= 1 - r$, IB $=$ DB $= 1 - r + n$, CB $=$ CI $+$ IB $= 1 - r + n + r'$. Quare ejus excessus supra radium CA $= 1$ erit $n + r' - r$, quæ erit distantia puncti B a peripheria circuli descripti radio CA, atque id punctum jacebit ultra eam peripheriam, vel citra; prout is valor obvenerit positivus, vel negativus.

25. Habitis hisce differentiis jam poterit ope ejusdem regulæ rite aptatæ haberi rectificatio etiam divisionum ejus circuli immoti in loco, in quo is fuerit semel immobiliter collocatus, quanquam ejus usus in positione verticali erit magis incommodus. Eodem modo, quo in Opusculo primo possunt haberi differentiæ chordarum: ex iis ope formularum Opusculi VIII, quæ complectuntur simul differentias & chordarum, & radiorum, habebuntur differentiæ arcuum. Non poterit haberi error absolutus chordæ arcus graduum 60 per ipsius comparationem cum radio, cum non habeatur centrum ejus fasciæ circularis, & impedito loco centri ab axe instrumenti, non potest haberi ne diameter quidem satis accurata per ejusmodi regulam, nec vero per circinum efformatum e vir-

e virga habente binas cuspides, nisi hæ cuspides sint nimis longæ, quarum ope diameter transferatur in planum quodpiam, ac secetur bifariam, ut comparentur per regulam illam bina dimidia primum inter se, tum eorum alterum cum chorda graduum 60. Verum possunt comparari inter se chordæ trium arcuum graduum 120, vel potius quatuor graduum 90. Inventâ per eas formulas differentiâ arcuum, summa trium excessuum arcus maximi supra tres reliquos divisa per 4 exhibebit ejus excessum supra valorem ipsi debitum, qui erit error ipsius positivus, ex quo pro subdivisionibus eruetur error derivatus conjungendus cum proprio juxta methodum expositam in ipsis Opusculis I, & VIII.

26. Per differentias radiorum computatorum ab ipso centro conversionis D, independenter a centro C, & ab angulis CAD, CBD potest itidem res confici, obtinendo immediate verificationem angulorum circa ipsum punctum D. Potest adhiberi limbus latior, etiam ligneus continens paullo plus quam 90 gradus, ita perforatus per totam longitudinem sui arcus, ut per aperturam transpici possit limbus ejus circuli ibi, ubi is habet suas divisiones: is potest adnecti vel axi conversionis per duas regulas pertinentes ad ipsum axem, & connexas cum ipso, atque id ita, ut superficies ipsius obversa limbo non distet ab ipso, nisi per crassitudinem lamellæ vitreæ: debent haberi binæ ejusmodi lamellæ, quarum singulæ habeant singulas rectas lineolas ipsis insculptas. Hæ lamellæ debent interseri inter limbum ligneum apertum, & limbum circuli in directione ad sensum tendente versus axem, nimirum ad sensum perpendiculari ad peripheriam ipsius circuli, possunt autem ita affigi limbo perforato ope ceræ, ut superficies, quæ habet lineolam, contingat limbum ipsum ejus circuli: vi autem illatâ per digitos possit lamella ipsa protrudi non nihil in latus. Adducentur eæ lamellæ ad distantiam proxime æqualem quadranti circuli: tum comparabuntur iidem quatuor quadrantes cum intervallo lineolarum alter post alterum. Comparatio fiet circumagendo ipsum telescopium, & adhibendo cochleam micrometricam, quæ jam haberi debet, ad obtinendas partes adjungendas divisioni præcedenti denotatam ab indice, quæ debent addi pro intervallo inter

ter

ter ipsam, & punctum notatum ab eodem indice in positione, in qua observatio est instituta, vel si non habeatur ejusmodi motus micrometricus, is potest induci, rite aptatâ machinulâ ad id idoneâ. Adducendo ope ejus cochleæ prius lineam lamellæ alterius ad alterum extremum limbi, tum lineam alterius ad alterum extremum, invenietur differentia anguli intercepti inter duos radios illius circuli transeuntes per ipsa puncta extrema terminantia arcum comparatum cum ea distantia lineolarum ab angulo intercepto inter binos radios transeuntes per ipsas lineolas. Factâ ejusmodi comparatione cum singulis quadrantibus, habebuntur comparationes horum inter se, nimirum differentiæ angulorum contentorum inter radios tendentes a centro motus ad eorum extrema puncta; quæ exhibebit errorem proprium singulorum ex iis quadrantibus.

27. Comparatis quadrantibus, poterunt eodem modo comparari singulorum partes, ut tres compositæ e gradibus 30, tum tres singulorum ex his compositæ ex arcubus graduum 10, & ita porro usque ad divisiones postremas. Eo pacto comparatio exhibet immediate differentias angulorum interceptorum in centro motus, sine reductione differentiæ chordarum, & radiorum ad differentiam arcuum.

28. Methodus reddendi utiles omnes observationes jam institutas eo instrumento, & instituendas in posterum, independens ab omnibus perquisitionibus, quas hîc fuse persecuti sumus, & omnium expeditissima esset illa, in qua supposito jam catalogo magni numeri fixarum ordinato, & verificato in aliis observatoriis per instrumenta majora, ac methodos idoneas, ut eas, quæ hîc habentur in præcedentibus Opusculis, fiat comparatio distantiarum a zenith magni numeri fixarum, quæ obtinentur ope ejus instrumenti, cum iis, quæ eruuntur e declinationibus earundem fixarum erutis ex ipsis catalogis, habitâ ratione reductionum, quæ respondent motibus fixarum ipsarum, & refractionibus. Assumpto satis magno numero fixarum, ut habeantur errores divisionum, & positionis ejus circuli, fieri potest per interpolationem catalogus ipsorum errorum saltem pro singulis gradibus dimidii ejus

cir-

circuli respondentis semicirculo meridiani extanti supra horizontem, adhibendus ad corrigendas observationes jam institutas, & instituendas in posterum.

29. Verum si ejusmodi circulus aptandus sit instrumento transituum, consilium omnium optimum erit, ut ante applicationem instituatur verificatio tam formæ circularis, quam æqualitatis divisionum, ut si qui errores in eo genere deprehendantur, possit eorum haberi ratio: tum post ejus collocationem determinetur per methodos hìc propositas magnitudo, & directio excentricitatis, ex quibus deducuntur correctiones errorum ab ipsa inductorum in angulos ab indice denotatos in divisionibus, quæ supponunt congruentiam centri circuli cum centro conversionis.

APPENDIX

AD OPUSCULUM IX.

Applicatio solutionis analyticæ problematis propositi numero 5 ad alium Astronomiæ usum.

30. Constat nunc quidem post felices Kepleri combinationes motuum observatorum, & immensam numericorum calculorum farraginem, ac multo magis post sublimem cælestis mechanicæ theoriam a Newtono detectam, & evolutam, ac miro omnium observationum consensu, planetarum orbitas esse ellipticas, sole existente in altero cujusvis ellipseos foco, & areis, quas verrit radius vector, proportionalibus tempori, si demantur exiguæ perturbationes, quas inducit mutua planetarum omnium gravitas generalis. Verum ante ea egregia comperta diu eæ orbitæ fuerunt habitæ pro circularibus. Accessit excentricitas, ut nimirum motus quidem esset æquabilis circa centrum circuli, sed sol esset in quadam distantia ab eo centro: tum excentricitate sectâ bifariam, substitutus est etiam motus in circulo, sed non æquabilis: considerata sunt in singularum orbitarum diametro bina puncta æque di-

stantia a centro, in quorum altero esset sol, & circa alterum haberetur motus angularis æquabilis. Ea puncta mutata sunt in binos focos ellipseos, compressâ ipsâ etiam circulari formâ, sed retento motu angulari æquabili circa eum focum superiorem, quæ vocatur hypothesis elliptica simplex, donec tandem deventum est ad æquabilem arearum descriptionem circa solem positum in foco inferiore, quam & observationes, & theoria ita confirmarunt, ut nullum jam de ea dubium supersit, ac ea est non jam hypothesis, sed theoria elliptica cognita vera.

31. Hinc præcedentes hypotheses nullum jam habent usum pro præsenti Astronomia, sed cum pertineant ad ipsius Astronomiæ partem historicam, & ad cognoscendam ipsam humanarum cognitionum seriem, solent in Elementis Astronomiæ tractari illa etiam, quæ pertinent ad earum hypothesium theorias. Problema pertinens ad motum æquabilem in circulo circa punctum positum extra ejus centrum reducitur ad illud ipsum, quod in hoc Opusculo est propositum, de determinanda magnitudine, & directione excentricitatis in circulo, qui habeat divisionem æquabilem, sed in quo præter angulos, quos ea æquabilitas metitur contentos a radiis tendentibus ad id ipsum centrum, habeatur motus æquabilis indicis circa alterum ipsius excentricitatis extremum. Formulæ hic inventæ applicari possunt ad illius hypotheseos theoriam, quam applicationem idcirco proponam in hac Appendice, adjectâ etiam applicatione ad motum in ellipsi circa focum inferiorem occupatum a sole, cum æquabilitate motus angularis circa superiorem, atque id eo magis, quod in ellipsibus parum excentricis, cujusmodi est orbita Veneris, & vero etiam orbita terrestris, æquabilitas arearum circa focum inferiorem secum trahit motum angularem circa focum superiorem parum abludentem ab æquabili.

32. In hypothesi circulari C est centrum circuli descripti motu æquabili, adeoque centrum motus medii æquabilis, D est centrum motus veri inæqualis, in quo est ipse sol. Eruuntur autem methodo satis cognitâ, quam tamen hìc exponam, anguli ACB, ACB' e tempore elapso a prima e tribus observationibus usque ad secundam, & tertiam, & ex observationibus ipsis eruuntur an-

guli

guli ADB, ADB': in hypothesi autem elliptica simplici punctum D est itidem locus solis, circa quem fit motus verus, sed is non fit in circulo ABB', adeoque motus veri non sunt anguli ADB, ADB': motus medius æquabilis fit circa punctum C, sed id est focus superior, non centrum orbitæ planetariæ: est tamen centrum motus medii æquabilis, cujus mensura sunt arcus circuli ABB' habentis ipsum punctum C pro centro: radius ejus circuli est æqualis toti axi transverso ellipseos: puncta a, b, b', sunt loca planetæ in sua orbita elliptica, & puncta A, B, B' sunt concursus rectarum Ca, Cb, Cb' cum eo circulo; unde fit, ut rectæ Da, Db, Db' sint æquales rectis aA, bB, b'B', cum nimirum summa rectarum Ca, Da, quæ a binis focis C, D ducuntur ad idem punctum perimetri a, æquetur axi transverso ellipseos, adeoque radio CA, unde ablatâ communi rectâ Ca, residua Da, aA debent esse æqualia: eadem autem est demonstratio æqualitatis rectarum Db, bB ob summam $Cb + Db$ æqualem radio CB, & $Cb' + Db' = CB'$.

33. Inde autem fit, ut triangula DaA, DbB, $Db'B'$ sint isoscelia, & anguli CaD, CbD, $Cb'D$ dupli angulorum CAD, CBD, CB'D. Porro ob angulum $ADE = ACE + CAD$, & $BDE = BCE + CBD$ est $ADB - ACB = CAD + CBD$, & ob angulum $aDE = aCE + CaD$, & $bDE = bCE + CbD$ est $aDb - aCb = CaD + CbD$. Quare cum hæc posterior summa sit dupla illius prioris, differentia posterior angulorum aDb, aCb est dupla differentiæ prioris angulorum ADB, ACB, adeoque si detur illa, dabitur & hæc ipsius dimidia. Illa autem dabitur cum aDb detur ex observationibus, ut jam videbimus, & ACB ex motu æquabili, & tempore elapso inter observationem primam, ac duas reliquas. Eodem autem pacto differentia angulorum aDb', aCb' est dupla differentiæ angulorum ADB', ACB'.

34. Porro angulus ADB in primo casu, & aDb in secundo habetur ex summa, vel differentia longitudinum heliocentricarum. Si agatur de orbita terræ, eæ longitudines sunt eædem, ac longitudines geocentricæ solis observatæ, additis, vel ablatis sex signis, adeoque ad habendum eum angulum sufficiunt tres observationes.

determinantes longitudinem solis observatam e terra tribus momentis quibuscumque: pro reliquis planetis requiruntur observationes factæ in oppositione cum sole, vel in conjunctione. In oppositione, & conjunctione superiore, locus heliocentricus planetæ est idem, ac geocentricus immediate observatus, & in conjunctione inferiore est ipsi oppositus, sive idem auctus, vel imminutus per sex signa. Oppositiones non habentur, nisi in veteribus tribus planetis superioribus, quibus accessit nuper quartus tanto adhuc superior detectus ab Herchelio. Venus, & Mercurius habent binas conjunctiones, alteram inferiorem, & alteram superiorem. Oppositiones facile observantur, & observari solent ab Astronomis: conjunctiones inferiores Veneris, & quidem etiam Mercurii, eruuntur ex observationibus parum remotis anterioribus, & posterioribus, videri autem quandoque possunt ii planetæ in ipsis conjunctionibus per telescopia; adeoque haberi possunt loca heliocentrica idonea ad rem præsentem.

35. Angulus ACB in utroque casu habetur eodem modo. E combinatione observationum remotissimarum habebant Astronomi etiam ante hæc ultima comperta tempus periodicum pro quovis planeta, & factis ut hoc tempus periodicum ad tempus inter binas observationes A, vel *a*, & B, vel *b*, ita gradus 360 ad quartum, is pro tempore minore dimidio tempore periodico erit ipse angulus ACB in primo casu, & *a*C*b* in secundo, & idem habetur pro angulo ACB', vel *a*C*b*'. Si tempus est majus dimidio tempore periodico; angulus fiet ad partes oppositas arcus percursi, & erit residuum ad gradus 360 illius quarti termini inventi. Si id tempus excedat tempus periodicum, demetur hoc quotiescumque licuerit, & si adhuc remaneat plus dimidio, assumetur excessus temporis periodici supra id ipsum residuum, ac obtinebitur angulus ACB, vel *a*C*b*; eodem pacto habebitur angulus ACB', & & *a*C*b*'. Figura est aptata casui, in quo tempus utrumque integrum, vel excessus supra integras conversiones non pertingit ad dimidium temporis periodici, in quo casu uterque angulus respicit arcum descriptum. Præterea in casu, quem figura exprimit, utraque e directionibus loci veri DB, DB', vel D*b*, D*b*', cum directio-

ctione DA, vel Da continet angulum obversum eidem arcui, ac is angulus est aDb, vel aDb' major angulo ACB, vel ACB', & punctum D cadit tam intra angulum ACB, quam intra angulum ACB'. Solutio problematis aptata figuris, quæ respondent uni casui, cum formulis inde erutis, transfertur deinde, ut monui, ad omnes alios casus, per regulas generales transformationis locorum geometricorum, habitâ ratione signorum positivorum, & negativorum in datis, & inventis rite aptatorum.

36. Porro in casu expresso a figura redeunt huc omnes formulæ, quas invenimus in solutione analytica problematis numeri 5. Dicatur n excessus anguli ADB' inventi in hypothesi circuli excentrici supra ACB, & in hypothesi elliptica simplici dimidium excessus anguli aDb, supra ACB, ac eodem pacto fiat n' pro prima hypothesi ADB' — ACB', & pro secunda $\frac{1}{2}(a\mathrm{D}b' - a\mathrm{C}b')$: dicatur x angulus ADE, u angulus CAD, z excentricitas CD in partibus radii CA assumpti pro unitate, qui in priore hypothesi est ipse radius circuli descripti, & in posteriore totus axis ellipseos duplus distantiæ mediæ. Habebitur pro x, & u formula numeri 9, vel simplicior altera numeri 10: tum pro u utraque formula numeri 11, & pro excentricitate CD $= z$ valor $\frac{sin.u}{sin.x}$, qui habetur eodem numero 11.

37. Hæc formularum congruentia me impulit ad addendam hanc Appendicem. Per hujusmodi formulas etiam post detectas Kepleri leges potuisset inveniri per tres observationes ellipsis non multum distans a vera, nimirum eruta ex hypothesi parum abludente a vera, qua inventâ facile deinde potuisset fieri transitus ad veram per regulas falsæ positionis methodo analoga ei, quæ est adhibita in Tomo præcedente (Mémoire correlatif III), vel methodo, quæ habebitur in Opusculo X Tomi sequentis.

OPU-



OPUSCULUM X.

De quadam correctiuncula sectorum astronomicorum.

1. PRO observationibus fixarum parum distantium a zenith adhiberi solent in Astronomia sectores habentes radium ingentem, & numerum graduum exiguum in limbo circulari hinc, & inde a telescopio respondente radio tendenti ad medium arcum. Ejusmodi instrumento detectæ sunt leges aberrationis annuæ fixarum, & id est adhibitum ab iis, qui recentioribus methodis dimensi sunt gradus Meridiani pro determinanda figura, & magnitudine terræ. Ii admodum facile & suspenduntur, & convertuntur, quod multo difficilius præstaretur, si adhiberentur integri quadrantes, vel etiam sextantes habentes radium longitudinis ejusdem. Ego pro mensura graduum Meridiani in ditione Pontificia substitui arcui circulari rectam lineam, expediendo rem per tangentes angulorum, quæ forma mihi evasit admodum commoda, & plures alii sectores ingentis radii constructi sunt postea ad ejus imitationem, ut exposui in Opusculo III Tomi II, cujus formam videre est in tabula VII Tomi ejusdem fig. 3.

2. Exprimit hic figura 5 Tabulæ VI recta CD radium ejus instrumenti, GDH rectam substitutam in limbo arcui P'DQ' circulari, perpendicularem eidem radio, quæ concipitur utrinque producta indefinite in A, & B: ejus segmenta DG, DH sunt tangentes angulorum DCH, DCG. Porro ubi determinandum est punctum brevis rectæ lineæ, in quod cadit perpendiculum ductum e puncto satis remoto, admodum facile erratur nonnihil in ea determinatione. Si enim adhibeantur binæ cuspides affixæ longiori virgæ, vel tubo, quarum altera defigatur in centro C, altera occurrat ei rectæ in binis punctis H, G; arcus circularis, qui concipiatur descriptus ab hac posteriore cuspide, ita parum pro-

gre-

greditur ultra eam rectam, ubi ea sit brevis, & habet positionem ita obliquam respectu ejusdem rectæ, ut admodum difficulter determinentur ipsa puncta intersectionum G, & H, inter quas assumendum est punctum D in ipso medio, ut dubium supersit de accurata ejus positione. Ubi agitur de mensura graduum Meridiani, adhibendæ sunt fixæ parum distantes a zenith, in quibus & refractionum effectus est multo minor, & distantia exigua multo accuratius determinatur. Hinc pro ejusmodi sectore abunde sunt gradus quatuor hinc, & inde a medio: porro is arcus procurrit ultra tangentem minus quam per partes $\frac{25}{10000}$ radii ipsius, cum secans graduum 4 ad radium 1 non sit nisi 1,00244. Hinc admodum facile fieri posset, ut pro radio CD accurate perpendiculari ad rectam PQ haberetur radius DI nonnihil inclinatus.

3. Eam ob causam censui inquirendum in effectum positionis radii aberrantis a perpendicularitate requisita. In eo casu pro angulis DCH, DCG determinatis a numero particularum radii CD assumpti pro unitate in rectis DH, DG assumpto pro eorum angulorum tangente, haberentur anguli DIH, DIG: determinanda est horum differentia ab illis. Datâ deviatione CDI, id quidem fieri potest pluribus methodis. Res facile expeditur per calculum trigonometricum, sed analysis algebraica exhibebit formulam generalem, & ejus ope indolem, ac variationes aberrationis ipsius: accedit, quod ope formulæ ejusdem inquiri potest in id ipsum, an in dato sectore habeatur ejusmodi aberratio, & quanta ea sit. Quoniam autem determinatio ipsius pro arcu circulari A'DB', est analoga ei, quæ habetur pro limbo rectilineo ADB, addam etiam mutationem, quam inducit in ejus formulam transitus ab ea linea recta ad eum arcum, ut habeatur illa, quæ exhibeat differentiam angulorum DCH', DIH', & DCG', DIG' determinatorum ab iisdem rectis IH, IG incurrentibus in eum arcum in H', & G'. Punctum K est occursus rectæ HC productæ cum eodem circulo, & DM, DN, IE, IL, IO sunt perpendicula ducta in rectas HC, HI, DH, DC, HC.

4. Calculus trigonometricus est admodum expeditus pro limbo recti-

rectilineo AB. Assumpto pro unitate radio CD = ID; rectæ DH, DG redactæ ad partes ejus radii adhibent immediate per tabulas sinuum angulos DCH, DCG, quorum eæ sunt tangentes. In triangulo autem IDH, vel IDG præter latera ID, DH, vel ID, DG, habitâ deviatione CDI a perpendiculo DC, habetur angulus IDH, vel IDG demptâ ipsa deviatione ab angulo recto pro angulo IDH, & additâ ipsi pro IDG in casu figuræ, in quo deviatio ipsa fit versus DH, remanente DI in angulo CDH. Hinc habebitur angulus DIH comparandus cum DCH, vel DIG cum DCG ad habendam eorum differentiam, quæ erit aberratio quæsita anguli determinati per numerum particularum radii DC, vel DI assumpti pro unitate contentum in intervallo DH, vel DG, & assumptum pro tangente ejus anguli. Si angulus deviationis CDI fiat $= a$; angulus GDI erit $= 90° + a$, & angulus IDH $= 90° - a$, ac ille erit æqualis summæ angulorum trianguli IDH ad basim IH, hic summæ angulorum ad basim IG trianguli IDG. Hinc si fiat DH $= b$, & semi-differentia angulorum ad basim dicatur x, erit pro primo triangulo $1 + b : 1 - b :: tan.45° + \frac{1}{2}a : tan.x$, quo angulo invento habebitur angulus DIH $= 45 + \frac{1}{2}a - x$, & pariter facto DG $= b$, & invento angulo x', cujus tangens $= \frac{1-b}{1+b} \times tan.(45° - \frac{1}{2}a)$, erit angulus DIG $= 45° - \frac{1}{2}a - x'$. Erit enim x, vel x' semi-differentia angulorum ad basim, quæ dempta a semi-summa exhibet angulum minorem, nimirum illum, qui opponitur lateri DH, vel DG minori, ob DH, DG minorem radio DC = DI.

5. Potest facilius obtineri uterque angulus DIH, DIG hoc alio pacto. A valore DH redacto ad partes radii DC = DI dematur valor DE = IL = $sin.$CDI = $sin.a$, qui dicatur c; vel addatur valori DG, & habebitur EH, vel GE: inveniantur anguli respondentes iis tangentibus ad radium $= 1$, tum iidem multiplicentur per excessum secantis anguli a supra radium, & productum addatur ipsis, ac habebuntur, ut mox demonstrabitur, anguli EIH, EIG: addatur priori angulus DIE = CDI $= a$, & dematur a posteriore, ac habebuntur anguli quæsiti DIH, DIG. Sunt

Sunt enim EH, EG tangentes angulorum EIH, EIG ad radium IE, qui cum sit paullo minor radio $DC = 1$, tangentes EH, EG debent augeri in ratione EI ad $DC = DI$, ut reducantur ad partes, quæ conveniunt tangentibus eorum angulorum respondentibus illi radio majori. Cum ii anguli sint exigui, & tangentes angulorum exiguorum sint proxime proportionales suis angulis; satis erit augere ipsos angulos in ea ratione: porro EI est ad $DI = DC$ in ratione radii ad secantem anguli $EID = a$, ac proinde satis est addere angulis ipsis correctiunculam exiguam, quæ oritur a multiplicatione exigui excessus illius secantis supra radium, qui quidem excessus cum in exigua deviatione sit perquam exiguus, ea multiplicatio est expeditissima.

6. Ii calculi renovandi sunt pro quavis tangente DH, vel DG, quam exhibeat filum penduli suspensi ex I in usu ejus instrumenti inclinati, quem usum exponendum inferius exhibet figura *6*, & 7. Verum potest erui formula, quæ per valorem $DE = c$ constantem, & $DH = DG = b$ variabilem exprimat aberrationem quæsitam: DM, DN sunt sinus angulorum DCH, DIH ad radium $DC = DI = 1$. Hinc inventâ differentiâ eorum sinuum invenietur differentia angulorum e theoremate notissimo, quo alibi etiam usi sumus, facile autem demonstratur, esse differentiam sinus ad differentiam anguli variati variatione exigua, ut est cosinus ejusdem anguli ad radium: sed hic, ubi angulus ipse est exiguus, potest assumi pro ipso cosinu radius $= 1$, adeoque ipsa differentia sinuum assumi poterit pro differentia angulorum.

7. Est $CH^2 = CD^2 + DH^2 = 1 + b^2 : CD^2 = 1 :: DH^2 = b^2 : DM^2 = \frac{b^2}{1 + b^2}$, qui valor, neglectis superioribus potentiis valoris b exigui respectu radii $= 1$ (*), evadit $b^2 - b^4$, & hujus radix DM cum simili neglectu evadit $b - \frac{1}{2} b^3$. Est au-

Tom. IV. Y tem

(*) In hisce calculis tuto negligi poterunt termini, in quibus summa dimensionum quantitatum exiguarum b, & c assurgit ultra numerum 4. Is neglectus non inducit in valores finales nisi neglectum quantitatum ordinis inferioris respectu earum, quæ in iis remanent.

tem HI^2, qui valor ex ipsis propositionibus libri secundi Euclidis est $= DI^2 + DH^2 - 2DH \times DE = 1 + b^2 - 2bc : EI^2 = DI^2 - DE^2 = 1 - c^2 :: DH^2 = b^2 : DN^2 = \frac{b^2 - b^2c^2}{1 + b^2 - 2bc}$. Hic valor neglectis terminis, in quibus dimensiones quantitatum b, & c exiguarum respectu unitatis superant numerum 4, evadit $b^2 - b^4 + 2b^3c - b^2c^2$ (*) $= b^2(1 - b^2 + 2bc - c^2)$. Hujus valoris radix cum simili neglectu evadit $DN = b - \frac{1}{2}b^3 + b^2c - \frac{1}{2}bc^2$ (**). Erat autem $DM = b - \frac{1}{2}b^3$. Quare differentia eorum sinuum erit $b^2c - \frac{1}{2}bc^2$.

8. Hæc differentia ducenda fuisset in CM cosinum anguli DCM ad habendam differentiam quæsitam angulorum DCH, DIH. Valor CM habetur e proportione $DH = b : DM = b - \frac{1}{2}b^3 :: CD = 1 : CM = 1 - \frac{1}{2}b^2$. Si multiplicetur differentia sinuum inventa $b^2c - \frac{1}{2}bc^2$ per hunc valorem, remanet differentia eadem, cum novis binis terminis, in quibus dimensiones quantitatum exiguarum evadunt quinque, qui idcirco respuendi sunt, remanente ipsa differentia sinuum sola pro differentia angulorum, uti notavimus in fine numeri *6*.

9. Hæc differentia constat binis terminis altero positivo b^2c, altero negativo $-\frac{1}{2}bc^2$, qui habent productum commune bc ductum in coefficientem communem $b - \frac{1}{2}c$. Hic est ad illum ut c ad $2b$. Hinc facta multiplicatione b per c, assumetur valor $b - \frac{1}{2}c$, per quem multiplicabitur ipsum productum. Id exhibebit differentiam arcuum metientium eos angulos, nimirum errorem quæsitum, in partibus radii: ut ex reducantur ad secunda, satis

(*) Priores tres termini remanent soli ex divisione b^2 per $1 + b^2 - 2bc$, & quartus solus ex divisione $-b^2c^2$ per eundem divisorem.

(**) Nam hic valor est $= b(1 - \frac{1}{2}b^2 + bc - \frac{1}{2}c^2)$, qui facto $u = -\frac{1}{2}b^2 + bc - \frac{1}{2}c^2$, evadit $= b(1 + u)$, & ejus quadratum $= b^2(1 + 2u + u^2)$, ubi eum u habeat duas dimensiones b^2, bc, c^2, assurgit b^2u^2 ad sex, quo termino contempto, remanet $b^2(1 + 2u) = b^2(1 - b^2 + 2bc - c^2)$, nimirum valor, cujus radix fuerat assumenda.

tis est multiplicare numerum inventum per 60, & dividere per 0,000291, qui est valor arcus unius minuti, sive secundorum 60 in partibus ipsius radii.

10. Si deviatio CDI fieret in partem contrariam, puncto E abeunte versus G; recta DE $= c$ evaderet negativa, adeoque manente DH $= b$, ut prius, mutaret signum solus primus terminus $b^2 c$, qui habet unicam dimensionem valoris c variati, & formula evaderet $- b^2 c - \frac{1}{2} bc^2$. Hinc hæc ipsa exprimet in casu figuræ differentiam anguli DIG ab angulo DCG: unde proveniunt plura consectaria.

11. In primis error corrigendus, pari distantiâ puncti limbi a medio, semper est minor in ea ejus parte, versus quam radius DI inclinatur, quam in opposita: nam in priore is error componitur ex summa, in posteriore e differentia binorum terminorum $b^2 c$, & $\frac{1}{2} bc^2$. Deinde in parte posteriore semper is valor erit negativus, in priore autem erit negativus, nullus, vel positivus, prout valor b fuerit minor, quam $\frac{1}{2} c$, ipsi æqualis, vel major. Initio, existente DH $=$ o, puncto nimirum H cadente in ipsum initium numerationis $=$ o, erit nullus, ut patet. Discedente H a medio D, erit negativus initio, & crescet, tum decrescet, cum evadente $b = \frac{1}{2} c$ debeat evanescere, ac deinde fiet positivus, & manebit positivus semper. Donec is valor fuerit negativus, angulus DCH indicatus a limbo erit major debito, minor vero quando is valor erit positivus: patet enim saltem abeunte H ultra E, ut figura exhibet, in quo casu valor formulæ jam est positivus, fore angulum DHC minorem angulo DHI, adeoque & sinum DM minorem sinu DN; ac proinde angulum quoque DCH indicatum a divisionibus limbi fore minorem angulo DIH: sunt enim DM, DN sinus angulorum DHC, DHI ad radium communem DH, & angulorum DCH, DIH ad radios DC, DI æquales. Angulus autem DIG, qui habet formulam semper negativam, erit semper minor angulo DCG, quod patet etiam, quia ob angulum DGI minorem angulo DGC perpendiculum ductum ex D in rectam GI erit semper minus perpendiculo inde ducto in rectam GC. Quamobrem ex ea parte divisiones limbi exhibebunt plus æ-

Y 2 quo:

quo : unde fluet hæc regula . *Valor formulæ pro corrigendo angulo exhibito a divisionibus limbi applicandus erit ei ipsi angulo cum suo signo, subtrahendus, quando fuerit negativus , & addendus , quando invenietur positivus .*

12. Quoniam is error in discessu puncti H a D versus E initio nullus incipit esse negativus , & crescit , tum decrescit usque ad evanescentiam ; debet alicubi evadere maximus . Locus maximi erroris facile determinatur considerando valorem c constantem, & b variabilem : fiet $2cbdb - \frac{1}{2}c^2db = 0$, adeoque $b = \frac{1}{4}c$: ibi ejus valor evadit $= \frac{1}{16}c^3 - \frac{1}{8}c^3 = - \frac{1}{16}c^3$. Hinc correctio nulla in D, ubi etiam angulus determinatus a limbo est nullus, incipit in recessu puncti H a D versus B esse negativa, & crescit, donec id punctum deveniat ad distantiam $= \frac{1}{4}$DE, ubi evadit $= - \frac{1}{16}c^3$, tum decrescit usque ad punctum medium inter D , & E , ubi evanescit , ac deinde evadit positiva , & perpetuo crescens : ex parte autem opposita , abeunte H a puncto D versus A , oritur negativa , & semper crescit . Nimirum angulus DCG semper est major angulo DIG excessu semper crescente in progressu puncti H abeuntis in G a puncto D versus A , & in regressu defectu ipso semper decrescente , donec in appulsu ejus puncti ad D evanescat ipse excessus cum angulo utroque : in discessu puncti ejusdem a D versus B adhuc habetur excessus anguli DCH supra DIH, qui semper crescit usque ad quadrantem rectæ DE, ubi evadit maximus, tum decrescit, & evanescit in medio rectæ ejusdem : deinde evadit angulus prior minor posteriore defectu semper crescente.

13. Incrementum correctionis , quod diximus perpetuum in progressu puncti H a nihilo , quod habetur in D , versus A , & ab altero nihilo in media recta DE versus B non durat , nisi donec durat conditio assumpta distantiæ DH $= b$ exiguæ respectu radii DC ; nam abeunte puncto H utràvis e parte in infinitum , uterque angulus evadit rectus, differentiâ evadente $= 0$. Quamobrem habetur utrâque e parte iterum aliquod maximum , quod formula non indicat , quia ipsa est eruta ex ea suppositione , vi cujus neglecti sunt omnes termini habentes summam dimensionum majorem numero 4 . Si distantia DH fiat x, & concipiatur recta y per-

perpendicularis rectæ AB æqualis valori $b^2c - \frac{1}{2}bc^2$; habebitur æquatio $y - cx^2 + \frac{1}{2}c^2x = 0$, quæ est ad parabolam transeuntem bis per rectam AB in puncto D, & in medio inter D, & E, in quibus punctis evanescit valor y: axis ejus parabolæ transit per punctum distans a puncto D versus B per $\frac{1}{4}$ DE. Recessus ejus curvæ a recta AB cum accessu, & transitu per ipsam in iis duobus punctis exhiberet ipsis oculis omnia illa incrementa, & decrementa correctionis, & transitum duplicem per nihilum cum mutatione ab excessu anguli alterius respectu alterius in defectum, & viceversa: verum ea curva simplex non satisfaceret accurate problemati, sed tantum proxime, & id, donec duraret conditio distantiæ DH exiguæ respectu radii DC $= 1$: nam curva, cujus distantia a recta AB exhiberet accurate differentiam eorum angulorum, esset multo sublimior, nec est operæ pretium ipsam investigare: sola simplicitas formulæ, & curvæ me induxit ad persequendas hasce omnes variationes, oblatâ occasione exercendæ Geometriæ, & contemplandæ ejus indolis, ac analogiæ cum calculo algebraico, quibus semper summopere sum delectatus (*).

14. Si

(*) Usus ejusmodi considerationum non sistit in sola contemplatione jucunda nexus mirabilis, qui habetur inter Geometriam linearem, quæ sola reipsa est vere Geometria, & calculum algebraicum ejus formæ, quam Cartesius adhibuit in hujus applicatione ad illam, quo nexu fit, ut formulæ erutæ e figura aptata uni casui transferri possint ad omnes alios, analysi admonente Analystam ejus idiomatis peritum etiam de veritatibus, de quibus is sine ejusmodi monitu nequaquam cogitasset: sed præterea eæ considerationes amovent periculum incidendi in errores, in quos minus cautus Analysta incurreret. Unum ex iis periculis haberetur hic, ubi etiam primâ fronte appareret absurdum quoddam, & contradictio.

Immotis punctis A, B, C, D, I, E, consideretur filum prodiens e puncto I, & occurrens rectæ AB in H, translatum a positione, quam figura exhibet, in qua nimirum respectu puncti B id jacet citra E, motu continuo versus D, & habeatur præ oculis mutatio continua angulorum DCH, DIH, & valoris formulæ $b^2c - \frac{1}{2}bc^2$, quæ in positione figuræ ipsius est valoris positivi, & indicat excessum anguli posterioris supra priorem, adeoque correctionem addendam valori puncti H æstimato a distantia DH puncti ipsius ab initio divisionum D assumpta pro tangente ejus anguli ad radium DC $=$ DI $= 1$, ut habeatur valor anguli DIH.

Dum

14. Si rectis DH, DG existentibus æqualibus angulus DCH æqualis angulo DCG dicatur r, erit angulus DIH $= r + b^2 c - \frac{1}{2} bc^2$, & DIG $= r - b^2 c - \frac{1}{2} bc^2$. Quare eorum differentia erit $2b^2 c$, qua prior deficiet a posteriore. Angulus autem GIH, qui erit eorum summa, erit $= 2r - bc^2$, dum angulus GCH erit $= 2r$. Quare ille prior erit major hoc posteriore per bc^2. At differentia angulorum DIH, DIG erit $= 2b^2 c$, qui erit excessus prioris supra posteriorem.

15. Facilis est transitus ab angulis DIH, DIG pertinentibus ad limbum rectilineum ad angulos DIH', DIG' pertinentes ad circularem. A priore demendus est angulus HIH', posteriori addendus GIG'. Porro ob angulos exiguos proportionales suis sinubus, & sinus lateribus oppositis, erit IH' : H'H :: H'HI : H'IH = H'H

Dum punctum H procedit versus D; valor ipsius formulæ minuitur, sed remanet positivus, & indicat, angulum DIH esse majorem angulo DIC, utut excessu semper imminuto, donec deveniat H ad punctum medium inter D, & E: ibi factâ DH, sive $b = \frac{1}{2} c$, valor formulæ evanescit, termino priore positivo facto æquali posteriori negativo, quod indicat, ibi eos angulos evadere æquales. Ultra eum locum valor formulæ evadit negativus, prævalente secundo termino supra primum, & angulus DIH evadit minor angulo DCH defectu crescente, donec fiat maximus, puncto H appellente ad distantiam a puncto D æqualem quadranti ipsius DE: minuitur deinde ea differentia negativa, donec punctum H appellat ad D, ubi ipsa iterum evanescit, evanescente ibi valore b, cum quo tamen non evanescit sola differentia, sed simul cum ea evanescunt ipsi anguli, qui idcirco ibi non fiunt vere æquales, sed jam sunt nulli.

Abeunte puncto H ultra D, succedit ipsi punctum G, & angulis DCH, DIH succedunt anguli DCG, DIG: formula autem, facto valore DH $= b$ jam negativo, evadit tota positiva, facto positivo secundo termino $- \frac{1}{2} bc^2$. Videtur prima fronte angulus DIG debere iterum evadere major angulo DCG; cum tamen, ut supra deduximus, is ex ea parte sit semper minor defectu composito e summa valorum eorundem terminorum assumptorum, uti sunt in se ipsis. Solutio ejus ænigmatis oritur e mutatione angulorum ipsorum in transitu puncti H per D e positivis in negativos. Cum valores negativi considerandi sint, ut minores nihilo; is, qui in se ipso est minor, in consideratione analytica est major. Differentia $=$ DIG $-$ DCG exhibita a formula evadit positiva eo ipso, quod angulus DIG, negativus in expressione analytica, minor est in se ipso, quam DCG.

$\frac{H'H \times H'HI}{IH'}$. In hoc valore perquam exiguo potest poni CH' $= 1$ pro IH', & CDI $= a$ pro H'HI, sive CHI, qui duo valores parum differunt a substitutis: id quidem patet de priore ob rectam CO minorem CI exiguâ respectu CD, sive CH', & de posteriore ob IO parum discrepantem ab IL, & IH a CH. Si angulus CDI $= a$ sit graduum duorum, & DCH $= 4^\circ$; angulus DCI ad basim trianguli isoscelii DCI erit minor recto per gradum unum, a quo demendo adhuc DCH $= 4$, deficiet HCI a recto per gradus 5, adeoque IL, IO erunt ad se invicem ut $sin. 89^\circ = 0,9998$ ad $sin. 85^\circ = 0,9962$, qui valores differunt a se invicem minus quam per 0,004 totius: at CH $= sec.$DCH $= sec. 4^\circ = 1,0031$ excedit radium CI $= 1$ per 0,0031 totius, adeoque IH adhuc minor eâdem CH differt ab ipso adhuc minus: hinc ista duplex substitutio inducit in angulos CDI, CHI differentiam minorem centesima parte totius valoris tam exigui. Facta autem ejusmodi substitutione, evadit angulus H'IH $= a \times$ H'H, sive, posito pro CDI $= a$ suo sinu IL $=$ DE $= c$, fit $= c \times$ H'H. Porro est HH' $= \frac{DH^2}{HK}$, ubi DH² est $= b^2$, & HK non differt ab H'K $= 2$, nisi pet HH' $= 0,0031$. Quare poterit substitui $\frac{1}{2}b^2$ pro HH', & fiet valor anguli quæsiti H'IH $= \frac{1}{2}b^2c$. Hic erit valor etiam anguli GIG', qui respondet angulo H'IH mutato per radium DI abeuntem in angulum oppositum ADC, quod mutat valorem DE $= c$ in negativum, & indicat excessum anguli DIG' supra DIG pro defectu DIH' a DIH.

16. Quare angulus DIH' ex parte, in quam inclinatur radius DI, erit $= r + \frac{1}{2}b^2c - \frac{1}{2}bc^2$, & ex parte opposita angulus DIG' $= r - \frac{1}{2}b^2c - \frac{1}{2}bc^2$. Hic posterior erit semper minor angulo r exhibito ab arcu DH', correctione existente $-\frac{1}{2}b^2c - \frac{1}{2}bc^2$ semper itidem negativa. In appulsu puncti G' ad D, uterque DCG', DIG' evanescit: puncto G' transgresso D, & abeunte versus B in H' angulus DIH', erit initio adhuc minor angulo DCH' per differentiam $\frac{1}{2}b^2c - \frac{1}{2}bc^2$ negativam crescentem, donec fiat $bcdb - \frac{1}{2}c^2db = 0$, sive $b = \frac{1}{2}c$, tum decrescentem donec fiat $b = c$, ubi

ubi differentia iterum evanescet in appulsu puncti H ad E. In recessu ulteriore puncti H differentia evadet positiva, angulo DIH' semper deinde excedente angulum DCH', quæ omnia habebuntur proxime non accurate, & donec recta DH erit exigua respectu radii DC: differentia autem, & correctio in limbo circulari erit semper minor, quam in rectilineo per $\frac{1}{2} b^2 c$.

17. Hic jam possunt applicari numeri, ut innotescat, quid ab ejusmodi quantitatibus exiguis timeri possit in usu ejusmodi instrumentorum: assumemus autem pro instituendo calculo numerico deviationem CDI $= a$ graduum duorum majorem eâ, quæ timeri potest, & angulum DCH graduum 4 majorem itidem eo, qui adhiberi solet in mensura graduum Meridiani, vel in determinanda distantia fixæ cujuslibet a zenith, ad obtinendam deviationem axis telescopii per inversionem instrumenti, cujus ope determinetur correctio primi puncti verticalis in positione quadrantis muralis, qui converti non potest, vel (*) ad alios usus astronomicos, pro quibus sufficit adhuc minor distantia a zenith. Facile inde eruentur valores pro quavis minore deviatione, & distantiâ angulari a radio DC, quæ in valore formularum exhibentium errores, & correctiones accipi possunt, ut proportionales sinui DE $= c$, & tangenti $=$ DH $= b$.

18. Erit DE $= c = sin.2^\circ = 0,0349$, qui valor non differt

(*) Habebat Liesganigius in Viennensi specula Collegii Jesuitici duos ingentes quadrantes murales, australem alterum, & alterum borealem i construxit, me ibi præsente, sectorem egregium ad formam ejus, quem ego adhibueram pro mensura graduum Meridiani, ad obtinendam correctionem puncti limbi determinantis positionem verticalem per conversionem ipsius sectoris, tum eodem est usus ad determinandam latitudinem sui observatorii per distantias plurium fixarum a zenith, quas comparavit cum earum positionibus erutis e Caillianis Fundamentis Astronomiæ, & cum observationibus contemporaneis fixarum earundem institutis ad eam rem ab ipso Caillio. Eâ occasione hanc perquisitionem tum institui, schediasmate conscripto, adhibens eandem hanc methodum, & inventis his ipsis formulis: sed ea hic profero meliore ordine digesta, & calculis multo simpliciore ratione institutis, cum additionibus plurimis, quæ ad uberiorem evolutionem requirebantur. Inventum est, eum sectorem carere hoc vitio: eo autem ipse deinde usus est etiam felicissime ad dimetiendos Meridiani gradus tam in Austria, quam in Hungaria.

fert a tangente, nisi per fractiones minores, DH $= b = tan. 4^{\circ} = 0,0699$, qui jam differt a suo sinu per 0,00017. Præter substitutionem eorum numerorum pro b, & c, quæ exhibebit valores quæsitos in partibus radii, adhibenda est (num. 8) multiplicatio per $\frac{60}{0,000291} = \frac{60000000}{291}$ ad habendos eosdem redactos ad secunda; unde pro primo termino $b'c$ proveniet 35",2, & 8",8 pro secundo $\frac{1}{2}bc^2$. Hinc correctio pro puncto H erit 35",2 − 8",8 = 26",4, & pro puncto G − 35",2 − 8",8 = −44",0.

19. Pro methodo numeri 5 assumendæ sunt plures notæ decimales, ad habendum accuratum numerum secundorum: fient $c = sin. 2^{\circ} = 0,0348995$, $b = tan. 4^{\circ} = 0,0699268$, adeoque EH $= b - c = 0,0350273$, EG $= b + c = 0,1048263$. Hæ ad radium = 1 sunt tangentes angulorum 2°.0'.21",9 = 7221",9, & 5°.59'.16",4 = 21556",4, qui valores multiplicati per 0,00061 excessum secantis anguli DE supra radium = 1 exhibent correctiunculas 4",4, & 13",1 addendas valoribus inventis, qui evadunt 2°.0'.26",3, & 5°.59'.3",3 pro angulis EIH, EIG: addendo priori angulum DIE = 2°, & ipsum auferendo a posteriore, habentur pro angulis DIH, DIG 4°.0'.26",3, & 3°.59'.16",4, cum excessu 26",3 prioris supra DCH = 4°, & defectu 43",6 posterioris a DIG itidem = 4°.

20. Eædem notæ requiruntur etiam pro methodo numeri 4. Summa laterum DI, DH $= 1 + b$ est 1,0699268, differentia $= 1 - b = 0,9300732$, semi-summa angulorum ad basim IH $= \frac{1}{2}$ADI = 46°, unde eruitur semi-differentia = 41°.59'.33",6, quæ dempta a semi-summa = 46° relinquit angulum DIH = 4°.0'.26",4 majorem angulo DCH per 26",4: in triangulo DIH summa, & differentia laterum sunt eædem, semi-summa vero angulorum ad basim IG $= \frac{1}{2}$BDI = 44°, unde eruitur semi-differentia 40°.0'.44",0, quæ ablata a semi-summa = 44° relinquit DIG = 3°.59'.16",0 minorem angulo DCG = 4° per 44",0.

21. Hæc postrema methodus est accurata, sed requirit numeros majores, adeoque est operosior, ut & præcedens, dum formula pauciores notas decimalium exigens est omnium expeditis-

 sima.

sima. Porro omnes tres methodi exhibent valores a se invicem discrepantes solum per paucas unius secundi partes decimas, ut videre est in tabella sequente, & quidem formula in altero e valoribus non differt a valore exacto, nisi per unam decimam partem secundi, & fortasse etiam minus; nam fractiones minores in iis calculis sunt neglectæ.

	Correctiones pro H	Correctiones pro G
E formula	+ 26'', 5	− 44'', 0
E methodo numeri 5	+ 26, 3	− 43, 6
E methodo accurata numeri 4	+ 26, 4	− 44, 0

22. Is consensus formulæ cum valore accurato ostendit, methodum, qua ipsa est eruta, non esse erroneam, & jure contemptos esse pro ipsa eruenda terminos, qui habebant summam dimensionum majorem numero 4. Porro non solum calculus numericus ipsis formulis applicatus est facilior, sed inventis semel binis valoribus exhibitis pro correctione respondente illi deviationi suppositæ radii DI, admodum facile ejus ope inveniuntur correctiones respondentes aliis deviationibus, & aliis distantiis punctorum limbi H, & G ab initio divisionum D. Terminus secundus semper negativus $-\frac{1}{2}bc^2$ variatur in ratione composita e simplici valoris b, & duplicata valoris c: primus autem b^2c ex parte altera positivus, & ex altera negativus in ratione composita e duplicata valoris b, & simplici valoris c. Positis autem valoribus, quos adhibuimus pro deviatione radii DI graduum duorum, & distantia angulari punctorum H, & G a puncto D $= 4°$ obvenit (num. 18) valor primi illius termini 35'', 2, secundi − 8'', 8. Si deviatio sit tantummodo unius, vel dimidii gradus, maneat autem distantia puncti H, vel G ab initio D, evadet secundus valor tantummodo 2'', 2, vel 0'', 5 fere contemnendus etiam pro distantia illa angulari graduum 4: primus remanebit adhuc ingens, secundorum nimirum 18'', 6, vel 9'', 3. Sed si punctum H, vel G sit adhuc propius puncto D, distans nimirum per duos gradus, vel per unicum, deviatio autem sit gradus dimidii, valor secundus evadet 0'', 25 vel 0'', 12, primus autem 2'', 4, vel 0'', 5. Distantiæ angula-

gulares puncti limbi duorum, vel trium graduum possunt utique obvenire: curandum est autem, ut in ipsa constructione instrumenti evitetur, quam diligentissime fieri potest, deviatio ipsa, vel determinetur ejus magnitudo absoluta potissimum, ubi sector adhibetur pro mensura graduum Meridiani, in qua error singulorum secundorum, ubi agitur de unico gradu, trahit secum errorem 16 hexapedarum.

23. Videndum tamen, quid accidat, ubi distantia a zenith assumitur non per unicam inclinationem, filo penduli cadente in alteram tantum e partibus limbi DA, DB, sed per inclinationem utramque, quæ adhiberi solet ad eum usum, factâ instrumenti conversione, quæ quidem etiam adhibetur semper ad habendam aberrationem directionis, quam habet axis telescopii respectu radii DI terminati ad initium divisionum. Sit axis telescopii parallelus radio DI habenti deviationem versus B, ut in fig. 5, & fixa distet a zenith gradibus r, figura autem 6 exprimat positionem sectoris cum limbo obverso ad orientem, & figura 7 ad occidentem: filum penduli IP cum radio DI continebit in utraque positione angulum $= r$. Si nulla haberetur deviatio; id filum occurreret rectæ AB in punctis H, & G ad distantias a puncto D, in priore fig. DH, in posteriore DG, accurate æquales, quarum singulæ exhiberent accurate gradus 4 per tangentes DH, DG attributas radio DC = DI. Sed ob illam aberrationem habebitur in priore figura DH minor exhibens arcum minorem angulo r per aberrationem $- b^2c + \frac{1}{2}bc^2$, & DG in posteriore arcum majorem per aberrationem $b^2c + \frac{1}{2}bc^2$, mutatis signis, cum ii, qui in fig. 5 erant excessus, vel defectus angulorum pertinentium ad punctum I respectu pertinentium ad punctum C habentium eas rectas pro tangentibus, sint defectus, vel excessus horum respectu illorum.

24. Si deviatio esset $= 2°$, & distantia a zenith $= 4°$, primus error limbi esset $- 26'',4$, & secundus $+ 44'',0$, & si distantia fixæ a zenith esset $= r$ paullo major, vel paullo minor gradibus 4, error uterque esset parum diversus. Assumeretur pro distantia a zenith semi-summa angulorum $r - 26'',4$, $r + 44'',0 = r + 8'',8$, cum errore $8'',8$ in ejus distantia a zenith.

nith. Si haberetur mensura distantiæ ejus fixæ a zenith accurata, & constaret, axem telescopii esse accurate parallelum radio DI; innotesceret primum, in utram partem fiat ipsa deviatio, quæ nimirum fieret in eo angulo, in quo jacet filum, vel in opposito, prout error limbi esset negativus, vel positivus. Deinde haberetur quantitas deviationis ipsius per singulos e prioribus binis erroribus. Si errores essent ii ipsi, quos invenimus; innotesceret, deviationem esse graduum duorum. Verum si errores inventi essent alii, conferendo singulos cum sua formula $\pm b^2c + \frac{1}{2}bc^2$ obtineretur valor c, noto b, qui exhiberet deviationem quæsitam.

25. Sed si adhibendus sit sector ad deprehendendam distantiam accuratam fixæ a zenith, non potest supponi hæc cognita, quia ad eam habendam præter cognitionem ejus accuratæ declinationis oporteret habere notitiam accuratæ altitudinis poli, quæ & incerta est intra plura secunda, & quærenda est potius per hunc horum sectorum usum. Sed multo minus ea distantia potest supponi cognita, cum usus præcipuus sectoris ipsius sit ad cognoscendam potius positionem zenith respectu fixæ, quam fixæ respectu zenith, ut ubi ii adhibentur ad dimetiendos Meridiani gradus, determinando distantias binorum zenith ab eadem fixa ad habendum arcum cælestem interceptum inter ea puncta. Hinc ejusmodi perquisitio poterit institui hoc alio pacto.

26. Sint in fig. 6 puncta A, D, B, C, I eadem ac in fig. 5, limbo obverso in orientem, & recta DF parallela axi telescopii directi in fixam quampiam parum remotam a zenith appellentem ad Meridianum occurrat in F filo IP prodeunti e puncto I radii DI $= 1$ habentis deviationem CDI $= a$ respondentem rectæ DE $= c$ figuræ 5, quæ est sinus ipsius: filum autem occurrat rectæ AB in puncto H, existente DH $= b$: angulus DCH, cujus ea est tangens, dicatur r, ut prius, & deviatio nova IDF axis telescopii a radio deviante DI dicatur x, quæ censeatur positiva, ubi fiat, ut figura exhibet, versus eandem plagam, versus quam fit deviatio radii CDI, nimirum hæc in angulo IDB, ut illa in angulo CDB. Figura 7 referat positionem ejusdem sectoris post conversionem limbi versus occidentem. Filum penduli occurret brachio sectoris opposito DA in G ana-

G analogo puncto G figuræ 5, directio autem ipsius producta sursum occurret axi telescopii in alio puncto F. Erunt iidem ac prius anguli CDI $= a$, IDF $= x$, angulus DCG dicatur r', DG ejus tangens b', & patet, angulum DFP fore eundem in utraque figura, adeoque angulus DFG figuræ 7, erit æqualis angulo DFH figuræ 6.

27. Porro in fig. 6 angulus DIH erit $= r + b^2c - \frac{1}{2}bc^2$, adeoque angulus DFH $= r + b^2c - \frac{1}{2}bc^2 + x$: at in fig. 7 angulus DIG erit $= r' - b'^2c - \frac{1}{2}b'c^2$, & angulus DFG erit $= r' - b'^2c - \frac{1}{2}b'c^2 - x$. Si axis telescopii esset accurate parallelus rectæ DI, atque id constaret; facile inveniretur deviatio a per suum sinum c. Valor x evanesceret, valores r, & r' differrent inter se per differentiam exiguam ordinis inferioris ad ipsos, cujus sunt correctiones adjunctæ: differentia valorum b, & b' esset ejusdem ordinis, ac differentia ipsa valorum r, r', sed differentia valorum b^2c, bc^2, & b'^2c, $b'c^2$, qui sunt ordinis inferioris, exigua respectu ipsorum, esset ordinis adhuc inferioris: hinc ea posset contemni, & ob æqualitatem angulorum DFH, DFG haberetur $r + b^2c - \frac{1}{2}bc^2 = r' - b^2c - \frac{1}{2}bc^2$, adeoque $r - r' = 2b^2c$, & $c = \frac{r - r'}{2b^2}$, ubi tamen oporteret eruere valores r, & r' admodum accuratos e suis tangentibus determinatis per observationes cum exactitudine, quæ par esset ei valorum eruendorum exactitudini.

28. Sed ignotâ deviatione x, inquiri posset simul in deviationem utramque c, & x ope inæqualitatis ingentis, quæ intercedit inter utrumvis e valoribus b^2c, & bc^2 erutum e diversis valoribus b. Seligantur binæ fixæ altera multo remotior a zenith, & altera multo propior, ad quem usum adhiberi possunt fixæ etiam incognitæ, dummodo habeant satis luminis, ut satis distinctæ appareant, & satis accurate determinari possint puncta H, & G figurarum 6, & 7 pertinentia ad earum singulas: sint autem pro remotiore R, R', B, B', quod pro priore r, r', b, b': deviationes c, & x sunt eædem pro utraque. Habebuntur binæ æquationes respondentes æqualitati eorundem angulorum DFH figuræ 6, & DFG figuræ 7, nimirum $R + B^2c - \frac{1}{2}Bc^2 + x = R' - B'^2c - \frac{1}{2}B'c^2 - x$, & $r + b^2c - \frac{1}{2}bc^2 = r' - b'^2c - \frac{1}{2}b'c^2 - x$.

Cum

Cum ex utraque eruatur valor $2x$ per valores cognitos, & per binos terminos habentes c, & c^2; obtinetur per æqualitatem binorum valorum respondentium eidem valori $2x$ æquatio secundi gradus pro c, ex qua eruitur is valor, tum ejus ope valor x, adeoque innotescunt ambæ deviationes c, & x, quibus cognitis habetur etiam distantia utriusque fixæ a zenith.

29. Hæc investigatio est utique admodum delicata, ac requirit observationes admodum accuratas, & calculum adhibentem satis multas decimalium notas; verum cum possint adhiberi plura fixarum binaria, mihi quidem persuasum est, posse deveniri hac methodo ad habendos valores quæsitos cum accuratione satis idonea ad corrigendas deinde observationes, quæ ejusmodi sectore instituantur, si obnoxius sit deviationi primæ $= a$, cui respondet sinus c. Valor x obtinebitur sane admodum accuratus; sed in valore c determinato per quantitates nimis exiguas derivatas ab ipso committetur error multo major: at quoniam correctiones itidem aliarum observationum ortæ ex eadem deviatione sunt exiguæ, ille error derivatus in ea deviatione ab exiguis erroribus commissis in determinatione quantitatum habita per observationes præcedentes producet itidem exiguos errores in derivatione inde facta quantitatum ejusdem generis pertinentium ad observationes posteriores.

30. Verum hic in fine hujus Opusculi indicabo aliam methodum, qua Astronomus possit inquirere in ejusmodi errorem sui sectoris jam constructi, ad eruendas deinde ope formularum, quas invenimus correctiones adhibendas singulis punctis. Sit in figura 5 limbus PQ hinc, & inde a medio D brevis, pertinens nimirum ad paucos gradus (figura exprimit & ipsum multo majorem respectu radii DC, vel CI, & deviationem CDI multo majorem ea, quæ timeri possit, ut singulæ partes, de quibus agitur, incurrant melius in oculos). Collocato instrumento in plano horizontali, quærendum esset punctum E perpendiculi IE per binas intersectiones circuli habentis centrum in I cum recta PQ: brevitas limbi non permittit excursum ejus circuli ultra punctum quæsitum E, nisi perquam exiguum, ne arcus abeat ultra terminum Q, exiguus autem excursus inducit illam obliquitatem arcus circularis indica-

tam

tam initio hujus Opusculi, quæ parit incerta puncta intersectionum ipsarum, inter quæ deberet assumi punctum E in medio.

31. Super eâdem mensa ampliori, vel super pavimento conclavis possent collocari hinc, & inde a punctis P, Q binæ tabulæ bene complanatæ, quæ ope cuneorum subjectorum reducerentur ad idem planum cum plano transeunte per puncta P, I, Q: ope fili tensi producenda esset recta PQ usque ad eas tabulas versus R, & T, delineato utrobique aliquo tractu ejus productionis: affixis longiori perticæ, vel tubo binis acubus, & alterius cuspide fixa in I, cuspis alterius determinaret intersectiones R, & T cum obliquitate satis magna ad eas distinctissime percipiendas. Tum facile determinaretur punctum E distans æque ab iis binis intersectionibus.

32. Sed in forma sectoris indicata numero 1, productio ejus rectæ lineæ impeditur a micrometro externo apposito in fine ejus limbi, cujus micrometri ope promovetur lamina continens eam rectam cum suis divisionibus inter duas laminas immotas. At facile est ei malo remedium. Ultra totam limbi latitudinem collocari potest una tabula in medio, cum binis hinc, & inde, si illa non sit satis longa, quarum omnium superficies sint in illo eodem plano punctorum P, I, Q. Ad distantias P*p*, Q*q* accuratissime æquales duci posset recta linea in superficie tabulæ intermediæ: tum filo tenui tenso in directione rectæ ejusdem notarentnr in aliis binis tabulis lateralibus bini tractus productionis rectæ ejusdem versus *r*, & *q*: centro I intervallo procurrente satis longe ultra rectam *rq* invenirentur intersectiones *r*, & *q* satis distinctæ cum puncto intermedio *e*: filum tensum per I, & *e* determinaret punctum E, adeoque haberetur DE $= c$. Tum pro omnibus punctis hinc H, inde G divisionum factâ DH, vel DG $= b$, inveniretur correctio adhibenda angulo determinato per eam tangentem, adhibendo vel formulam, vel utramvis e reliquis binis methodis expositis initio hujus ipsius Opusculi: redactis iis correctionibus in tabulam ordine suo, haberentur deinde correctiones etiam pro omnibus punctis intermediis more solito. Ita instrumentum erroneum exhiberet determinationes accuratissimas, qui est scopus omnium hujus generis perquisitionum in hoc Volumine.

OPU-



OPUSCULUM XI.

De rectificatione telescopii Meridiani Gallice Instrument des passages.

1. Maximam id instrumentum habet affinitatem cum quadrante murali; quam ob causam formulæ, quæ in Opusculo III sunt inventæ pro determinandis, & corrigendis erroribus collocationis ejus quadrantis, sunt communes ipsi, quod ibidem vocabulo respondente voci Gallicæ appellavimus *Instrumentum transituum*. Utrobique habetur telescopium mobile circa axem horizontalem, cujus axis debet moveri in plano Meridiani, & utrumque habere potest eosdem binos usus, nimirum determinationem momenti, quo astrum transit per Meridianum, & altitudinis apparentis supra horizontem astri ejusdem, sive ejus distantiam a zenith, quæ est ipsius altitudinis complementum: sed hæc secunda determinatio non solet haberi ope instrumenti transituum, nisi admodum crasso modo, quæ per quadrantem muralem satis magnum, & bene verificatum habetur accuratissime usque ad secunda arcus circuli maximi cælestis: prior determinatio per instrumentum transituum molis multo minoris haberi solet æque accurate, & vero etiam verificatione ad eum usum multo faciliori.

2. Pro quadrante murali adhiberi solet arcus circuli habentis radium multo majorem, ut pedum sex, vel etiam octo cum alidada ejusdem longitudinis, & telescopio æquali ipsi adnexo: alidada ipsa convertitur circa brevem axem ipsi adnexum in altero ejus extremo: is axis debet transire per centrum arcus circularis ipsius quadrantis, in cujus plano retinetur ibi superficies alidadæ ipsius, altero ejus extremo applicato ad limbum ejusdem quadrantis cum nonio ipsi adnexo, adeoque ut axis telescopii moveatur in plano Meridiani, oportet, totus limbus jaceat accurate in eodem

dem plano cum centro, axis conversionis sit accurate perpendicularis plano eidem, alidada accurate applicetur ubique limbo, quod obtineri non potest, nisi axis conversionis sit satis accurate perpendicularis eidem ipsius plano, & axis telescopii sit ei plano accurate parallelus: patet autem in Opusculo III, quanta mole sit opus ad explorandum, an limbus jaceat totus in eodem quodam plano, ad deprehendendam quantitatem errorum ejus generis, & corrigendos errores ipsos, qui quidem in quadrante jam constructo, & diviso nec potuissent corrigi, nisi fascia limbi ferens divisiones ita adnexa fuisset mensulis pertinentibus ad machinamentum ferreum ope cochlearum, ut per lamellas interpositas adduci posset ad idem planum: planum autem ipsum in machina tantæ molis multo difficilius reducitur ad positionem plani Meridiani, licet modus suspensionis, quo ipse ibidem sum usus, minuat difficultatem.

3. In instrumento transituum adnecti solent tubo telescopii brevioris bina brachia perpendicularia ejus longitudini desinentia singula in binos cylindros bene tornatos, quorum axes jacentes in directum efformant ipsum axem conversionis. Ea innituntur binis fulcris, quæ ita excipiunt ipsos cylindros, ut in conversione telescopii axis ipse maneat immotus, sed per motus admodum expeditos impressos alteri ex iis fulcris tam elevari possit alterum e punctis extremis axis ipsius, ac deprimi, ut is adducatur ad positionem horizontalem, quam moveri in latus, ut acquirat positionem perpendicularem lineæ meridianæ: nec vero difficulter ipse axis telescopii adducitur ad positionem perpendicularem eidem axi conversionis, ubi deprehensus fuerit ejus positionis error, quod pertinet ad rectificationem hujus instrumenti post deprehensos errores collocationis ipsius. De correctione errorum, qui deprehendantur in collocatione quadrantis muralis, egimus in ipso Opusculo III: agemus hic de eadem pro hoc instrumento: sed præcedent, ut ibi, ea quæ pertinent ad eos deprehendendos. Circa eum axem ita libere convertitur axis telescopii, ut ejus productio in sphæra cælesti describat arcum accurate circularem, qui in instrumento rite verificato, & correcto accurate congruit cum circulo meridiano.

4. Pro habendis crasso modo altitudinibus supra horizontem adnecti solet alteri e brachiis index, & alteri e fulcris semicirculus divisus tantummodo in gradus. Is index cum exiguo illo semicirculo non potest exhibere accuratam determinationem altitudinis supra horizontem, vel distantiæ a zenith, sed adhibetur tantummodo ad dirigendum telescopium versus illam Meridiani partem, ad quam debet astrum appellere, ut id subeat ipsius campum, ad quem usum ob magnitudinem campi ipsius sufficit crassa ejusdem altitudinis æstimatio: adhuc tamen pro arcu circulari exigui radii adnecti potest ipsi indici nonius, qui etiam determinet altitudinis minuta. Determinatio saltem crassa altitudinis est necessaria potissimum, ubi expectandus sit transitus astri cujuspiam ad Meridianum per diem, quod sine ejusmodi indicatione transire posset extra campum telescopii ipsius. Posset tamen adnecti instrumento hujus generis major semicirculus, vel circulus integer, major etiam eo, de quo hic egimus in Opusculo IX, ut ejus ope habeatur simul tam momentum transitus per Meridianum, quam distantia a zenith accuratissime determinata, quod immediate determinaret positionem astri in sphæra cælesti: tum id æquivaleret duplici quadranti, quorum alter esset australis, & alter borealis.

5. In utroque instrumento tres axium errores possunt occurrere, ut exposui in Opusculo III: potest nimirum 1° axis telescopii aberrare a positione perpendiculari ad axem conversionis; 2° axis conversionis esse horizontalis, sed aberrare a positione perpendiculari ad lineam meridianam; 3° idem axis conversionis esse inclinatus ad horizontem, quo casu si concipiatur planum verticale ductum per eum ipsum axem, & hujus intersectio cum plano horizontali transeunte per centrum conversionis, angulus, quem hæc intersectio continet cum linea meridiana, erit secundus error, angulus, quem ipse axis continet cum ea intersectione in ipso plano verticali, error tertius. Habentur in eodem Opusculo III binæ methodi deducendi singulos hosce errores axium e tribus differentiis inter momentum appulsus ad axem telescopii, & momentum appulsus ad Meridianum, quod obtineri potest ope altitudinum correspondentium, cum binis seriebus formularum, per

quas

quas iidem singuli errores possunt determinari, ac ex formulæ, ut monui, communes sunt utrique instrumento. Illas adhibui cum inquirerem in verificationem positionis axium quadrantis muralis, ubi occasione affinitatis ejus instrumenti cum hoc, enunciavi, formulas easdem pertinere etiam ad verificationem hujus: habeo autem & alias methodos præstandi idem per easdem eorum momentorum differentias, quas adhibueram in aliis binis Opusculis, in quibus directe mihi proposueram agendum de verificatione hujus instrumenti: eas hìc proferam, adjectis aliis, quæ pertinent ad rectificationem, nimirum ad correctionem eorundem errorum, quorum nonnulla possunt esse communia utrique, alia vero ita sunt particularia huic intrumento, ut ad quadrantem muralem tranferri non possint.

6. Hujus generis sunt duæ methodi deprehendendi, & corrigendi errorem primum, & tertium independenter ab omni observatione astronomica, quarum utraque est cognita: adhuc tamen ipsas hìc proponam, adjectis animadversionibus, quæ mihi ipsas reddunt non nihil suspectas, ut idcirco pro deprehendendis, & determinandis singulis iis axium erroribus ego quidem aptiores censeam eas, quæ adhibent observationes astronomicas exhibentes illas differentias momentorum appulsus ad instrumentum, & ad Meridianum. Ad illas methodos utcumque sistendas oculis indicabo tantummodo per pauca lineamenta formam instrumenti.

7. Telescopium indicatur (Tab. VII fig. 1) a rectangulo ABB'A', cui adnexa sunt ad angulos rectos bina veluti brachia DCC'D', GHH'G': ea desinunt in binos cylindros EF, IK bene tornatos, quorum axes jacent in directum, & constituunt axem conversionis. Ii cylindri innituntur binis fulcris LMM'L', NOO'N' connexis inter se ex parte inferiore, quæ fulcra in parte superiore LL', & NN' habent cavitates semicirculares formæ cylindricæ diametri æqualis diametro cylindrorum EF, IK: cylindri ipsi immissi iis cavitatibus ita cum iis congruunt, ut telescopium moveri non possit, nisi motu circulari circa eos axes. Alterum e binis fulcris potest ope unius cochleæ elevari non nihil, ac deprimi ad conciliandam axi FK accuratam horizontalitatem, & ope alterius pro-

moveri horizontaliter non nihil ad inducendam accuratam perpendicularitatem respectu lineæ meridianæ. Quin etiam posset pars summa fulcri alterius ita infigi parti inferiori ope cylindri solidi adnexi priori, & immissi in cylindrum cavum excavatum in posteriore, ut eadem pars summa posset circa eum axem converti in gyrum: tum pars summa alterius illius fulcri posset ita concludi intra crenam circularem partis inferioris, ut ope cochleæ determinaretur ad motum horizontalem circularem per arcum multo etiam majorem: sed cum facile collocari possit directio fulcrorum in positione proxime perpendiculari ad lineam meridianam, exiguus motus horizontalis fulcri posterioris necessarius ad inducendam eam positionem accuratam induci facile potest vi illata per cochleam, sine tanto apparatu, & illæso, ac integro priore fulcro.

8. Ea brachia ita affiguntur tubo telescopii, ut hic mutare non possit positionem suam respectu directionis cylindrorum, in quos ea desinunt, pro eo adducendo ad perpendicularitatem accuratam respectu axis conversionis, si eam artifex accuratam non præstitit in ipsa instrumenti constructione, quod quidem, ubi agitur de summa accuratione, sperare omnino non licet: adhuc tamen tubo etiam immoto potest axis telescopii ita mutare directionem, ut is reducatur ad perpendicularitatem quæsitam. In foco objectivi habentur bina fila sibi invicem perpendicularia: eorum alterum debet esse parallelum axi conversionis, quo axe redacto ad horizontalitatem, ipsum itidem erit semper horizontale, ac alterum semper in eodem plano verticali, quod erit ipsum planum Meridiani, ubi ille axis redactus fuerit ad perpendicularitatem respectu lineæ meridianæ. Axis telescopii dicitur hic illa recta, quæ abit a centro objectivi ad eorum filorum intersectionem, & nomine centri objectivi intelligitur id punctum maximæ ejus crassitudinis, per quod transit recta conjungens bina centra binarum sphæricitatum, ad quas binæ illæ superficies sunt tornatæ. Radii, qui delati a punctis objecti satis remoti diriguntur ad id punctum, potissimum ii, qui exiguam habent declinationem ab ea recta, transeunt ad sensum irrefracti, adeoque per id punctum transit

transit recta, quæ conjungit intersectionem filorum cum puncto objecti, quod in ipsa apparet, & idcirco ea recta dicitur linea fiduciæ. Si mutetur locus intersectionis filorum vel per motum solius fili verticalis, vel per motum totius lamellæ perforatæ, cui affixa sunt bina fila; mutatur directio axis telescopii tubo etiam immoto, ut patet. Si inducatur ejusmodi mutatio, potest ejus ope obtineri illa accurata perpendicularitas axis telescopii cum axe conversionis, tubo etiam carente ejusmodi positione accurata.

9. In utroque margine tubi solet haberi planum exiguum parallelum ad sensum axi conversionis cum singulis punctis P, Q positis in directione perpendiculari ad axem conversionis. Horum usus est pro verificanda positione horizontali axis conversionis, & eadem rectificandâ, si deprehendatur erronea: filum tenue cum pondere appenso ostendit simul, an recta, quæ jungit ea duo puncta, sit perpendicularis ei axi, & an is axis sit horizontalis, ac ejus ope deveniri potest ad imprimenda puncta ipsa in ea directione perpendiculari ad eum axem, qua directione semel acquisita, facile deinde inquiritur in positionem horizontalem axis ipsius, & ea inducitur, si inveniatur erronea.

10. Collocato axe ipso conversionis in positione ad sensum horizontali, convertatur tubus telescopii ita, ut acquirat positionem ad sensum verticalem: applicetur ad planum superius filum tenue cum pondere appenso ita, ut transeat per punctum P, quod jam insculptum sit plano superiori: notetur in plano inferiori punctum Q, per quod transeat id filum, quod notari potest atramento: fiat dimidia conversio tubi ita, ut caput AA', quod fuerat superius, evadat inferius, capite opposito BB' jam evadente superiore cum suo plano, & puncto Q: applicetur idem filum ad hoc planum jam factum superius ita, ut transeat per ipsum punctum Q: si filum ipsum transit simul etiam per punctum P; constabit simul, & rectam PQ esse perpendicularem axi conversionis, & hunc axem esse horizontalem: secus, erit erronea utraque positio: ope autem ejusdem fili devenietur ad determinationem loci, in quo imprimendum erit in secundo plano punctum Q ita, ut recta PQ sit perpendicularis eidem axi, & elevando,

vel

vel deprimendo fulcrum alterum mobile, adducetur axis ipse ad horizontalitatem requisitam.

11. Sit enim (fig. 2) FK axis ipse inclinatus ad horizontem, & filo illo transeunte per puncta P, Q in prima positione tubi, recta PQ erit utique verticalis: occurrat ipsa eidem axi in A, & neglectâ crassitudine brachiorum adnexorum tubo telescopii, ac tubi ipsius, concipiantur rectæ PB, QC perpendiculares axi eidem productæ tantundem in P', & Q'. Recta QCQ' erit utique perpendicularis axi FK, qui cum supponatur inclinatus ad horizontem, deflectet etiam ipsa a recta verticali Q'E, quæ erit positio fili transeuntis per Q', jacente puncto Q inter punctum P', & filum ipsum. Facile determinabitur locus, in quo pro puncto Q' erroneo erit imprimendum punctum Q; si id, quando ejus planum erat inferius, fuerit assumptum sub filo ad distantiam AQ ab axe conversionis æqualem distantiæ AP.

12. Filum adducetur secus planum ipsum superius ad eam positionem, in qua id transeat per punctum P' plani inferioris, & sub eo notabitur punctum D in distantia ab ipsius intersectione G cum axe conversionis, quæ sit æqualis distantiæ GP': facile patet, punctum quæsitum P, in quo collocari debet punctum Q correctum, fore in medio inter puncta D, Q'. Nam ob latera AP, AQ æqualia, erunt æqualia etiam PB, QC, & eorum dupla PP', QQ'. Pariter ob latera PB, P'B æqualia erunt æqualia etiam latera PA, P'G, & eorum dupla PQ, P'D: erunt autem parallelæ etiam rectæ PP', QQ' perpendiculares eidem axi FK, & rectæ PQ, DP' verticales, adeoque & anguli PQQ', DP'P æquales erunt, & proinde æquales inter se bases PD, PQ' æqualium triangulorum PQQ', DP'P, nimirum punctum P erit in medio inter puncta Q', D, ac recta jungens punctum P jam insculptum, & punctum Q novum insculpendum, erit perpendicularis axi FK. Hinc ita elevato, vel depresso fulcro mobili, ut filum transeat per ea duo puncta, recta transiens per ipsa erit verticalis, & consequenter horizontalis erit axis FK, qui eidem est perpendicularis.

13. Nihil oberit huic determinationi crassitudo illa neglecta brachio-

chiorum, & telescopii: demonstratio haberi posset accurata etiam sine eo neglectu concipiendo plura plana parallela, sed esset multo magis complicata: facile concipitur, transitum ejus fili per utrumque ex iis punctis ante, & post dimidiam conversionem indicare positionem horizontalem axis conversionis ipsius, qui est ejus operationis scopus: æqualitas distantiarum AP, AQ, & GD, GP' obtineri non potest, nisi æstimatione aliquanto crassiore, quam ob causam fieri posset, ut post primam correctionem puncti Q filum transiens per utrumque e punctis P, Q in una positione, non transiret accurate per utrumque etiam post dimidiam conversionem: sed novâ correctione adhibitâ facile per attentationem deveniretur demum ad eam positionem puncti ejusdem, quæ exhiberet congruentiam fili cum utroque puncto tam ante, quam post semi-conversionem illam: eâ vero semel obtentâ insculpi posset id etiam secundum punctum, quod semel insculptum semper deinde exhiberet congruentiam fili cum utroque puncto in positione tubi utraque cum horizontalitate axis requisita.

14. Pro axe telescopii adhibetur aliud conversionis genus: collineatur in objectum aliquod terrestre satis remotum, & proximè horizontale, in quo adsit aliquod punctum, quod agnosci possit, & jaceat in intersectione filorum: tum ita invertitur instrumentum, ut cylindrus IK (fig. 1) abeat in fulcrum LL', & alter EF in NN'. Si intersectio filorum telescopii tendit ad idem punctum objecti; axis telescopii debet esse perpendicularis axi conversionis: quia si sit obliquus deflectens in priore positione ad dexteram, vel ad lævam; debebit in posteriore deflectere tantundem ad lævam, vel ad dexteram. Error, si adsit, non poterit corrigi, nisi movendo filum verticale motu horizontali ita, ut intersectio abeat ad punctum intermedium inter bina puncta, ad quæ tendebat in binis illis positionibus.

15. Si telescopium haberet micrometrum, in quo filum verticale moveri posset motu determinato ab indice; correctio ejus erroris esset admodum expedita: adduceretur intersectio ad idem punctum, ad quod tendebat in prima positione, notato numero partium micrometri ejus motus: tum retraheretur per dimidium

eum

eum numerum, ac motu horizontali fulcri mobilis adduceretur intersectio ad illud punctum, ad quod tendebat in prima positione, & is error esset correctus ita, ut nova conversione brachiorum deberet intersectio ipsa redire ad punctum idem. Demonstratio hic etiam innititur duplicitati erroris in conversione. Sed micrometrum, quod reddat mobile filum verticale, hujusmodi instrumentis addi non solet, & plerumque ea fila affiguntur immobiliter annulo immisso intra tubulum, quod si fiat, & artifex in prima constructione erraverit, male determinando lineolas, vel foraminula, per quæ filum affigendum transire debeat; error deprehensus corrigi non poterit, nisi ablato eo filo verticali, & alio apposito, ac affixo ope ceræ, quo casu longa attentatione utendum erit, donec id adducatùr ad positionem intermediam inter punctum primæ positionis, & punctum secundæ: nam extrahi debet lens ocularis ad movendum filum in latus, ut idcirco crassâ quadam æstimatione utendum sit in motu imprimendo, & lente oculari repositâ videndum, an deventum sit ad positionem debitam, quæ obtineri non poterit, nisi demum post longam, & molestam attentationem.

16. Accedit difficultas inveniendi in objecto satis remoto bina puncta, ad quæ in binis positionibus dirigi possit intersectio filorum, & quod agnosci possit post conversionem, & extractionem lentis ocularis, ac motum impressum filo verticali. Posset seligi objectum remotum, in quo possit collocari tabella cum charta alba, & recta verticali, ut fenestra, ad quam socius mitti posset, qui signo dato tabellam moveret horizontaliter, donec ea recta accurate tegeretur a filo verticali: is in secunda positione per motum chartæ adduceret eandem rectam ad positionem fili signis itidem datis, & notaret quantitatem motus impressi chartæ: tum lineam reduceret per dimidium ejus intervalli, eâ positione chartæ retentâ facienda esset ea mutatio fili, quæ ipsum adduceret ad eam novam positionem ejus lineæ: sed raro admodum occurrent ejusmodi objecta, in quibus id præstari possit, ac admodum difficulter exhibentur ea signa in majore distantia.

17. Posset adhiberi distantia exigua paucarum hexapedarum, in qua

qua possint facile edi signa, & possit audiri vox ipsa: sed si dirigatur telescopium ad objecta nimis proxima, visio objecti ipsius evadit confusa; nisi lens ocularis removeatur ab objectivo; quod si fiat, & fila remaneant eodem loco, evadit confusa visio filorum: si autem removeantur etiam fila; habetur periculum mutationis in eorum restitutione pro objectis remotioribus. Accedit, quod si objectum sit nimis vicinum, remotio lentis ocularis, & filorum deberet fieri major, quam tubulus ferat: ac sæpe instrumentum ita est collocatum, ut nulla in ea directione occurrant objecta terrestria, ne proxima quidem, ad quæ commode accedi possit.

18. Potest haberi visio satis distincta lineæ admodum etiam vicinæ sine remotione lentis ocularis ad corrigendum sine inversione brachiorum errorem jam cognitum per formulas propositas in Opusculo III, vel per eas, quas proponemus hic inferius, quam methodum obtinendi eam visionem distinctam proponemus itidem inferius post eas ipsas formulas novas. Sed si ea adhiberetur ad corrigendum errorem deprehensum per inversionem brachiorum; habebitur aliquod periculum ab inæquali longitudine ipsorum, objecto existente parum remoto. Nam telescopium non rediret per inversionem in locum suum, & distantia positionum telescopii esset æqualis duplæ differentiæ longitudinum eorundem brachiorum, unde oriretur parallaxis quædam. Inæqualitas unius lineæ in distantia cylindrorum, in quos desinunt brachia, ab intersectione filorum, quæ habentur intra tubos, quæ videtur facile committi posse, duplicata subtendit in distantia pedum 20 angulum, cujus sinus ad radium $= 1$ est $= \frac{2}{20 \times 144} = 0{,}0006944$, qui idcirco est $= 2'.23'',2$ ejus dimidium $1'.12'',1$ esset deviatio axis telescopii a recta perpendiculari ad axem conversionis, quod in ipso æquatore inducit errorem fere 5 secundorum in tempore, & multo majorem in parallelis minoribus.

19. Inæqualitas diametrorum eorum cylindrorum, in quos desinunt brachia, posset timeri multo minor: ea non obest huic methodo verificandi positionem axis telescopii respectu axis conversionis.

sionis. Etiam si eæ diametri sint inæquales cum cavitatibus fulcrorum adhuc idoneis ad excipiendum cylindrum crassiorem; adhuc tenuior descenderet ad imum cavitatis ipsum excipientis, adeoque, permutatâ positione brachiorum, axis transiens per medios ipsos cylindros descenderet quidem non nihil versus fulcrum tenuioris, sed adhuc remaneret ad sensum in eodem plano verticali, adeoque id nihil noceret positioni axis telescopii, qui si sit perpendicularis axi transeunti per medios cylindros, dirigetur ad idem objecti punctum in positione utrâque. At illa inclinatio nocet verificationi horizontalitatis axis conversionis factæ per positionem fili cum pondere transeuntis per puncta P, Q tam ante, quam post dimidiam conversionem tubi telescopii methodo superius exposita. Ea duplex congruentia ejus fili cum iis binis punctis in utraque positione telescopii ostendit horizontalitatem non axis conversionis, sed lineæ transeuntis per puncta ima cylindrorum ipsorum, & summa cavitatum pertinentium ad fulcra, quæ ipsos excipiunt. Si semidiametri cylindrorum ipsorum non sint æquales; axis transiens per eorum centra evadit inclinatus ad eam rectam, qua redditâ horizontali, axis ipse remanet inclinatus ad horizontem. Si distantia fulcrorum sit pedis unius, sæpe autem eam mensuram ipsa non excedit, & differentia radiorum, quæ sunt dimidiæ crassitudines ipsorum cylindrorum, sit $\frac{1}{10}$ unius lineæ; sinus inclinationis erit $\frac{1}{1440}$, ut prius: adeoque a tam tenui inæqualitate earum crassitudinum potest induci error adeo sensibilis in æstimatione positionis ejus axis facta eâ methodo.

20. Accedit, quod in telescopio brevi, nam plerumque in ejusmodi instrumentis non adhibentur nisi telescopia pedum duorum vel trium, perquam exigua aberratio fili sustinentis pondus appensum a congruentia cum ipso medio accurato utriusque puncti inducit errorem sensibilem in æstimatione positionis verticalis punctorum ipsorum, adeoque in horizontalitate quæsita axis conversionis.

21. Aberratio axis ejusdem a positione perpendiculari respectu

lineæ

lineæ meridianæ, non potest deprehendi nisi per observationes astronomicas: ob causas autem expositas etiam investigatio præcedentium errorum facta methodis expositis, quæ proponi solent in Elementis Astronomiæ, est periculosa: quamobrem est admodum utilis methodus deprehendendi omnes eos tres errores per formulas, quæ adhibent observationes astronomicas, uti sunt eæ, quas proposuimus in Opusculo III, quæ exhibent eos errores singulos: & id quidem eo melius, quod earum ope post deprehensos eosdem per errores momenti appulsus inventos in tribus positionibus telescopii directi ad tria Meridiani puncta computari potest error pro quavis alia positione, ut ejus ratio haberi possit, etiam nullâ correctione adhibita erroribus axium deprehensis.

22. In Opusculo III habentur num.26 bina systemata formularum inventa binis diversis methodis pro eruendis iis tribus erroribus axium, quos hìc indicavimus num.5. Prima methodus innititur tribus æquationibus differentialibus ibidem demonstratis in ipso initio ejus Opusculi, & expressis numero ipsius 5, quibus connectuntur inter se exiguæ differentiæ a quadrante binorum laterum, & angulorum trianguli sphærici habentis bina latera parum discrepantia a quadrante, & consequenter etiam binos angulos iis oppositos parum itidem discrepantes ab angulo recto. Hìc exhibebimus aliam methodum eruendi ope solius secundæ ex iis tribus alias tres æquationes, quæ non solum exhibeant singulos ex iisdem erroribus eruendos ex iisdem valoribus datis per easdem observationes astronomicas, sed etiam iis inventis formulam pro correctione adhibenda momento appulsus astri cujuscunque ad instrumentum, ut obtineatur momentum appulsus ad Meridianum.

23. Secunda ex iis tribus æquationibus erat ibi $dy - dz \cos.x - dq \sin.x = 0$, ubi y, & z sunt bina latera parum abludentia a quadrante, x latus tertium, q angulus oppositus lateri y, dy, dz, dq sunt excessus exigui quadrantis supra valores y, z, q, qui evadunt negativi, si pro excessibus habeantur defectus. Applicatio ipsarum refertur ad figuram secundam Tabulæ II, qua ipsa utemur hìc etiam. Ibi AOB est semihorizon orientalis, & ea tria puncta sunt ejus cardines, australis, orientalis, borealis,

P polus æquatoris nobis conspicui, Z zenith, S, S', S'' tres fixæ appellentes ad axem telescopii, qui appulsus hìc concipitur factus ante appulsum ad Meridianum: errores angulares sunt ZPS, ZPS', ZPS'', qui supponuntur exigui, & habendi sunt pro positivis, ubi appulsus ad instrumentum præcedit appulsum ad Meridianum; ac censendi erunt negativi, si hic præcedat illum, E est punctum superficiei sphæræ cælestis, ad quod dirigitur axis conversionis ex parte orientali, ED, OF sunt arcus perpendiculares, ille horizonti, hìc arcui PE producto, si opus sit, qui habebit polum in P, & abscindet arcum PF æqualem quadranti PO.

24. Error angularis ZPS habetur, ut ibidem monuimus, e differentia temporum inter appulsum observatum ad instrumentum, & appulsum ad Meridianum deductum ab altitudinibus correspondentibus: ea differentia redacta ad secunda horaria dicetur hìc n: eadem autem multiplicata per 15 exhibet numerum secundorum anguli ZPS, quem numerum dicemus hìc e, adeoque erit $e = 15n$: eodem pacto intelligemus n', n'' errores temporarios reductos ad secunda, & pertinentes ad angulos ZPS', ZPS'', tum $e' = 15n'$, $e'' = 15n''$ errores angulares: dicemus autem c, c', c'' distantias punctorum appulsus ad Meridianum a polo P. Valores n, & e censendi erunt positivi, si astrum appellat ad instrumentum, ante quam ad Meridianum, negativi, si post: valores c censendi erunt positivi, si punctum appulsus ad Meridianum jaceat a polo versus cardinem australem A, negativi si jaceat versus borealem oppositum: errores angulares multiplicati per $sin.c$ erunt reducti ad secunda circuli maximi, quæ ita evadent $= 15nsin.c$: in prima ex hisce postremis binis positionibus tam valor n, quam valor $nsin.c$ positivus respondebit puncto S jacenti versus orientem respectu Meridiani, sed in secunda, in qua directio motus diurni est contraria directioni positionis prioris, valor quidem n respondebit puncto S jacenti versus occidentem respectu ipsius, & valor $nsin.c$ iterum versus orientem ob duo signa negativa n, & c. Hic casus valoris c negativi non poterat occurrere in quadrante murali australi, potest autem in hoc instrumento, cujus telescopium excurrit per totum semi-

semicirculum Meridiani. Ibi applicavimus primam e tribus æquationibus propositis illo numero 5 ad triangula SES', SES'', in quibus latera circa angulos in S non solum sunt parum abludentia a quadrante, sed etiam æqualia inter se, & inventis valoribus differentiæ utriusque angulorum ESS', ESS'' a recto, quarum alterius excessus supra alteram debuit æquari excessui alterius ex angulis PSS', PSS'' supra alterum, invenimus per æquationem inde erutam primum errorem, qui est excessus quadrantis supra arcum ES, & ibi fuerat appellatus dz. Hoc invento adhibuimus reliquas binas æquationes differentiales ad inveniendum arcum OE per arcus OF, EF, ex quo deduximus reliquos binos errores OD, & ED.

25. Hic applicabimus solam illam æquationem differentialem secundam numeri 23 ad triangula EPS, EPS', EPS'', in quibus parum abludit a quadrante latus commune PE, ut & singula latera ES, ES', ES'', parum abludente angulo ad P ab angulo recto. Hinc appellabimus q angulum EPS, cujus differentia dq occurrit in illa æquatione: id efficiet arcum ES ipsi oppositum $= y$. Appellabimus autem x arcum PS, ut is valor occurrens in eadem æquatione sit cognitus, nimirum $= c$. Porro erit hic dy error primus, nimirum excessus quadrantis supra arcum ES, qui arcus in eo Opusculo erat z, & ejus error dz.

26. Fiat præterea angulus OPE $= p$, qui valor censeatur positivus in casu expresso a figura, & facile, calculo absoluto, res transferetur ad quemvis alium casum. Erit ZPE $= 90° + p$, cum O sit polus Meridiani, adeoque angulus ZPO rectus: dempto inde angulo ZPS $= e$, erit SPE $= 90° + p - e$, adeoque $90° -$ SPE $= dq$ erit $= e - p$, quo valore substituto in ea æquatione differentiali pro dq, & c pro x habebitur æquatio data per valores dy, dz, e, p, c: similem exhibebunt triangula EPS', EPS'', substitutis e', c', & e'', c'' pro e, c, adeoque habebuntur sequentes tres æquationes.

$$dy - dz\cos.c + p\sin.c - e\sin.c = 0$$
$$dy - dz\cos.c' + p\sin.c' - e'\sin.c' = 0$$
$$dy - dz\cos.c'' + p\sin.c'' - e''\sin.c'' = 0$$

27. Ope

27. Ope harum trium æquationum facile obtinentur valores dy, dz, p: nam subtrahendo primam æquationem a secunda, & a tertia obtinentur binæ

$$dz(\cos.c - \cos.c') - p(\sin.c - \sin.c') + e\sin.c - e'\sin.c' = 0$$
$$dz(\cos.c - \cos.c'') - p(\sin.c - \sin.c'') + e\sin.c - e''\sin.c'' = 0$$

substitutis numeris (*), & liberato primo termino utriusque æquationis obtinentur bini valores dz, qui facti æquales inter se exhibent æquationem pro valore p. Eo cognito obtinetur dz per utrumvis e præcedentibus ejus valoribus, qui non habebant nisi valores c, c', c'', e, e', e'' cognitos, & p jam inventum, unde demum profluit etiam valor dy, sive error primus per quamvis e primis illis tribus æquationibus.

28. Hæc quidem methodus pro eruendo primo errore est operosior primâ illâ Opusculi III, sed ipsa exhibet facilius reliquos binos errores OD, & ED per eam unicam æquationem differentialem secundam sine recursu ad reliquas duas. Cum enim bina latera ES, PS sint y, & x, tertium PE erit z, & dz excessus quadrantis supra ipsum erit EF ob arcum PF æqualem quadranti PO (num. 23). Is igitur innotescet: innotescet autem etiam arcus OF, qui metitur angulum OPE $= p$, adeoque in triangulo rectangulo OFE innotescet etiam hypothenusa OE, & quidem eo facilius, quod id triangulum considerari poterit ut rectilineum ob exiguitatem laterum omnium.

29. Considerari etiam poterit triangulum rectangulum ODE, ut rectilineum, in quo habita hypothenusa OE habebuntur latera OD, ED, quæ sunt errores, secundus, & tertius, invento angulo EOD, qui facile invenietur: est enim *sin*. OE : *sin*. PE :: *sin*.

(*) Ita enim operatio redditur admodum facilis: nam divisio, vel multiplicatio numeri per numerum reddit numerum simplicem, dum, adhibitis formulis, quæ enascuntur ex aliarum multiplicatione, crescunt numeri terminorum, & divisio immediata nec fieri potest: oriuntur formulæ complicatissimæ labore in immensum aucto, si applicatio numerorum reservetur pro formulis finalibus, quæ aliquando evadunt paginales. Pro evitandis erroribus, qui oriuntur in applicatione facta ante formulam finalem e contemptu fractionum minorum, satis est addere unam notam decimalem, aut duas, vel tres, pro numero minore, vel majore operationum, quæ debent subsequi.

$sin.OPE = p : sin.POE$, ubi pro sinu arcus PE parum abludentis a quadrante poterit adhiberi radius $= 1$, adeoque sinus anguli POE erit $= \frac{sin.p}{sin.OE}$: poterunt autem adhiberi ipsi valores angulorum $OPE = p$, & OE inventi in secundis loco eorum sinuum ob eorum exiguitatem, adeoque sinus anguli POE erit $= \frac{p}{OE}$. Id autem patet etiam ex eo, quod initium arcus OP prope O potest assumi pro recta perpendiculari arcui OF, adeoque parallela rectæ FE, angulo POE existente æquali angulo OEF, cujus sinus est $\frac{OF}{OE}$, ubi OF mensura anguli OPE est $= p$. Tum vero habebitur angulus DOE demendo inventum POE ab altitudine poli DOP, & error secundus $OD = OE \times cos.EOD$, ac tertius $ED = OE \times sin.EOD$.

30. Præterea hæc determinatio valorum dy, dz, p in eo præstat determinationi factæ per utramque methodum Opusculi III, quod ope ipsius, habitis semel tribus erroribus instrumenti e, e', e'', qui respondent tribus positionibus telescopii directi ad tria data Meridiani puncta, invenitur error pro quavis alia positione per primam e primis tribus æquationibus numeri 26. Nam pro ea positione habebitur nova distantia c a polo, adeoque habebitur novus valor $e = \frac{dy - dzcos.c + p.sin.c}{sin.c} = \frac{dy}{sin.c} - dztan.c + p$. Hinc poterit haberi momentum appulsus novi illius astri ad Meridianum accuratus, etiam nullâ adhibitâ correctione instrumento tam relate ad positionem axis conversionis, quam relate ad axem telescopii respectu ipsius, quæ difficilius corrigitur. Valor e secundorum angularium divisus per 15 exhibebit secunda horaria n : addenda tempori appulsus ad instrumentum, vel ab eo demenda, prout valor e obvenerit positivus, vel negativus. Sed ubi agitur de instrumento transituum, ut hic, ubi id juxta num. 24 potest dirigi etiam ad punctum Meridiani jacens infra polum in arcu PB, nimirum in directione opposita illis, quæ consideratæ sunt in eruendis formulis, valor c distantiæ a polo ha-

habendus est, ut negativus. Ibi fixa evadit orientalior Meridiano post appulsum ad ipsum, non ante, ut in reliquo omni arcu PA Meridiani ipsius.

31. Si instrumentum sit fixum in quopiam observatorio; poterit computari tabula errorum pro diversis distantiis c a polo, quæ adhibeatur pro corrigendis omnibus observationibus, quæ eodem instrumento ibi manente instituantur. Si autem id instrumentum sit portatile; hæc formula potest esse admodum utilis pro determinanda longitudine loci incogniti, ad quem navis appellat. Educto ipso instrumento extra navim, fieri potest, ut vel locus ipse, vel tempus, non permittat correctionem ullam adhibendam positioni fulcrorum, vel axi conversionis. Si collocato instrumento per crassam æstimationem, assumantur eâdem nocte altitudines correspondentes pro tribus fixis appellentibus ad tria puncta Meridiani satis distantia inter se, ex quibus deducantur momenta appulsuum ad Meridianum, observentur autem appulsus earundem ad axem telescopii; habebuntur tres errores e, e', e''. Si autem eâdem nocte observetur etiam appulsus limbi lunaris ad filum ejusdem telescopii perpendiculare filo horizontali, habebitur etiam appulsus centri lunæ ad idem filum ob cognitam ejus semidiametrum. Innotescet utique valor c ei positioni respondens saltem parum abludens a vero, adeoque innotescet momentum appulsus centri ipsius ad Meridianum, qui collatus cum loco lunæ computato pro ephemeridibus, vel cum tempore transitus ipsius per Meridianum observati in aliquo alio loco cognito, habitâ ratione motus proprii lunæ, exhibebit per operationes notas Astronomis longitudinem ejus loci in primo casu nocte eâdem ad dirigendum reliquum cursum, & in secundo post ejus observationis notitiam, multo accuratius, quam per distantiam lunæ ipsius ab aliqua fixa assumptam per octantem reflexionis.

32. Secundum systema formularum numeri 26 Opusculi III eruitur in fig. 4 Tabulæ II sine ullo subsidio formularum differentialium concipiendo arcus ES, ES', ES'' productos usque ad Meridianum in M, M', M'', & ex puncto O arcus OI, OI', OI'' perpendiculares iisdem tribus arcubus. Obvenit prima formula ejus syste-

systematis pro valore dz primi erroris simplex, & elegans, ex qua fluunt reliquæ duæ pro reliquis binis erroribus. Eadem obvenit hìc mihi e figura non nihil immutata, cujus consensus cum priore confirmat utramque. Sunt hìc (Tab. VII fig. 3) puncta A, O, D, B, P, Z, E, S, S', S'' eadem ac in fig. 4 Tabulæ II, nimirum eadem etiam ac in fig. 2 ipsius, qua usi sumus in determinatione præcedente, sed puncta M, M', M'' sunt occursus arcuum OS, OS', OS'' cum Meridiano AZB, & I, I', I'' sunt puncta, in quibus occurrunt iis arcubus arcus habentes polos in S, S', S'', & transeuntes per E, qui poterunt assumi pro lineis rectis perpendicularibus ipsis, ut & omnes reliqui arcus figuræ EDOII'I'' haberi poterunt itidem pro rectis lineis. Erunt autem OI, OI', OI'' excessus arcuum OS, OS', OS'' supra arcus æquales ES, ES', ES'', figura OII'I''E erit inscripta circulo habenti diametrum OE ob angulos rectos ad I, I', I'', & arcus MM', MM'', M'M'' erunt hìc accurate mensura angulorum MOM', MOM'', M'OM'', sive IOI', IOI'', I'OI'', quorum chordæ II', II'', I'I'' erunt ad diametrum OE, ut sinus eorundem angulorum ad radium $= 1$ (*).

33. Dicatur, ut in ipso Opusculo III, t recta OE, tum hìc etiam c, c', c'' exprimant arcus PM, PM', PM'', qui sunt quam

(*) Adhibuimus hoc theorema etiam in Opusculo III sine demonstratione, quæ quidem est facilis. In circulo Meridiano, cujus polus est O, mensura anguli IOI' est totus arcus MM' $= c - c'$, at in circulo, cujus diameter est OE, mensura ejusdem anguli terminati ad ejus peripheriam in O, est dimidium arcus subtensi a chorda II', cujus dimidii sinus ad suum radium $= \frac{1}{2}$OE est dimidium ejusdem chordæ, adeoque est sinus dimidii arcus subtensi ab ea chorda $= sin.(c - c')$ ad radium $= 1$, ut $\frac{1}{2}$II' ad $\frac{1}{2}$OE, nimirum ut II' ad OE. Hinc valor chordæ II' est OE $\times sin.(c - c') = t\,sin.(c - c')$, & eadem est ratio pro valoribus chordarum II'', I'I'' hìc adhibitis. In figura 4 Tab. II habebantur eædem expressiones, quia ibi etiam ob viciniam punctorum E, O, & viciniam punctorum M pertinentium ad productiones arcuum ES cum punctis iisdem pertinentibus ad productiones arcuum OS adhibitas hìc in figura 3 Tabulæ VII, ille angulus IEI', sive MEM' potest haberi pro æquali huic angulo IOI', sive MOM' $= c - c'$.

proxime æquales distantiis fixarum a polo (*). Dicatur autem ad servandam analogiam denominationum dy excessus quadrantis supra arcus ES, ES', ES'', qui ibi erant dz, ac e, e', e'' tres errores angulares, qui errores, si concipiantur arcus PS, PS', PS'', erunt anguli SPM, SPM', SPM'', & exhibebunt valores $SM = e\sin.c$, $SM' = e'\sin.c'$, $SM'' = e''\sin.c''$: arcus autem MM', MM'', M'M'', mensuræ angulorum IOI', IOI'', I'OI'' erunt $c - c'$, $c - c''$, $c' - c''$, $II' = OE \times \sin.IOI' = t\sin.(c - c')$, $II'' = t\sin.(c - c'')$, $I'I'' = t\sin.(c' - c'')$. Porro excessus dy quadrantis OM supra arcum $IS = ES$ erit $= OI + SM$, adeoque $OI = dy - SM = dy - e\sin.c$, & eodem pacto erit $OI' = dy - e'\sin.c'$, $OI'' = dy - e''\sin.c''$.

34. Jam vero in quadrilineo OII'I'' inscripto in circulo erit $OI'' \times II' + OI \times I'I'' = OI' \times II''$, sive $tdy\sin.(c - c') - te''\sin.c'' \sin.(c - c') + tdy\sin.(c' - c'') - te\sin.c\sin.(c' - c'') = tdy\sin.(c - c'') - te'\sin.c'\sin.(c - c'')$, vel dividendo per t, & transponendo $dy\sin.(c - c') + dy\sin.(c' - c'') - dy\sin.(c - c'') = e''\sin.c''\sin.(c - c') + e\sin.c\sin.(c' - c'') - e'\sin.c'\sin.(c - c'')$, ac demum pro dy, prorsus ut in Opusculo III num. 27 pro dz, obtinetur

$$dy = \frac{e''\sin.c''\sin.(c - c') + e\sin.e\sin.(c' - c'') - e'\sin.c'\sin.(c - c'')}{\sin.(c - c') + \sin.(c' - c'') - \sin.(c - c'')}$$

35. In-

(*) Arcus SM potest considerari, ut arcus paralleli habentis polum in P, ut arcus circuli maximi transeuntis per E, & S, & ut arcus itidem circuli maximi transeuntis per O, & S. In quovis ex hisce tribus modis assumatur, ejus magnitudo linearis haberi poterit pro eadem exigua recta perpendiculari ad arcum Meridiani ob viciniam puncti M respectu hujus: is arcus assumptus primo modo exhibet numerum secundorum sui paralleli $15n$, qui est error angularis, & hic appellatur e: is evadit $15n\sin.c$ cum reducitur ad numerum secundorum circuli maximi: sed inferius in alia methodo proponenda appellabimus e ipsum valorem $15n\sin.c = e\sin.c$ facilioris scriptionis causa: verum dum hic valor e habet ubique signum idem ac n, ibi ejus signum pendebit etiam a signo valoris c, adeoque in punctis arcus PA erit idem, ac signum valoris n, & e, in punctis autem arcus PB erit ipsi contrarium ob valorem c positivum in primo casu, negativum in secundo. Consideratur autem ut productio arcus ES in figuris 2, 3, 4 Tabulæ II, & arcus OS in fig. 3 Tabulæ VII.

35. Invento hoc valore primi erroris fit progressus in num. 24 Opusculi ipsius ad determinationem reliquorum binorum OD, ED, determinando primum distantiam EO poli conversionis a cardine orientali. Ea obtinetur per resolutionem trianguli IOI'', in quo habetur angulus IOI'', cujus mensura est arcus MM'' $= c - c''$, & invento valore dy, habebuntur latera OI $= dy - esin.c$, & OI'' $= dy - e''sin.c''$, quæ appellantur ibidem n, & n'', unde innotescit angulus II''O $=$ IEO, cujus sinus cum sit ad radium ut OI valor jam cognitus ad EO, hæc innotescit: eruitur valor analyticus ejus rectæ $= t$ expressus in formulis secundi systematis numeri 26 ejusdem Opusculi III, congruens cum invento methodo priore, & expresso in formulis systematis primi. Ulteriore progressu invenitur formula pro valore anguli EOD, qui fit $= r$, unde fluit secundus error OD $= tcos.r$, & tertius ED $= tsin.r$.

36. Verum hic is angulus invenietur multo facilius. Nam innotescit angulus AOM, altitudo supra horizontem primæ e tribus fixis in ejus appulsu ad Meridianum, quam quidem satis est habere veræ proximam, & angulus IOE complementum inventi IEO, sive II''O, quorum summæ supplementum est ipse angulus EOD $= r$.

37. Methodus solvendi problema per tres æquationes differentiales exhibuit numero 30 valorem erroris e pro quavis alia distantia c a polo: potest idem inveniri admodum facile etiam per hanc secundam solutionem pro quovis alio dato puncto Meridiani, ut novo M: habebitur ejus distantia c a polo, & elevatio AM supra horizontem, adeoque angulus AOM, qui ablatus ab angulo AOE jam invento relinquet angulum EOI, adeoque habebitur OI $=$ OE $\times cos.$EOI, qui valor cum sit $= dy - esin.c$, erit $e = \frac{OI + dy}{sin.c}$ valor jam cognitus, & simplicior illo invento per formulam indicatam erutam ex iis æquationibus differentialibus methodi primæ.

38. In eodem Opusculo III habetur a num. 19 ratio inveniendi facilius errorem secundum, & tertium, ubi jam innotescat pri-

mus; quæ respondet primæ methodo solvendi hoc problema. Id ipsum admodum facile præstari potest ope hujus secundæ methodi solventis idem problema independenter a formulis differentialibus: utrobique autem tum sufficiunt binæ observationes tantummodo. Sint eæ S, & S'': habito primo errore dy, habebuntur valores $OI = dy - esin.c$, & $OI'' = dy - e''sin.c''$, cum angulo $IOI'' = c - c''$. Quare invenietur, ut prius, angulus $II''O = IEO$, & $OE = \frac{OI}{sin.IEO}$: tum angulus $AOE = AOM + IOE$, per cujus cosinum, & sinum multiplicando OE obtinentur quæsiti errores OD, ED. Porro ea methodus erit admodum utilis pro usu hujusmodi instrumenti portatilis. Nam in translatione instrumenti ipsius positio axis telescopii respectu axis conversionis nequaquam mutatur, adeoque eo errore semel invento, & vel correcto, vel etiam adnotato tantummodo, ut adhiberi possit ad inveniendos valores OI, OI'', habebitur per solas observationes duarum fixarum quidquid requiritur ad inveniendum errorem pro alio quovis puncto Meridiani, ut pro eo, ad quod appellit luna.

39. Agendo de hoc ipso argumento in alio quodam Opusculo incidi adhuc in aliam methodum solvendi idem problema, quam hic adjiciam: adhibebo autem ad hunc usum figuram 3 Tabulæ 2, quam adhibui in Opusculo III numero 20 ad inveniendos errores secundum, ac tertium, invento primo. In ea FNG est circulus maximus habens polum in E, qui polus est etiam communis circulo transeunti per puncta S, quorum duo habentur in eadem figura S, & S''; facile autem potest mente suppleri tertium intermedium S', quod quidem non est necessarium, nec vero ipsum tertium S'' ad comprehendendam vim methodi. Is circulus occurrit horizonti in F, & G, Meridiano in N, cuivis arcui ES in s: erit autem hic etiam $SM = esin.c$, quem valorem scriptionis brevioris causâ hic appellabimus e juxta adnot. ad num. 33, & Ss excessus quadrantis Es supra arcum ES, nimirum error axium primus, quem hic appellabimus x pro dz, vel pro dx, tum b, & z arcus ZM, ZN positivos, si jaceant versus austrum, & y angulum ANF positivum, si jaceat versus orientem.

40. Pa-

40. Patet, fore $Ms = e - x$, & $NM = b - z$, qui arcus assumi poterit pro arcu Ns hypothenusâ trianguli rectanguli NMs, adeoque ex theorematis Trigonometriæ sphæricæ erit $sin. sM = sin. Ns \times sin. MNs$, ubi posito arcu exiguo sM pro suo sinu, & angulo MNs pro suo, fiet $e - x = y sin.(b - z)$, unde orietur æquatio $x + y sin.(b - z) - e = 0$, & pro quavis fixa æquatio similis, posito e', & b', ac e'', & b'' pro e, & b.

41. Subjiciam hîc tres æquationes inde ortas, quæ continent tres valores incognitos x, y, z, cum sex cognitis b, b', b'', e, e', e''. Iis æquationibus rite evolutis innotescent eæ ipsæ incognitæ, & ope ipsarum singuli errores axium quæsiti, ac error momenti appulsus pro quovis alio puncto Meridiani. En æquationes ipsas:

$$\text{I. } x + y sin.(b - z) = e$$
$$\text{II. } x + y sin.(b' - z) = e'$$
$$\text{III. } x + y sin.(b'' - z) = e''$$

42. Pro evolutione earum æquationum in primis subtrahendo secundam, & tertiam a prima, orientur aliæ duæ: IV. $y sin.(b - z) - y sin.(b' - z) = e - e'$: V. $y sin.(b - z) - y sin.(b'' - z) = e - e''$. Ex iis æquationibus oritur proportio $sin.(b - z) - sin.(b' - z) : sin.(b - z) - sin.(b'' - z) :: e - e' : e - e''$. Ex ipsa pluribus methodis potest erui valor z, quo invento habetur y in æquatione IV, tum x in I.

43. Proponemus tres methodos pro eruendo valore z. Prima adhibet constructionem geometricam simplicem, & elegantem. In circulo quovis (fig. 4) capiantur arcus ZS, ZS', ZS'' similes iis arcubus datis in fig. 2 Tabulæ II: ducatur chorda SS', producaturque in M, captâ $SM = \frac{e - e''}{e - e'} \times SS'$, quæ debet assumi ab S versus S', vel versus partem oppositam, prout valor $\frac{e - e''}{e - e'}$ fuerit positivus, vel negativus: ducatur $S''M$, tum radius CN ipsi parallellus directione eâdem. Is determinabit arcum $ZN = z$. Si enim ducantur $SH, S'H', S''H''$ perpendicula in NC, & MS''

pro-

producta occurrat rectæ SH in L', ac eidem occurrat in L recta S'L ipsi parallela; patet fore SH, S'H', S''H'' sinus arcuum NS, NS', NS'', qui facto NZ $= z$, erunt $b - z$, $b' - z$, $b'' - z$, adeoque SL $= sin.(b - z) - sin.(b' - z)$, & SL' $= sin.(b - z) - sin.(b'' - z)$. Erit autem SL : SL' :: SS' : SM :: $e - e'$: $e - e''$, ut oportebat.

44. Secunda methodus utetur calculo trigonometrico. Ductâ SS'' habebuntur in triangulo SS''M bina latera SS'', SM cum angulo ad S. Latus SS'' est chorda distantiæ punctorum Meridiani, ad quæ dirigitur telescopium in prima, & tertia observatione, quæ chorda est dupla sinus dimidiæ ejus distantiæ. Eodem pacto invenitur chorda SS', quæ est dupla sinus dimidiæ distantiæ punctorum observatorum in prima, & secunda observatione. Per ipsam invenietur SM, quæ ex num. præcedenti est $= \frac{e - e''}{e - e'} \times$ SS': anguli autem S'SM mensura est dimidius arcus S'S'', sive dimidia distantia tertii puncti observati a secundo. Resoluto eo triangulo, habebitur angulus SS''M, adeoque ejus supplementum SS''L'. Si concipiatur MS'' producta, donec iterum occurrat peripheriæ circuli in P: arcus PS erit duplus mensuræ ejus anguli, cum is ipsi insistat ad peripheriam: quamobrem is etiam dabitur, adeoque & totus PS'' $=$ PS $+$ SS'', & S''N, qui debet esse complementum dimidii PS'': nam completâ diametro NCR, erit PS'' supplementum PR $+$ S''N, qui arcus debent esse æquales ob PS'', RN parallelas, adeoque singuli ii arcus erunt residui arcus $\frac{1}{2}$PS ad quadrantem. Dempto eo complemento arcus $\frac{1}{2}$PS'' ab arcu cognito ZS'' relinquetur quæsitus ZN.

45. Tertia methodus reducet proportionem numeri 30 evolvendo $sin.(b - z) = sin.b cos.z - cos.b sin.z$, atque id in omnibus tribus $b - z$, $b' - z$, $b'' - z$. Habebitur $sin.(b - z) - sin.(b' - z) = (sin.b - sin.b')cos.z - (cos.b - cos.b')sin.z$, & similis valor habebitur, posito b'' pro b'. Hinc ea proportio reducetur ad sequentem: $(sin.b - sin.b')cos.z - (cos.b - cos.b')sin.z : (sin.b - sin.b'')cos.z - (cos.b - cos.b'')sin.z :: e - e' : e - e''$. Dividantur priores bini termini per $cos.z$, & ponatur

tan.z

$tan.z$ pro $\frac{sin.z}{cos.z}$; erit $(sin.b - sin.b') - (cos.b - cos.b')\, tan.z : (sin.b - sin.b'') - (cos.b - cos.b'')\, tan.z :: e - e' : e - e''$.

Inde multiplicando terminos extremos, & medios, ac liberando $tan.z$, erit demum

$$tan.z = \frac{(sin.b - sin.b')(e - e'') - (sin.b - sin.b'')(e - e')}{(cos.b - cos.b')(e - e'') - (cos.b - cos.b'')(e - e')}.$$

46. Solet apponi, ut diximus, index affixus axi conversionis, qui in semicirculo immobili indicet distantiam a zenith punctorum Meridiani, ad quæ dirigitur axis telescopii. Hinc habebitur proxime vera distantia a zenith puncti, ad quod is axis dirigitur in tribus observationibus, quos valores diximus b, b', b''. Assumemus autem b pro puncto maxime australi, b'' pro maxime boreali, quamvis possent assumi ordine quovis: facile invenientur etiam e, e', e'', qui sunt (num. 39) numeri n secundorum temporis pertinentium ad singulos errores ducti in 15, & in sinum distantiæ a polo punctorum observatorum. Ea habetur pro singulis addendo distantiæ poli a zenith, quæ est complementum latitudinis loci, distantiam a zenith puncti Meridiani, ad quod telescopium dirigitur, si id jacet ad austrum, demendo, si jacet ad Boream: in hoc secundo casu si ea distantia a zenith fuerit major, quam distantia ipsius zenith a polo; residuum ex subtractione erit negativum, & existente numero n positivo in appulsu ad axem telescopii priore appulsu ad Meridianum, valor e adhibendus in hisce formulis erit negativus, juxta adnotationem ad numerum 33. Is enim est $= 15 n\, sin.c$, & existente numero n positivo, ubi appulsus ad instrumentum præcedit appulsum ad Meridianum, ac arcu c negativo, in eo casu evadit negativus valor $15 n\, sin.c$. Id accidit, punctis Meridiani positis ex parte boreali infra polum, in quibus directio motus diurni est contraria directioni ejusdem pertinentis ad omnia reliqua puncta Meridiani extantia supra polum.

47. Ut unico intuitu pateat, quid agendum sit, proponemus hic primo loco denominationes valorum, qui adhibendi erunt, tum formulas, & regulas pro omnibus tribus methodis propositis.

Nu-

Numeri secundorum temporis inventi in tribus erroribus, positivi, si appulsus ad axem telescopii subsequatur appulsum ad Meridianum . . . . n, n', n''

Distantiæ a zenith punctorum Meridiani positivæ versus plagam meridionalem incipiendo a maxima . . . b, b', b''

Distantiæ earundem a polo positivæ versus eandem plagam . . . . c, c', c''

Valores $15 n \sin. c$ . . . . e, e', e''

Arcus ZN positivus versus austrum . . . . z

Angulus ANF positivus versus orientem . . . . y

48. *Prima methodus pro inveniendo z.*

Capiantur arcus circuli (fig. 4) $ZS, ZS', ZS'' = b, b', b''$ ad lævam, vel dexteram, prout fuerint positivi, vel negativi.

Aptatâ in circino proportionis SS' ad numerum $e - e'$, capiatur linea respondens numero $e - e''$, & fiat ipsi æqualis SM in SS' producta versus S'', vel S, prout $e - e', e - e''$ fuerint ejusdem signi, vel signorum oppositorum.

Ducatur S''M, & ipsi parallelus radius CN in directione eâdem.

Valor z erit arcus ZN positivus, vel negativus; prout jacuerit ad sinistram, vel ad dexteram.

49. *Secunda methodus pro inveniendo z.*

Inveniantur valores chordarum SS', SS'' dupli sinus dimidiorum arcuum $b - b', b - b''$.

Inveniatur $SM = \frac{e - e''}{e - e'} \times SS'$.

Inveniatur angulus MS''S in triangulo, cujus latera SS'', SM inventa, & mensura anguli intercepti ad $S = \frac{1}{2} S'S'' = \frac{1}{2}(b' - b'')$.

SP mensura dupli ejus supplementi addatur arcui $SS'' = b - b''$, & capiatur complementum ejus dimidii, quod erit S''N.

Valor $ZS'' - S''N = b'' - S''N$, erit valor z quæsitus.

50. In prima harum solutionum Geometria ipsa exhibebit in casibus omnibus directiones rectarum, & per ipsas positionem puncti N respectu Z. In secunda haberi poterunt mutationes angulorum in eorum supplementa, & summarum in differentias, ac viceversa, quæ determinandæ sunt per leges generales transforma-

mationis locorum geometricorum. Infinitum esset persequi singillatim casus omnes diversos. Satius est delineare cum aliqua accuratione schema conforme solutioni primæ, quod dirigat calculum numericum. Trigonometria adhiberi poterit ad majorem accurationem: quanquam ipsa constructio abunde hic erit, ubi ipse valor ZN determinatur per quantitates e, e', e'' nimis exiguas, ut idcirco non possit obvenire accuratus, quæ tamen accuratio nec est necessaria, cum debeat adhiberi ad determinandos valores, x, y, admodum exiguos.

51. *Tertia methodus pro inveniendo z.*

Hæc methodus consistit in ordine calculi numerici pro evolutione formulæ numeri 45 exhibentis valorem $tan.z$. Inventis valoribus e, e', e'', obtinebuntur per subtractionem coefficientes $e - e'$, & $e - e''$: sinus, & cosinus arcuum b, b', b'' assumentur e tabulis naturales, non logarithmici: inde obtinebuntur per subtractionem coefficientes $sin.b - sin.b'$, $sin.b - sin.b''$, $cos.b - cos.b'$, $cos.b - cos.b''$: coefficientibus $sin.b - sin.b'$, & $cos.b - cos.b'$ adscribendi sunt ipsorum logarithmi: logarithmus idem coefficientis $e - e'$ additus utrique seorsum exhibebit logarithmum primi termini tam numeratoris, quam denominatoris, quorum numeri invenientur in tabulis. Eodem modo invenientur logarithmi primorum coefficientium secundi termini tam numeratoris, quam denominatoris, quibus addetur logarithmus coefficientis secundi $e - e''$, & habebuntur logarithmi utriusque secundi termini cum eorum numeris, ex quibus habebitur in numeris tam numerator, quam denominator, & per horum logarithmos logarithmus fractionis totius, qui cum sit logarithmus tangentis arcus z, invenietur arcus ipse. Sinus, & cosinus assumi poterunt ad radium 10000, ad evitandam necessitatem partium proportionalium in assumendis logarithmis coefficientium: obveniet eo pacto valor z non quidem accuratus, sed tamen satis proximus pro inveniendis cum sufficienti accuratione exiguis erroribus, pro quorum determinatione is arcus est ultimo adhibendus.

52. Invento arcu z habebuntur in æquatione IV numeri 42 arcus $b - z$, $b' - z$, adeoque & eorum sinus, quos itidem satis est

assumere ad radium 10000. Valor $e - e'$ divisus per horum differentiam exhibebit valorem anguli ANF $= y$: nam ex ea æquatione eruitur valor $y = \frac{e-e'}{sin.(b-z)-sin.(b'-z)}$: satius erit dividere numeratorem per denominatorem immediate sine logarithmis, cum satis esse debeant in angulo ita exiguo notæ duæ, vel ad summum tres. Habito autem z, & y, habetur per quamvis e tribus æquationibus numeri 41 valor x, ut per primam, e qua eruitur $x = e - y\,sin.(b-z)$.

53. In pluribus casibus formula pro valore z potest reddi multo simplicior. Si altera ex observationibus extremis fiat in horizonte; $sin.b$, vel $sin.b''$ erit $= 1$, & $cos.b$, vel $cos.b'' = 0$. Si tertia, vel secunda fiat in ipso zenith; erit $sin.b''$, vel $sin.b' = 0$, $cos.b''$, vel $cos.b' = 1$. Termini habentes pro factore aliquam quantitatem evanescentem in iis casibus evanescent.

54. Porro potest observatio tertia institui in horizonte, si nimirum habeatur fixa habens distantiam a polo æqualem altitudini poli, & satis clara, ut trans vapores horizontis videri possit in horizonte ipso, in quo appelleret ad Meridianum infra polum; quia posset momentum transitus per Meridianum determinari per observationem altitudinum correspondentium ante, & post eam maximam depressionem: id non posset fieri ex parte australi pro primo valore b; quia fixa appellens ad Meridianum ex ea parte in horizonte nunquam habet altitudinem, quæ possit observari.

55. Facile esset persequi casus singulos, & evolvere formulam pro iis; sed res abiret in longum cum exigua utilitate: satis est in singulis casibus expungere eum terminum, qui fit $= 0$. Hinc, iis omissis, progrediemur ad eruendam hac methodo determinationem singulorum tribus erroribus pertinentibus ad positionem axium dependenter a tribus valoribus x, y, z inventis ope illarum trium æquationum numeri 41, in quibus supponuntur cogniti tres errores e, e', e'' instrumenti indicantis appulsum ad Meridianum in tribus ejus punctis distantibus a polo P per tres arcus cognitos c, c', c''.

56. Error deviationis axis telescopii a positione perpendiculari respe-

respectu axis conversionis, qui est error axium primus, est (numer. 39) ipse valor x inventus. Reliqui bini facile invenientur per valores y, & z in fig. 3 Tab. II, ex qua erutæ sunt illæ tres æquationes numeri 41. Ibi OEH est arcus circuli maximi habentis polum in N occurrens arcubus NG, NB in H, & I. Is debet transire per O, & per E, cum utrumque ex iis punctis distet a puncto N per quadrantem, punctum quidem O, quia id est polus Meridiani transeuntis per N, punctum vero E, quia id est polus circuli maximi FNG. Hinc arcus NI est quadrans æqualis quadranti ZB, adeoque dempto intermedio ZI remanet arcus $NZ = z$ æqualis arcui IB, qui metitur angulum EOD, quamobrem is angulus est jam cognitus. Angulus autem $HNI = MNs = y$, habet pro mensura arcum HI, qui debet esse æqualis arcui OE, cum OI, & EH sint quadrantes ob punctum O polum Meridiani, & E polum circuli FNG. Hinc arcus OE est $= y$, & angulus $EOD = z$, adeoque secundus error $OD = y\cos.z$, & tertius $ED = y\sin.z$. Quare existente primo errore $= x$, habentur omnes tres errores quæsiti per tres valores x, y, z erutos ex illis tribus æquationibus numeri 41.

57. Patet, correcto primo errore x pertinente ad axem telescopii, vel jam semel invento, pro instrumento portatili, cujus translatio non mutat positionem mutuam axis ejusdem respectu axis conversionis, ut monuimus numero 38, inveniri hic etiam, & quidem multo facilius reliquos duos valores y, & z per solos duos errores e, & e' ope duarum tantummodo priorum æquationum ejus numeri. Eæ evadent $y\sin.(b - z) = e - x$, & $y\sin.(b' - z) = e' - x$, ubi si valores $e - x$, & $e' - x$ jam cogniti dicantur m, & m', erit $\sin.(b - z) : \sin.(b' - z) :: m : m'$, quod reddet multo simpliciores omnes tres methodos adhibitas pro eruendo valore z ex illa proportione complicatiore.

58. Pro prima methodo adhibente constructionem fiet (fig. 4) $m - m' : m :: SS' : SM'$, & ducetur recta M'C, quæ determinabit punctum N: erit enim $SH = \sin.NS = \sin.(b - z) : S'H' = \sin.NS' = \sin.(b' - z) :: SM' : S'M' :: m : m'$, ut oportebat. Pro methodo trigonometrica si concipiatur radius CA,

 qui

qui secet bifariam arcum SS'; idem secabit bifariam etiam chordam SS' in B, & innotescet tam $BM' = SM' - \frac{1}{2}SS'$, quam $CB = cos.\frac{1}{2}SAS' = cos.\frac{1}{2}(b - b')$, adeoque invenietur angulus BCM' per suam tangentem $\frac{BC}{BM'}$, cujus mensura cum sit arcus NA, & habeatur $AS = \frac{1}{2}SAS' = \frac{1}{2}(b - b')$, innotescet $ZN = ZS - NA - AS = z$: tum etiam y, cujus valor erit $\frac{e - x}{sin.(b - z)}$ e prima æquatione numeri præcedentis. Pro tertia methodo algebraica habebitur $m'sin.(b - z) = m\,sin.(b' - z)$, nimirum $m'sin.b\,cos.z - m'cos.b\,sin.z = m\,sin.b'\,cos.z - m\,cos.b'\,sin.z$, sive $m'sin.b\,cos.z - m\,sin.b'\,cos.z = m'cos.b\,sin.z - m\,cos.b'\,sin.z$, ac demum $tan.z = \frac{sin.z}{cos.z} = \frac{m'sin.b - m\,sin.b'}{m'cos.b - m\,cos.b'}$.

59. Ope valorum x, y, z, invenitur error transitus per Meridianum male indicati ab instrumento pro quovis alio puncto Meridiani, cujus sit data distantia b a zenith, quæ debet considerari positiva, vel negativa, prout id punctum jacebit inter zenith, & cardinem australem A, vel inter ipsum, & cardinem borealem B. Erit enim (num. 41) valor $e = x + y\,sin.(b - z)$. Is erit $= 15n\,sin.c$, existente c distantia puncti Meridiani, ad quod astrum appellit, a polo, & n numero secundorum temporis, qui debet addi momento appulsus ad instrumentum, ut habeatur momentum appulsus ad Meridianum, vel inde auferri, prout valor n, qui erit $= \frac{e}{15sin.c}$, fuerit positivus, vel negativus. Porro signa valorum x, y, z pendebunt a signis trium valorum b, b', b'', & trium e, e', e'' adhibitorum in illis tribus æquationibus ejusdem numeri 41, in quibus quivis valor b erit positivus, vel negativus, prout punctum appulsus jacuerit ad austrum, vel ad boream respectu zenith, & valores e pendebunt a valore $15n\,sin.c$, ubi n erit valor positivus, vel negativus, prout appulsus ad instrumentum fuerit anterior, vel posterior respectu appulsus ad Meridianum, & $sin.c$ valor positivus, vel negativus, prout in nostro

stro hemispherio punctum appulsus jacuerit inter polum , & cardinem australem , vel inter ipsum , & borealem .

60. Ea signa indicabunt plagas , in quas tendent errores axium . Angulus , quem continet directio axis telescopii tendens ab ejus intersectione cum axe conversionis tendente ab eadem intersectione versus orientem , erit acutus , vel obtusus , prout valor x fuerit positivus , vel negativus : axis conversionis elevabitur supra horizontem ex parte orientali , vel deprimetur infra , prout signa valorum y , & z fuerint conformia , vel difformia , quia valor $DE = y \sin . z$ erit positivus in primo casu , & negativus in secundo ; idem autem deflectet versus boream , vel versus austrum , prout solus valor y erit positivus , vel negativus ; quia signum valoris $OD = y \cos . z$ pendet a solo signo valoris y , cum sit positivus cosinus tam arcus positivi , quam negativi .

61. Licet possit adhiberi hoc instrumentum etiam erroneum ad habendas determinationes accuratas adhibendo formulam pro novo valore e propositam numeris 30 , 37 , 59 , ex quo eruitur n ; adhuc tamen præstat corrigere errores axium inventos , pro instrumento fixo in quopiam observatorio omnes , & pro portatili saltem primum , qui pertinet ad constructionem instrumenti ; nam reliqui duo , qui pertinent ad collocationem ipsius , pro quavis nova collocatione renovantur . Exposuimus numero 17 difficultatem correctionis per objectum terrestre remotum , quæ oritur a difficultate edendi signa , & per proximum , quæ oritur a confusione imaginis objecti parum remoti , & filorum micrometri . Exponam hic uberius hanc secundam difficultatis originem , & methodum eam evitandi , quæ mihi ita successit , ut telescopio pedum trium obtinuerim etiam in distantia pedum tantummodo 20 visionem objecti , & filorum micrometri , sine remotione ipsorum ab objectivo satis distinctam pro hoc usu : tum adjiciam methodum , quæ adhiberi potest ad obtinendam correctionem errorum , qui per methodos traditas fuerint inventi .

62. Manente tota apertura objectivi , & directo telescopio in objectum nimis proximum , debet evadere confusa visio vel objecti , vel filorum , si ocularis , & fila remaneant in ea positione ,

ne ,

ne, in qua adhiberi debent pro objectis remotis. Ad hoc, ut fila appareant distincta, & sine parallaxi, debent collocari in foco objectivi, ubi imago objecti est maxime distincta, ubi nimirum radii digressi a singulis objecti punctis colliguntur ad sensum in totidem punctis, sive ob errorem diversæ refrangibilitatis, & figuræ sphæricæ, qui semper remanent utcumque imminuti etiam in telescopiis acromaticis, colliguntur ii radii in circellis perquam exiguis: lens autem ocularis debet poni in ea distantia, in qua & imago objecti, & fila cum ea congruentia appareant simul maxime distincta, quæ distantia est circiter illa foci lentis ocularis ipsius, paullo major pro presbyta, minor pro myope.

63. At si objectum sit nimis proximum; focus, in quo uniuntur radii digressi a singulis ejus punctis, recedit magis. Si objectivum habeat distantiam focalem pedum trium pro objecto sito in distantia pedum 20, focus recedit adhuc plus quam per dimidium pedem. Hinc in loco, in quo fila aptata sunt pro objectis remotis, ii radii occupant circellum, cujus diameter est major parte septima diametri totius aperturæ objectivi; ac proinde radii provenientes ab uno puncto objecti miscentur cum radiis provenientibus a punctis circumpositis, unde oritur confusio. At si agatur de linea nigra in campo albo; poterit obtineri ejus visio distincta, quantum est satis ad rem præsentem, etiam si ea sit posita in ea exigua distantia. Obtegatur apertura objectivi chartâ nigrâ crassiore, relinquendo tamen in medio intervallum oblongum per totam diametrum ipsius, & arctam: radii digressi ab eodem quovis puncto objecti non diffundentur in circulum, sed in spatiolum oblongum, & arctum, quod non habebit latitudinem, nisi partis septimæ intervalli relicti; licet retineat longitudinem tanto majorem, quanto major est longitudo ejus intervalli latitudine. Campus ille albus apparebit minus lucidus ob imminutam quantitatem radiorum, sed adhuc ita apparebit, ut si illud intervallum liberum in apertura objectivi relicta ponatur in directione lineæ nigræ, & ea linea sit satis crassa, appareat etiam ipsa linea nigra in eodem campo albo: radii digressi a punctis campi albi proximi lineæ nigræ protendentur in directione e-

jus-

jusdem, & habebunt ita exiguam extensionem in latus, ut relinquant locum nigredini in situ, qui respondet dimidiæ crassitudini ejusdem lineæ. Facile est, ductâ lineâ certæ crassitudinis in charta alba, & paratis pluribus operculis aperturæ objectivi cum intervallis liberis plurium crassitudinum, seligere illud, quod relinquat pro certa quadam distantia objecti satis sensibilem nigram lineam.

64. Cavendum tamen, ut apertura relicta habeat accurate in medio centrum objectivi. Si objectivum est, ut appellant, bene centratum; id punctum remanet in centro aperturæ: secus remanet ad latus, quo casu cavendum, ne educatur e sua theca ad abstergendas sordes, quas forte contraxerit, quin prius notentur bina puncta, alterum in margine ipsius objectivi, alterum ipsi contiguum in theca, ut reponatur in positione accurate eadem, quod ni fiat, mutatur directio axis telescopii, & verificatio, ac rectificatio nova requiritur. Habentur plures regulæ pro inveniendo eo objectivi centro, quæ investigatio pertinet ad Opticam: de ipsa egimus Tomo II Opusc. I Cap. I adnot. ad num. 27. Si illa apertura relicta arcta, & oblonga non habeat id centrum in medio; linea fiduciæ respondens eidem non erit eadem accurate, ac linea fiduciæ respondens aperturæ toti liberæ in hoc casu, in quo focus abit ad distantiam multo majorem distantiâ filorum. Cavendum igitur, ut id centrum remaneat in medio crassitudinis relictæ. Telescopio ita præparato, poterit procedi sequenti methodo ad corrigendos tres errores axium jam inventos.

65. Paretur tabella plana verticalis apponenda in distantia, quæ possit determinari, in eo situ respectu instrumenti, quem situm nominabimus pro correctione singulorum ex iis tribus erroribus inventis, ac paretur charta alba cum linea recta nigra crassiore, quæ charta applicari possit ei tabellæ, eo modo, quem pro singulis indicabimus, & promoveri antrorsum, retrorsum.

66. Pro errore axium primo, qui est error directionis axis telescopii, & deviationis axis conversionis a cardinibus, orientali & occidentali, collocetur ea tabella contra telescopium ex parte boreali, vel australi, & applicetur ei charta, ita, ut ejus linea

nigra

nigra sit verticalis, ac jaceat intra campum telescopii, cujus objectivum habeat aperturam obtectam juxta num. 63, & 64. Captâ distantiâ tabellæ ab objectivo ope partium scalæ cujuspiam, fiat ut radius ad tangentem erroris x, ita distantia inventa ad numerum earundem partium, qui dicatur m: is respondebit errori x, quem in ea distantia subtendet, ut demonstrabimus. Adjutor promoveat chartam in latus, donec linea illa aspecta per telescopium congruat cum filo verticali: tum illam promoveat adhuc per numerum particularum inventum m. Si charta est apposita versus austrum, ea debet promoveri in occidentem, vel in orientem, prout valor x inventus fuerit positivus, vel negativus: contraria debet esse directio ejus motus, si charta est collocata versus boream: demum immotâ & chartâ, & instrumento, promoveatur filum verticale, donec iterum congruat cum recta promota. Is error ita erit correctus.

67. Si fila fuerint aptata laminæ perforatæ, quæ intra thecam quadratam promoveri possit in latus, ante quam firmiter figatur ope cochlearum in situ immobili; tum ea correctio, ut monuimus etiam numero 15, facile fiet inducto motu laterali, dum objectum transpicitur: secus utendum erit attentatione, extractâ per vices, & repositâ lente oculari, donec filum congruat cum linea objecti.

68. Pro deviatione axis conversionis a cardine orientali, qui est error axium secundus, usui erit eadem tabella: adductâ illa chartâ ad positionem, in qua filum verticale congruat cum ipsius linea verticali, fiat, ut radius ad tangentem ejus erroris indicati ab arcu OD, & expressi num. 56 per $y\cos.z$, ita distantia tabellæ a medio axe conversionis ad numerum particularum m', qui respondebit ei errori, ut mox demonstrabimus: promoveatur ea charta in latus per intervallum $= m'$. Si ea fuerit collocata ad austrum respectu instrumenti; is motus debebit fieri versus occidentem vel orientem, prout is error inventus fuerit per regulas numeri 59 versus austrum, vel versus boream: si charta fuerit collocata ad boream; debebit fieri motus huic contrarius: promoveatur fulcrum mobile motu horizontali, donec filum verticale

con-

congruat cum positione ejus lineæ ita promotæ : eo motu adhibito is error erit correctus.

69. Pro corrigenda inclinatione axis conversionis ad horizontem licebit progredi hoc alio pacto parum absimili ; si in directione ipsius in aliqua distantia, quæ possit determinari per actualem mensuram, collocetur eadem tabella cum charta. Charta ipsa ita collocanda erit, ut linea recta, quæ hìc poterit esse tenuis, remaneat horizontalis : parandum autem erit aliud telescopium, cujus tubus produci possit, quantum necesse est, ut ea linea appareat distincta in ea distantia : in foco objectivi respondente radiis inde divergentibus, qui erit prope focum citeriorem lentis ocularis, apponendum erit filum, quod appareat distinctum unà cum illa linea horizontali nigra : id telescopium adducatur ad ipsum axem conversionis, ut acquirat positionem ad sensum parallelam ipsi, filum autem illud positum in foco objectivi sit ad sensum horizontale, & perpendiculare directioni ejusdem axis, ac in ea positione id ipsum telescopium adnectatur axi eidem : tum charta elevetur, vel deprimatur, donec filum horizontale congruat cum ejus linea nigra : fiat ut radius ad tangentem inclinationis indicatæ ab arcu DE, & expressæ eodem num. *56* per *ysin.z*, ita distantia chartæ a fulcro immoto ad intervallum, quod respondebit huic tertio errori : deprimatur, vel elevetur charta per id intervallum, prout axis fuerit ex ea parte elevatus juxta num. *59* supra horizontem, vel depressus : si hìc error fuerit positivus, & charta fuerit apposita ex parte orientali ; deprimenda erit charta per intervallum inventum : adducatur ope fulcri mobilis axis, & telescopium ad positionem, in qua filum horizontale congruat iterum cum nova positione chartæ, & is etiam error erit correctus.

70. In correctione primi erroris determinatus est motus chartæ per distantiam a cèntro objectivi, quia per ipsum (num. 8) transit radius ad sensum irrefractus, qui a puncto objecti viso in intersectione filorum abit ad intersectionem ipsam, & eum ibi appellavimus axem telescopii. Hinc motu fili verticalis in latus mutatur positio ejus axis per angulum, quem continent intra tele-

scopium binæ rectæ ductæ a centro objectivi immoti ad binas positiones fili ejusdem, ac extra telescopium directiones earundem productæ, quæ se intersecant in eodem centro, & continent ibi binos angulos ad verticem oppositos æquales : distantia ab intersectione potest assumi pro radio, & intervallum inter crura pro tangente ejusdem anguli.

71. Pro demonstranda methodo proposita corrigendi secundum errorem sit (fig. 5) positio præcedens axis conversionis CC', cum axe telescopii GF collocato in directione proxime horizontali, quæ ipsi C'C occurrat in H : secunda positio sit C'c, cum axe telescopii *ghf* : jaceant autem omnes eæ rectæ in eodem plano saltem proxime horizontali. Binæ directiones GF, *gf*, occurrent sibi invicem in quodam puncto I, quod jacebit intra exiguum angulum CC'c, & patet, angulum FI*f*, qui est mutatio prioris directionis, fore æqualem angulo CC'c, quo mutatur directio C'C abiens in C'c, & ferens secum sibi affixam priorem GF abeuntem in *gf*. Hinc si IF, I*f* producantur usque ad tabellam in B*b*; mensura anguli CC'c erit eadem, ac anguli BI*b*, in quo IB quamproxime æqualis HB potest assumi pro radio, & B*b* pro tangente.

72. Pro tertio errore sit (fig. 6) CC' prior positio axis conversionis elevata non nihil supra horizontem, HB axis telescopii ipsi adnexi cum recta C'H indicante eorum axium junctionem. Si axis prior deprimatur in plano verticali per angulum CC'c; posterior ipsi semper adnexus, & delatus ad directionem *hb* occurrentem priori HB in I, deprimetur utique per angulum BI*b* ipsi æqualem, puncto I cadente inter H, & *h*, & pro ejus anguli tangente ad radium I*b* ad sensum æqualem distantiæ fulcri C' a charta assumi poterit B*b*, sive depressio lineæ horizontalis existentis in ipsa charta facta per hujus motum. Cum ejus depressionis assumpta sit ea magnitudo, quæ reddat angulum BI*b* æqualem errori CC'c invento, is error corrigetur per eum motum.

73. Directiones motuum lineæ, cum qua filum verticale debet congruere, factæ sunt in plagas oppositas directioni errorum, ad eos nimirum corrigendos. In errore axis telescopii valor *x* est positi-

sitivus, vel negativus (num. 47), prout axis telescopii ex parte objectivi deflectit in orientem, vel occidentem: hinc motus chartæ factus est in primo casu in occidentem; in secundo in orientem. Quod pertinet ad secundum errorem, qui est error horizontalis axis conversionis, ipso existente positivo, ejus productio versus orientem deflectebat a cardine orientali versus boream, adeoque debebat retrahi versus austrum: id obtinetur per motum axis telescopii perpendicularis ei axi, & producti versus austrum, qui motus fiat in occidentem, quod est præscriptum. Pro tertio errore in casu, in quo is supponebatur positivus, axis ex parte orientali erat elevatus supra horizontem: hinc charta apposita ex parte orientali respectu telescopii adjecti depressa est, ut oportebat. In singulis casibus valoris positivi, vel negativi singulorum errorum, & chartæ appositæ versus unam horizontis plagam, vel versus oppositam, patebit etiam primo aspectu, quid fieri debeat, ut corrigatur error, cujus cognita jam sit & magnitudo, & directio.

74. Sæpe accidet, ut locus non permittat ejusmodi correctiones, cum non habeatur accessus ad situm positum in directione axis telescopii, & axis conversionis, in quo collocari possit tabella, & fieri motus ejus chartæ. In eo casu longa attentatione utendum est adhibitis motibus incertis, donec tempora appulsuum ad instrumentum congruant cum appulsibus ad Meridianum determinatis per altitudines correspondentes. Sed nostra hìc proposita determinatio trium errorum axium per tres observatos temporum appulsus, dum determinat magnitudinem, & plagam singulorum, reddit multo magis expeditam attentationem ipsam. Facto semel motu in eam plagam, in quam est factus, per quantitatem tantummodo æstimatam utcumque, possunt repeti observationes temporum, & ex iis iterum deduci errores axium. Apparebit effectus, quem is motus inducit in eos errores temporarios, illos minguendo, unde judicium formari poterit de novo motu præstando.

75. Situs pro collocanda tabella facilius deerit in directione axis conversionis pro corrigenda ejus inclinatione ad horizontem. In directione telescopii habetur semper apertura, per quam transpici possint astra appellentia ad Meridianum, at in directione ful-

fulcrorum, quibus axis idem innititur, plerumque nulla habetur apertura. Tum correctio ejus erroris fieri posset per fixam quampiam proximam zenith. Per altitudines correspondentes potest determinari momentum, quo fixa quæpiam appellit quodam die ad Meridianum, & per motum horologii exactum ad motum solis, vel fixarum potest determinari momentum, quo debet appellere postridie. Correctis jam aliis erroribus, observetur ingressus fixæ ipsius in telescopium, & elevatione, vel depressione fulcri mobilis adducatur intersectio filorum, vel filum, quod debet collocari in plano Meridiani, ad ipsam fixam; tum motu continuo cochleæ præbentis eum motum fiat, ut filum ipsum comitetur id astrum, usque ad momentum cognitum appulsus ad Meridianum: ibi motu abrupto habebitur correctio etiam ejus erroris, ut patet.

76. Si desint vel in instrumento, vel in situ commoda necessaria ad correctiones propositas, vel pigeat iis uti, vel ipsis substituere attentationes longas & molestas; tum per formulas propositas pro inveniendo errore pertinente ad quodvis aliud Meridiani punctum computari potest tabella errorum temporis respondentium pluribus ejus punctis assumptis per intervalla aliquot graduum. Si habeatur ejusmodi tabula; instrumentum habens omnes tres errores positionis axium exhibebit sine nova applicatione numerorum ad formulas appulsum ad Meridianum æque, ac si nulli ejusmodi errores adessent. Satis est, ipsum instrumentum sit ita firmæ constructionis, & collocationis, ut directum ad eadem Meridiani puncta exhibeat semper eosdem errores temporarios. Ii errores inventi, & in tabulam redacti, exhibebunt correctiones adhibendas tempori immediate exhibito ab ipso instrumento ad habendum accuratum tempus appulsus ad Meridianum.

77. Posset hæc tabula sine usu formularum computari assumendo plures fixas, quæ appellant ad puncta Meridiani a se invicem distantia certis intervallis, determinato pro singulis errore per altitudines correspondentes: sic haberetur tabula errorum pro iis punctis. Eæ fixæ non appellent accurate ad puncta Meridiani distantia a se invicem intervallis æqualibus. Verum præterquam quod errores exigui non mutantur ad sensum mutato per unum,

vel

vel duos gradus puncto Meridiani ; facile ex erroribus observatis per intervalla parum inæqualia deducuntur errores pro intervallis æqualibus redigendi in tabulam : satis est adhibere methodum communem tabulis omnibus innixam proportionalitati differentiarum exiguarum.

78. Id quidem ita præstari posset per observationes immediatas, sed labor est admodum longus, & nimis magnus observationum numerus requiritur ad eam rem. Id incommodum evitant formulæ erutæ ex erroribus appulsus indicati ab instrumento pro tribus tantummodo fixis, vel aliquot ternariorum, ad habendam majorem confirmationem, ad quem usum erit admodum utilis tota hæc series perquisitionum, & determinationum hujus Opusculi.



OPU-



OPUSCULUM XII.

De Erroribus lineæ meridianæ ita deprehendendis, ut observationes per eam institutæ corrigi possint (*).

1. ccasionem præbuit huic Opusculo Eminentissimus Cardinalis Luynius, Præsul amplissimus, Astronomiæ non solum amator, & protector, sed etiam, quantum per gravissimas ejus occupationes licet, cultor eximius, plurimis observationibus accuratissimis institutis per se ipsum, quibus etiam in lucem editis Astronomiam identidem locupletavit. Cum plura egregia, quibus utitur, instrumenta mihi ostenderet in eodem conclavi, in quo & meridianam lineam duxit, in quam sæpe inquirit per observationes correspondentes, petiit regulam, qua ex errore invento semel pro uno anni tempore, si quis aliquando occurreret, deduci posset error pro alio quovis, ut computatâ tabellâ errorum ejusmodi pro reliquis omnibus anni temporibus,

(*) Tam hoc argumentum, quam verificatio machinæ parallacticæ habet maximam affinitatem cum verificatione instrumenti transituum, de qua egimus in Opusculo præcedenti; sed bini errores, qui possunt occurrere in linea meridiana, de quibus agitur in hoc Opusculo, sunt prorsus iidem, ac bini e tribus ejus instrumenti, ut patebit in fine ipsius. Idcirco hoc illi immediate subjungimus: addemus ipsi in sequenti aliud, quod habet analogiam non quidem cum illo præcedenti, sed cum hoc, cum inter cætera doceat modum ducendi lineam meridianam per tria quæcumque puncta extrema umbræ notata in plano horizontali. Id quidem non pertinet ad correctionem errorum in instrumentis, sed est analogum argumentis hujus tomi, qui agit de instrumentis astronomicis, docet enim etiam methodum delineandi horologia solaria, quæ sunt itidem quædam instrumenta pertinentia in origine ad Astronomiam, ad quam ultimo reduci potest Gnomonica, ut ejus pars quædam. Post eam veluti digressionem regrediemur ad machinam parallacticam multo magis analogam instrumento transituum, ad quod ipsa reducitur in una ex ejus positionibus. Analogia hujus Opusculi cum præcedenti evolvetur in ejus fine, ut innui, & osten-

bus, ex linea meridiana etiam aliquantulum erronea possit, adhibitâ correctione, haberi hora meridiei æque accurata, ac si meridiana ipsa linea esset accuratissima. Solutio ejus problematis utilitatem habet maximam in Astronomia practica; qua tamen illa ejus meridiana linea non indigebat. Per eos etiam ipsos dies is invenerat consensum summum momenti meridiei indicati ab ea linea cum eruto ex altitudinibus correspondentibus ita, ut ne unius quidem secundi error obvenerit.

2. Inveni regulam admodum expeditam pro casu, in quo pes gnomonis sit accurate definitus, & linea per ipsum accurate traducta, vel si pes ipse inveniri non possit, ut ibi non poterat, foramine, per quod radius solis traducebatur, extante extra fenestram in metallica lamina parieti affixa; deprehendi possit, an linea ipsa jaceat accurate in eodem plano verticali cum centro foraminis ipsius. In ductu meridianæ lineæ admitti potest error non solum in ejus directione, sed etiam in positione, quæ transeat ad latus pedis gnomonis, nimirum ita, ut recta verticalis ducta per centrum foraminis illius, quæ determinat in plano horizontali eum pedem, cadat extra ejusmodi lineam, quo casu planum transiens per eandem rectam, & per ipsum foraminis centrum inclinetur ad horizontem. Idcirco censui, fore operæ pretium, si is etiam casus revocaretur ad trutinam. In eo requiruntur bini erro-

ostendetur, in quo differant figuræ, & denominationes hic adhibitæ cum formulis inde erutis ab iis, quæ ibi babebantur pro exprimendis iisdem valoribus. Discrimen provenit ex eo, quod boc Opusculum est conscriptum independenter ab illo. Multa hic adjecta fuerant, pertinentia ad instrumentum transituum, quod præter eos duos errores communes potest habere alium, quem ibi appellavimus primum: ea hinc translata sunt illuc, & aptata iisdem figuris, & denominationibus: sed ea, quæ pertinent directe ad lineam meridianam, retinui ita, ut erant conscripta, ne irrito labore mutarem omnia: addam in fine comparationem figurarum, & valorum, ut innotescat, quid habeatur commune, quid contineat novi aliquid, quod dum exhibet methodum deprehendendi eos binos errores lineæ meridianæ, continet methodum adhuc diversam ab adhibitis ibidem, per quam in ipso instrumento transituum carente primo e suis tribus erroribus ibidem expositis ipsi peculiari deprehendi possint etiam pro ipso reliqui duo communes, quin & formulam pro uno e valoribus ad id requisitis simpliciorem.

errores determinati binis anni temporibus, ex quibus si linea ipsa sit accurate recta, determinari potest error pro alio quovis anni tempore: facile autem in rectitudinem inquiritur filo tenso per ipsius lineæ extrema puncta. Id patebit in sequenti perquisitione, quæ rem perficiet per duo problemata cum suis corollariis, & scholiis.

3. *Problema* 1. *Invento semel errore lineæ meridianæ ductæ in plano horizontali ita, ut transeat per pedem gnomonis, sed habeat deviationem exiguam a directione debita, invenire errorem pro quovis alio anni tempore.*

4. Si Meridiana, utut erronea, est recta linea horizontalis transiens per pedem gnomonis; planum ductum per ipsam, & per centrum foraminis transmittentis radios occurrit superficiei sphæræ cælestis in circulo maximo transeunte per zenith. Cum enim tota terra respectu ejus superficiei habenda sit pro unico puncto posito in ejus centro, id planum est quædam sectio sphæræ facta per id centrum, quæ idcirco debet esse ejus circulus maximus: debet autem transire per zenith, cum linea ducta per pedem gnomonis, & centrum foraminis, quæ est verticalis, & producta sursum tendit ad ipsum zenith, jaceat in illo plano. Patet utique, centrum imaginis solaris transmissæ per id foramen usque ad pavimentum debere appellere ad eam lineam meridianam erroneam eo momento temporis, quo centrum solis appellit ad eum circulum transeuntem per ipsam, & per ejusdem foraminis centrum.

5. Sit (Tab. VII fig. 7) AZPB Meridianus, in quo Z zenith, P polus, tum AOB semihorizon orientalis, in quo A cardo australis, B borealis, O orientalis: occurrat autem ille circulus transiens itidem per zenith Z horizonti ex parte australi in puncto C posito versus occidentem, & ex parte boreali in puncto D, quod cum sit diametraliter oppositum puncto C, jacebit versus orientem. Sol appellet prius ad Meridianum in quodam puncto S, quam ad eum circulum in s. Intervallum temporis inter eos appulsus reductum ad secunda erit error temporarius ejus meridianæ lineæ, quorum secundorum numerus dicatur n, & is quidem ino-

notescet, si per altitudines correspondentes determinetur momentum appulsus solis ad Meridianum, & notetur per observationem momentum appulsus centri imaginis solaris ad eam lineam, quod erit idem, ac momentum appulsus centri solis ad Meridianum. Dicatur B sinus distantiæ ZS solis ipsius a zenith, D sinus ejus distantiæ a polo, qui erit cosinus declinationis. Porro arcus P*s* erit utique æqualis arcui PS, & ob tantam viciniam punctorum S, *s* poterit etiam arcus ZS accipi pro æquali arcui Z*s*.

6. Factâ conversione temporis in arcum æquatoris, erit angulus SP*s*, sive ZP*s* $= 15n$, qui cum sit exiguus, poterit accipi pro suo sinu. In triangulo PZ*s* erit $sin.Zs = B : sin.Ps = D ::$ $sin.ZPs = 15n : sin.PZs = \frac{15nD}{B}$, & si pro quovis alio anni tempore adhibeantur n', B', D'; idem sinus PZ*s* erit $= \frac{15n'D'}{B'}$. Comparando hosce binos ejus valores eruitur $n' = \frac{nD}{B} \times \frac{B'}{D'}$.

7. Porro habetur pro quovis dato die declinatio solis, quam hic satis est etiam adhibere tantummodo veræ proximam; adeoque habetur ejus cosinus, qui est sinus D, vel D' distantiæ a polo: habetur itidem distantia solis a zenith, quæ est summa, vel differentia ipsius declinationis, & latitudinis loci; prout ea fuerit australis, vel borealis; adeoque habetur etiam sinus B, vel B' ipsius distantiæ a zenith. Quare dato per observationem errore temporario n pro uno quopiam anni tempore, invenietur & valor n' pro alio quovis. Q. E. F.

8. *Corol.* Sinus anguli AZC est idem, ac sinus ejus supplementi PZ*s* inventus $= \frac{15nD}{B}$. Cum ipse angulus AZC sit itidem exiguus; is valor poterit assumi pro arcu ipsum metiente, qui idcirco exhibebit numerum secundorum ejusdem anguli. Porro valores sinuum B, D, B', D' sunt semper positivi in zona nostra temperata, in qua sol tam respectu poli, quam respectu zenith appellit ad Meridianum semper versus austrum: hinc tam novus error n', quam angulus AZC erunt positivi, vel negativi, prout primus error n fuerit positivus, vel negativus. Inde habebitur

hujusmodi theorema : *Si sol semel appulerit ad Meridianam erroneam post meridiem , vel ante ; quovis alio anni tempore appellet itidem post , vel ante , ac in primo casu angulus circuli verticalis , in quo jacet ipsa Meridiana erronea , jacet versus occidentem , in secundo versus orientem* . Id theorema deductum ex ea formula patet etiam immediate e sola inspectione figuræ .

9. *Schol.* 1. Regula pro inveniendo errore respondente cuivis alteri diei erit hujusmodi . *Inveniatur semel pro die observationis distantia solis a polo , & distantia ipsius meridiana a zenith , addendo declinationem australem , vel demendo borealem pro illa a gradibus 90 , pro hac a latitudine loci : capiatur logarithmus sinus prioris , & numeri* n., *ac complementum arithmeticum sinus posterioris : eorum trium valorum fiat summa deinde constanter adhibenda : tum inventis eodem modo distantiis a polo , & a zenith pro quovis alio die , & captis e contrario complemento logarithmico sinus prioris , & complemento sinus posterioris , hi duo valores addantur simul cum illa summa constanti , ac habebitur logarithmus numeri secundorum horariorum pro illo alio die* . Nam illa summa est logarithmus valoris $\frac{nD}{B}$, cui addendo *log.* B' + *complem. log.* D', additur *log.* $\frac{B'}{D'}$.

10. Poterit per eam regulam facile computari tabula errorum aptata singulis gradibus declinationis tam australis , quam borealis . Quoniam autem iisdem diebus anni redeunt declinationes fere eædem , nam irregularitas anni bissextilis inducit inæqualitatem minorem dimidio gradu intra sæculum idem ; potest tabula aptari mensibus , & diebus ; nam error , qui sit solum aliquot secundorum temporis in linea meridiana , quæ supponitur parum abludens a vera , non potest pati mutationem sensibilem , mutatâ declinatione per dimidium , & vero etiam per integrum gradum : posset etiam aptari divisionibus ipsius lineæ meridianæ , quæ iis respondent .

11. *Scholium* 2. Pro computando angulo AZC habebitur hujusmodi regula . *Capiatur logarithmus numeri* 15 , *numeri secundorum*

rum n, *sinus distantiæ solis a polo* D, *&* *complementum logarithmicum sinus distantiæ ipsius Meridianæ* B *pro die observati erroris* n: *fiat summa eorum 4 valorum, quæ erit logarithmus numeri secundorum ejus anguli*.

12. Is angulus erit æqualis illi, quem in plano horizontali continet vera Meridiana, cum erronea in pede gnomonis. Quare si fuerit determinatus is pes, lineâ erroneâ transeunte per ipsum, facile ducetur linea meridiana accurata, ductâ ad eum angulum rectâ a pede gnomonis versus occidentem, vel versus orientem, prout error *n* fuerit positivus, vel negativus: voco autem hîc positivum, cum sol advenit ad eam lineam serius, quam ad Meridianum. In eo casu arcus ZSA respectu ZsC jacet ad orientem, ut figura exhibet, adeoque linea meridiana vera tendens ad partem oppositam ob transitum radii per foramen, abibit ad occidentem lineæ erroneæ, & in casu opposito ad orientem.

13. *Schol.* 3. Si habeatur secunda determinatio erroris facta per observationem pro alio quopiam anni tempore; facile determinabitur, an revera ea linea transeat per pedem gnomonis, quod propositum fuerat numero 2. Satis erit deducere ex primo errore observato errorem pro tempore secundæ observationis ope methodi hîc adhibitæ. Si is obveniat ex eo calculo idem, ac observatus, habebitur is transitus: secus, ea linea habebit eum etiam errorem; & tunc ope eorum binorum errorum invenietur error pro alio quovis anni tempore. Verum ad eam rem seligendi sunt pro iis binis observationibus bini dies, quibus respondeant binæ declinationes solis admodum remotæ a se invicem, sive appulsus ad puncta ejus lineæ admodum remota, ne exiguus observationis error, plus æquo perquisitionem perturbet. Methodum adhibendi binas observationes ad eam rem persequemur in problemate sequenti.

14. *Problema* 2. *Inventis binis erroribus lineæ meridianæ, quæ nec transeat per pedem gnomonis, sed parum ab eo distet, invenire errorem pro quovis alio anni tempore*.

15. Planum transiens per eam lineam meridianam erroneam, & per centrum foraminis continuatum usque ad superficiem sphæræ cælestis determinabit in ipsa circulum maximum, qui tamen non

transibit per zenith, cum illa recta verticalis transiens per centrum foraminis, & pedem gnomonis, quæ tendit ad zenith, jaceat extra id planum.

16. Sit in figura 8 Meridianus itidem AZPB, semicirculus autem, cujus planum transit per lineam meridianam erroneam, & per centrum foraminis transmittentis radios, sit CED, atque is semicirculus occurrat Meridiano in puncto E, quod distabit a zenith Z per quendam arcum ZE. Bini arcus errorum datorum sint Ss, $S's'$, quorum prior sit remotior a polo P: dicantur autem n, n', ut prius, errores temporarii ipsis respondentes, qui errores censeantur positivi, vel negativi, prout centrum imaginis solaris devenerit ad lineam meridianam erroneam post meridiem, vel ante: sinus arcuum PS, PS' semper positivi, qui erunt iidem, ac cosinus declinationum, sint itidem D, D', sed B, B' designent sinus arcuum ES, E'S' adhuc incognitorum ob punctum E nondum determinatum.

17. Primo quidem invenietur ipsum punctum E hoc pacto. Erit, ut num. 8, angulus $EPs = 15n$, quo assumpto pro suo sinu, & Es pro ES, erit $sin.Es = B : sin.PS = D :: sin.EPs = 15n : sin.PEs = \frac{15nD}{B}$, prorsus ut ibi respectu puncti Z, cui hic substituitur E. Eodem pacto sinus anguli PEs', erit $\frac{15n'D'}{B'}$, qui cum sit idem ac prior, erit $\frac{nD}{B} = \frac{n'D'}{B'}$, adeoque B ad B', ut nD ad $n'D'$: sunt autem B, B' sinus arcuum ES, ES', & valores nD, $n'D'$ dati, datis declinationibus, & erroribus observatis: quare erit illorum semidifferentia ad semisummam, nimirum tangens semidifferentiæ eorum arcuum ad tangentem semisummæ, ut $nD - n'D'$ ad $nD + n'D'$: differentia arcuum ES, & ES' est SS', qui arcus est etiam differentia distantiarum a zenith, adeoque si hæ distantiæ dicantur d, d', erit $SS' = d - d'$. Quare tangens semisummæ eorum arcuum erit $\frac{nD + n'D'}{nD - n'D'} \times tan.\frac{1}{2}(d - d')$. Arcus, cujus hæc est tangens, dicatur p, & eorum arcuum major ES erit $p + \frac{1}{2}(d - d')$. Cognito eo arcu, & puncto Meridiani S, habebitur punctum quæ-

situm

situm E, cujus distantia EZ a zenith $= z$ erit $=$ ES $-$ ZS $= p + \frac{1}{2}(d - d') - d = p - \frac{1}{2}(d + d')$.

18. Si jam sit S'' punctum aliud Meridiani quodcumque, pro quo quæratur error n''; is invenietur per quatuor sinus B, D, B'', D'', arcuum ES, PS, ES'', PS'', & errorem n pertinentem ad punctum S eodem modo, quo numero *6* inventus est error n' per valores iis analogos, substituto puncto E jam cognito pro puncto Z. Jam habebatur arcus PS adhibitus etiam ibi, & arcus ES inventus est hic numero superiore: innotescet per ipsam distantiam imaginis solaris a pede gnomonis distantia puncti S'' a zenith $= d''$, cui si addatur complementum altitudinis poli PZ, quod dicatur q, habebitur PS'' $= d'' + q$, & si ei addatur arcus EZ $= z$, habebitur ES'' $= d'' + z$, adeoque habebuntur sinus B, D, B'', D''. Porro eodem modo, quo numero præcedente habebatur sinus anguli PEs $= \frac{15nD}{B}$, habebitur hic sinus anguli PEs'' $= \frac{15n''D''}{B''}$: cumque hi anguli sint idem angulus, vel alter alterius supplementum, si forte punctum E abeat ad austrum, valore z evadente negativo, & cadat inter puncta S, S''; erit $\frac{15n''D''}{B''} = \frac{15nD}{B}$, adeoque $n'' = \frac{nD}{B} \times \frac{B''}{D''}$. Q. E. Inveniendum.

19. Corol. Habebitur hic angulus AEC, ut in problemate primo angulus AZC figuræ 7. Sinus ipsius erit idem, ac sinus anguli PEs, qui numero superiore inventus est $= \frac{15nD}{B}$, & ob ejus exiguitatem is ipse valor exhibebit eum angulum exprimens numerum secundorum ipsius per valores datos n, D, & inventum B.

20. *Scholium.* Valor ejus anguli non habebit eundem usum immediatum pro determinatione lineæ meridianæ veræ per erroneam, quem habuit angulus AZC figuræ 7. Is ibi erat æqualis angulo, quem in ipso pede gnomonis continebant eæ binæ lineæ, quarum utraque transibat per ipsum: hic nec habetur eorum angulorum æqualitas, nec earum linearum concursus fit in pede gnomonis. Adhuc tamen ope ipsius, & distantiæ EZ a zenith inventæ $= z$ ob-

obtinetur per valores simplicissimos, & elegantes tam distantia concursus earundem linearum a pede gnomonis, quam angulus, quem eæ ibidem continent.

21. Pro determinando eo concursu referat in fig. 9 F verticem, N pedem gnomonis, AZBN circulum meridianum sphæræ habentis centrum in F, radium FN: sit autem CED circulus ejus sphæræ determinatus a plano transeunte per verticem gnomonis F, & lineam meridianam erroneam, idem ac in fig. 8: linea meridiana vera sit NH, erronea G*h* occurrens priori in puncto G, quod quæritur, cum angulo HG*h* jacente in plano horizontali, in quo jacent GH, G*h*.

22. In primis punctum G debet jacere in recta EF producta, cum ea sit intersectio plani meridiani AEB, cum plano CED, & in iis planis jaceant rectæ GH, G*h*. Hinc NG distantia intersectionis G a pede gnomonis N, est tangens anguli NFG ad radium FN. Is angulus datur, cum sit æqualis angulo EFZ habenti pro mensura arcum EZ inventum $= z$: patet autem, intersectionem ipsam G debere cadere ultra pedem gnomonis N, vel citra, prout E ceciderit respectu zenith Z ad boream, ut figura exprimit, vel ad austrum.

23. Deinde pro inveniendo angulo, quem continent in puncto invento G Meridiana vera, & falsa, concipiatur punctum S distans per quadrantem ES a puncto E, & radius SF occurrat Meridianæ veræ in H, *s*F erroneæ in *h*; angulus planus SF*s* erit idem, ac sphæricus SE*s*, sive AEC inventus num. 19: ipsi æqualis est HF*h* ad verticem oppositus, qui ad quæsitum HG*h* debet esse, ut HG ad HF: nam H*h* perpendicularis plano Meridiani confunditur ad sensum cum arcu circuli descripti tam radio FH, quam radio GH, & anguli sunt, ut arcus intercepti cruribus divisi per radios, adeoque arcu H*h* existente communi, sunt hic reciproce ut radii FH, GH, nempe directæ, ut GH ad FH: est autem GH ad FH, ut radius ad sinum anguli HGF, ob angulum GFH rectum, qui angulus est complementum anguli GFN, sive EFZ, & hujus mensura est arcus EZ inventus numero præcedenti, adeoque habentur sequentia theoremata.

24. 1.°

24. 1°. *Ut radius ad tangentem arcus* EZ, *ita altitudo gnomonis ad distantiam intersectionis quæsitæ a pede ipsius gnomonis*. 2°. *Ut radius ad cosinum ejusdem arcus* EZ, *ita angulus* AEC *inventus num. 19 ad angulum, quem ibi continet linea meridiana erronea cum vera*. Si angulus AEC fiat $= a$, altitudo gnomonis $= m$; habebuntur expressiones analyticæ simplices utriusque valoris quæsiti. Distantia ejus intersectionis a pede gnomonis erit $= m\,tan.z$, & angulus quæsitus $= a\,cos.z$.

25. Punctum E potest abire hic citra zenith Z, ut figura exprimit, vel ultra, ac in fig. 8 potest abire vel citra punctum S', vel inter puncta S, S', vel ultra S, & angulus AEC potest abire vel versus occidentem, vel versus orientem. Ea omnia pendent a valoribus formularum, ac ab iis determinabuntur per sua signa positiva, vel negativa. Proponemus hic & denominationes, & formulas videndas unico intuitu. Erunt valoris positivi, vel negativi errores temporarii n, n', n'', prout appulsus ad Meridianam erroneam fiet post, vel ante meridiem: distantiæ solis a zenith, d, d', d'', complementum altitudinis poli q, distantiæ solis a polo $d+q$, $d'+q$, $d''+q$, harum sinus D, D', D'', altitudo gnomonis m, ea omnia erunt valoris positivi hic in nostra zona temperata. Ab his pendebunt valores reliqui, qui inveniuntur per ipsos. Si obvenerint positivi valores EZ, AEC, NG, HGh; jacebit E respectu Z versus boream, C respectu A versus occidentem, G respectu N ultra ipsum versus austrum, linea meridiana vera GH respectu erroneæ Gh versus occidentem. En omnes valores, & formulas.

Errores in secundis temporis inventi binis diebus datis, & quæsitus pro alio quovis . . . . n, n', n''
Distantiæ solis a zenith . . . . d, d', d''
Complementum altitudinis poli . . . . q
Distantiæ solis a polo . . . . $d+q$, $d'+q$, $d''+q$
Earum sinus . . . . D, D', D''
Arcus cujus tangens $\frac{nD+n'D'}{nD-n'D'}\times tan.\frac{1}{2}(d-d')$ . . . . p
Arcus EZ $= p - \frac{1}{2}(d+d')$ . . . . z

Si-

Sinus arcuum $d+z$, $d'+z$, $d''+z$ . . . . . B, B', B''

Error quæsitus n'' . . . . $\frac{nD}{B} \times \frac{B''}{D''}$

Angulus AEC $= a$ . . . . $\frac{15nD}{B}$

Altitudo gnomonis . . . . m

Distantia NG concursus G a pede gnomonis . . . . . . $m\,tan.z$

Angulus HGh lineæ meridianæ erroneæ cum vera . . . $a\,cos.z$

26. Hic etiam æque facile computabitur tabula errorum. Inventis semel valoribus n, n' per observationem, & D, D' per distantias a zenith d, d' debitas diebus earum observationum, invenietur arcus p, tum z, & $d+z$. Inde obtinebitur itidem valor B, inveniendus semel, ac numerus logarithmicus *log.n* + *log.*D + *compl. arithm. log.*B: tum pro singulis aliis diebus oportebit invenire d'', b'', D'', B'', ac logarithmum B'', & complementum logarithmicum D''. Horum summa addita summæ inventæ semel, & constanter adhibendæ erit logarithmus valoris quæsiti n''.

27. Facile perspicitur, hos errores, & hasce correctiones esse communes lineæ meridianæ erroneæ, cum eo telescopio mobili meridiano, quod appellari solet instrumentum transituum. In eo considerandi sunt bini axes: axis telescopii, qui transit per centrum objectivi, & intersectionem filorum positorum in ejus foco, & axis, circa quem is convertitur. Si axis telescopii est perpendicularis axi conversionis; is productus usque ad superficiem sphæræ cælestis describit ibi circulum maximum habentem pro axe axem conversionis productum itidem, cum describat planum perpendiculare ei axi, si is sit accurate horizontalis, & perpendicularis lineæ meridianæ. Si fuerit horizontalis, sed non perpendicularis ei lineæ; tum circulus descriptus ab axe conversionis producto transibit per zenith Z, ut circulus CZD in fig. 7: si autem ille axis nec fuerit horizontalis; hic circulus maximus nec transibit per zenith, sed transibit per aliud quodpiam punctum Meridiani E, cum omnes circuli maximi debeant se mutuo secare. In primo casu patet, æque huic instrumento applicari proble-

ma

ma primum, in secundo problema secundum, cum methodis, quæ adhibitæ sunt ibi pro determinando errore instrumenti pro quovis alio anni die.

28. Verum id instrumentum potest habere, ut diximus, tertium errorem provenientem ab axe telescopii, non perpendiculari axi conversionis, in quo casu is circulus non est maximus. Nulli alii errores possunt occurrere in eo instrumento, si sit satis solidum, ut nimirum axis conversionis remaneat semper immotus, & axis telescopii retineat constanter eandem inclinationem cum ipso axe conversionis. Adhuc tamen etiam in casu ejus tertii erroris in constructione instrumenti facile admodum per formulas generales inveniuntur omnes tres ii errores, inventis per observationem tribus erroribus momenti meridiei male indicati ab ipso instrumento, in tribus diversis ejus positionibus, ac fiet tabula exhibens omnes ejusmodi errores pro reliquis positionibus omnibus. Id est præstitum in præcedenti Opusculo; sed, ut monui in ipsa prima adnotatione hujus, adhibita est alia denominationum series, & aliæ plagæ assumptæ sunt pro positivis, & negativis: hìc persequar ea discrimina.

29. In primis error commissus in tempore appulsus ad Meridianum indicato hìc a linea meridiana erronea, ibi ab erronea collocatione instrumenti, habitus est hìc pro positivo, quando appulsus ad lineam meridianam erroneam est posterior appulsu ad Meridianum, ibi e contrario quando appulsus ad instrumentum male collocatum præcedit: eam ob causam etiam figura habet positionem non nihil diversam. Hæc figura 8 respondet figuræ 3 Tabulæ II, quam delineatam pro verificatione quadrantis muralis adhibui in superiore Opusculo etiam pro verificatione instrumenti transituum. In utraque AOB est semihorizon orientalis, AZB semimeridianus cum suo zenith Z, & polo P, ac designantur iisdem litteris: punctum *s* est utrobique idem, & pertinet ad semicirculum superficiei cælestis respondentis hìc plano transeunti per lineam meridianam, & per centrum foraminis, ibi axi telescopii suppositi perpendicularis axi conversionis, & appulsus ad eum circulum est is, qui exhibetur a linea meridiana, & ab instrumento

 tran-

transituum carente suo errore primo, qui consistit in deviatione axis telescopii a perpendicularitate respectu axis conversionis, quo casu hic productus usque ad superficiem sphæræ cælestis describit ibi circulum maximum. Verum ob plagam erroris positivi assumptam hic contrariam assumptæ ibi punctum *s* jacet hic versus occidentem respectu Meridiani, dum ibi jaceret versus orientem.

30. Hic dimidium ejus circuli, quod extat supra horizontem designatur per CED, ibi per FNG, existentibus hic C, & D ejus concursibus, australi, & boreali cum horizonte, ibi F, & G, intersectione cum Meridiano ibi N, hic E: jacet autem hic punctum C ad occidentem respectu cardinis australis A, & D ad orientem respectu borealis B, ibi autem e contrario F ad orientem, G ad occidentem: ibi etiam intersectio N jacet ad austrum respectu zenith Z in quadrante ZA, hic E ad boream in quadrante ZB, angulo ANF jacente ibi ad orientem respectu Meridiani, hic AEC ad occidentem. Hoc idem discrimen conservaretur etiam pro casu, in quo semicirculus transiens per puncta *s* esset verticalis, si haberetur etiam ibi figura pro eo casu, quæ habetur hic, & est figura 7, ubi intersectio E figuræ 8 abit in Z, ibi autem abiret intersectio N ejus figuræ 3 in idem ejus punctum Z: angulus AZC hic jacet etiam in fig. 7 ad occidentem, ibi AZF jaceret ad orientem respectu quadrantis ZA. Demum hic puncta S sunt ea, quæ ibi puncta M pertinentia ad Meridianum.

31. Hæc pertinent ad figuras: sunt autem diversæ etiam denominationes: comparabimus eas, quæ hic occurrunt, cum iis, quæ habentur ibi in determinatione valorum, e quibus eruuntur ibidem postremi duo errores axium per observationes exhibentes binos tantummodo errores appulsuum methodo postrema, nam ii soli sunt communes, ut diximus, meridianæ lineæ, & illi instrumento. Ea methodus ibi incipit a numero 39, ubi extenditur ad casum, in quo habeantur omnes tres errores axium determinandi per tres errores appulsuum, tum a numero 57 restringitur ad casum, in quo habeantur tantummodo ii bini postremi, quod reddit formulas multo simpliciores.

32. Hic

32. Hìc appellantur a, & z in fig. 8 angulus AEC, & arcus EZ, quibus ibi respondent in fig. 3 Tabulæ II angulus ANF, & arcus NZ, qui ibi dicuntur y, & z, ut idcirco valor z exprimat idem utrobique. Ii duo valores determinant ibi secundum, & tertium errorem axium, qui evadunt (num. 56) $y cos.z$, & $y sin.z$. Determinantur ibi valores y, & z, hìc a, & z, per valores cognitos, quorum diversa denominatio efficit, ut non possit primo aspectu dignosci, in quo congruant inter se formulæ, quæ eos valores exprimunt, in quo discrepent, & quo pacto hæ hìc inventæ reduci possint ad valores respondentes denominationibus ibi adhibitis, vel viceversa. Eam comparationem hìc persequemur.

33. Ibi invenitur prius num. 58 valor z per suam tangentem $= \frac{m' sin.b - m sin.b'}{m' cos.b - m cos.b'}$, tum $y = \frac{e - x}{sin.(b - z)}$, sed cum sit (num. 57) $m = e - x$, $m' = e' - x$, & x sit primus error axium, qui hìc supponitur $= 0$, evadit $tan.z = \frac{e' sin.b - e sin.b'}{e' cos.b - e cos.b'}$, & $y = \frac{e}{sin.(b - z)}$. Sunt autem ibi valores b, & b' distantiæ loci appulsus ad Meridianum a zenith, quæ hìc dicuntur d, & d': valores autem e, & e' sunt ibidem errores momenti appulsus angulares, redacti ad secunda arcus circuli maximi, nimirum arcus ibi in illa fig. 3 SM, S''M'', sive evanescente primo errore Ss, arcus sM, s''M'', qui hìc in hac fig. 8 sunt arcus Ss, S's'.

34. Hìc itidem invenitur numer. 25 prius valor $z = p - \frac{1}{2}(d + d')$, invento prius p, cujus tangens $\frac{nD + n'D'}{nD - n'D'} \times tan.\frac{1}{2}(d - d')$, tum angulus $a = \frac{15nD}{B}$. Hic secundus valor congruit cum illo valore $y = \frac{e}{sin.(b - z)}$, si comparentur inter se denominationes: est enim hìc numerator $15nD$ idem, ac ibi e, nimirum valor secundorum erroris observati, & reducti ad partes circuli maximi, qui obtinetur multiplicando errorem temporarium n per 15, ut reducatur ad errorem angularem, tum iterum multiplicando id

productum per sinum distantiæ a polo, qui hîc dicitur D: denominator quoque B hujus valoris est idem, ac ille $sin.(b-z)$. Nam distantia astri a polo ibi dicitur b, hîc d, & z exprimit eandem distantiam intersectionis binorum circulorum, ibi N, hîc E, a zenith, sed ibi is valor assumptus est positivus versus austrum, hîc versus boream, adeoque hîc est z, quod ibi $-z$, est autem hîc B sinus arcus $d+z$ juxta catalogum valorum numeri 25, adeoque reductis hisce denominationibus ad illas hîc valor B evadit idem, ac ille $b-z$, & requirit eundem calculum numericum.

35. Primus valor z hîc habet expressionem diversam non solum respectu denominationis mutatæ pro iisdem valoribus, sed etiam respectu formæ terminorum, ex quibus componitur, & requirit diversum calculum numericum, licet exprimat quantitatem eandem. Videtur esse complicatior, cum requirat prius inventionem valoris p per suam tangentem $\frac{nD+n'D'}{nD-n'D'}\times tan.\frac{1}{2}(d-d')$, tum subtractionem arcus $\frac{1}{2}(d+d')$. Verum reipsa calculus numericus applicatus ad hanc formulam est multo simplicior. Nam hi valores nD, $n'D'$ sunt simpliciores, quam illi soli e, e', qui componuntur ex erroribus temporariis n, n' multiplicatis per 15 pro reductione ad errores angulares, tum per sinus distantiarum a polo, quæ in toto illo Opusculo dicuntur c, & habent $sin.c$ pro hoc D. Hinc illi valores e, e' reducti ad hasce denominationes evadunt $15nD$, & $15n'D'$, magis compositi, quam hi nD, $n'D'$: valor 15 etiam ibi evanesceret, si valores e, e' reducerentur ad formam primitivam $15n sin.c$, $15n' sin.c'$, quia inveniretur in omnibus terminis tam numeratoris, quam denominatoris ejus fractionis exprimentis immediate valorem z per suam tangentem. Ibi autem singuli valores e, e' ducendi sunt adhuc in suos $sin.b$, $sin.b'$, quæ nova multiplicatio hîc evitatur.

36. Inventis binis hisce numeris simplicioribus nD, $n'D'$, statim per summam, & subtractionem invenitur numerator $nD+n'D'$, & denominator $nD-n'D'$, arcus vero $\frac{1}{2}(d-d')$ cujus tangentis logarithmus addendus est logarithmo ejus numeratoris, & comple-

plemento logarithmico denominatoris, facile habetur per solam subtractionem valoris d' a d. Hinc multo facilius invenitur valor hujus fractionis exprimentis tangentem p, quam illius exprimentis immediate tangentem z: subtractio autem valoris $d + d'$ a valore p invento, vix quidquam difficultatis addit. Multiplicationes, & divisiones reddunt calculos operosiores, etiam ubi adhibentur logarithmi; nam pro logarithmis summarum, & differentiarum calculus est multo longior, & molestior: summæ, & differentiæ nihil difficultatis habent.

37. Hinc habetur hìc nova methodus pro inveniendo valore z: ea addi potest methodis tribus ibi propositis numero 58, quarum tertia adhibet formulam pro ejus tangente primo aspectu simpliciorem, quam sit hæc, quæ novâ hac methodo pertinente ad errores lineæ meridianæ inventa est, & continet novam solutionem problematis quærentis errorem secundum, ac tertium instrumenti transituum carentis primo: atque id fuerat indicatum in fine adnotationis positæ in ipso initio hujus Opusculi.



OPU-



OPUSCULUM XIII.

De determinanda linea meridiana una cum linea æquinoctiali, altitudine poli, et declinatione solis per tria extrema puncta umbræ gnomonis notata in plano horizontali, vel verticali. Accedunt, quæ pertinent ad horologium solare.

1. HOC Opusculum non pertinet ad verificationem instrumentorum, quæ in Astronomia solent adhiberi, sed potius ad constructionem unius ex iis, quæ diu in ipsa sunt adhibita inter præcipua Astronomiæ instrumenta. Adhibentur nunc etiam ingentium gnomonum meridianæ lineæ ductæ in locis amplioribus ad determinandum meridiei punctum, & dirigenda horologia oscillatoria, uti erat illa, quæ præbuit occasionem Opusculo præcedenti, & cujus occasione hoc inseritur huic Tomo, quanquam, ut hìc exhibetur, pertineat non ad accuratos usus Astronomiæ, sed ad Gnomonicam, quæ, ut diximus in adnotatione ad initium Opusculi præcedentis, ipsa demum est quædam Astronomiæ applicatio ad usus civiles. Adhibebitur enim umbra styli brevioris, ad ducendam lineam meridianam, quæ solaribus horologiis inserviat.

2. Solet duci linea meridiana in plano horizontali determinando duo puncta extrema umbræ styli æquè distantia a pede gnomonis, methodo notissima. Facto centro in eo pede, nimirum in eo puncto plani horizontalis, cui imminet ad perpendiculum vertex styli, per quem transit radius solis determinans punctum umbræ extremum, intervallo puncti ipsius umbræ notati binis, vel ternis horis ante meridiem describitur circulus, tum expectatur momentum temporis, quo post meridiem vertex umbræ ipsius redeat ad eum circulum: nam umbrâ curtatâ ob elevationem solis auctam continuo usque ad meridiem, is vertex ingreditur eum circulum, &

acce-

accedit perpetuo ad pedem styli, fit brevissima umbra ipsa in meridie, tum iterum crescit, eo vertice perpetuo recedente ab ipso pede, donec intervallo temporis a meridie vel accurate æquali priori elapso a præcedenti observatione usque ad meridiem, ut in solstitiis, vel satis proximè ad usus gnomonicos extra ea anni tempora, fiat iterum æqualis ei, quæ habebatur in illa eadem priori observatione, vertice ipsius redeunte ad eundem circulum. Reditur igitur post intervallum aliquanto brevius, & expectatur momentum, quo is vertex ad eum circulum appellit iterum, ac notatur id punctum: recta, quæ conjungit ea puncta, dividitur bifariam, & per eam divisionem ducitur alia recta ipsi perpendicularis, quæ censetur linea meridiana quæsita.

3. Solent autem etiam præparari plures circuli habentes centrum in pede styli, expectari mane appulsus verticis umbræ ad plures ex ipsis, tum reditus ad eosdem post meridiem, ut habeantur plures determinationes, quæ correctiorem exhibeant ductum lineæ quæsitæ assumpto medio quodam æstimato inter ipsas. Ii circuli duci non possunt post collocationem styli vel accurate, vel proxime verticalis, pede gnomonis impedito a crassitudine, quam habet ibidem ipse stylus. Ad evitandum id incommodum possunt delineari plures circuli concentrici in charta separata: tum, delineatâ circa centrum illud commune figurâ quavis, ut quadrato, paullo ampliore, quam sit ipsius styli basis, & factâ incisione secundum latera omnia dempto uno, potest inseri stylus in aperturam, quæ relinquitur, cedente charta ejus vertici, & plicata circa latus residuum non incisum: trahendo ipsam chartam in latus secundum unam directionem, facile ipsa adducitur in locum, in quo vertex styli æque distet a binis punctis circuli oppositis in ea directione: tum ea trahendo in directione perpendiculari priori directioni, adducitur ad locum, in quo ipse vertex distet æque ab aliis binis punctis circuli ejusdem positis in ea directione: patet, pedem styli tum esse in ipso eorum circulorum centro. Si in ea positione affigatur charta plano ipsi dato per tenues lamellas ceræ interpositas, & præparatas prius ad eum usum; puncta notata in ipsa transferuntur facile in id planum, vel in chartam

ram ipsi agglutinatam per pressionem cuspidis alterius puncti circini.

4. Remanet molesta expectatio reditus verticis umbræ ad circulum eundem. Ego quidem ad eam evitandam soleo ante meridiem accedere per exigua intervalla temporis, & in ea charta notare plura puncta umbræ, tum intervallo proxime æquali redire post meridiem, & notare plura alia parum a se invicem distantia: per utramque punctorum seriem duco levi manu lineam, quæ denotat viam verticis umbræ: assumo circino distantiam verticis styli ab uno e punctis lineæ matutinæ, & eodem circino translato ad lineam vespertinam, ac alterâ ejus cuspide delatâ per eam lineam alterâ directâ versus verticem styli ejusdem, quæro in ipsa punctum, quod æque distet ab eo vertice: per ea duo puncta ita inventa duco rectam, quam seco bifariam, & per illud punctum medium duco aliam perpendicularem eidem rectæ, vel potius facto centro in utroque ex iis punctis, assumo binas æqualium circulorum intersectiones, per quas duco rectam, quæ erit utique linea meridiana, tanquam si esset definita per appulsus cuspidis umbræ ad circulum habentem centrum in pede gnomonis: ductus autem linearum viæ umbræ exhibet commodum seligendi plura punctorum binaria, quæ exhibeant plures determinationes, ut illi plures circuli concentrici.

5. Patet utique, bina puncta ita inventa jacere in eodem aliquo ex ejusmodi circulis mente conceptis: si enim concipiatur recta perpendicularis ducta e vertice styli in planum ipsum, quæ ibi determinat verum gnomonis pedem, utcumque etiam stylus sit non nihil obliquus, vel etiam intortus; habebitur pro utrovis puncto triangulum rectangulum, cujus unum latus erit ipsa recta perpendicularis mente concepta, quæ erit altitudo gnomonis, alterum recta itidem concipienda, quæ tendit a pede ipso ad id punctum, hypothenusa autem radius, qui a vertice styli tendit ad idem punctum. Cum circino deprehensa sit æqualitas inter binas hasce hypothenusas, & latus illud primum, quod est altitudo styli, sit commune binis triangulis rectangulis pertinentibus ad ea bina puncta; erunt æqualia etiam latera ipsorum, quæ ad

ea

ea tendunt ab ipso styli pede: adeoque ea puncta jacent in peripheria circuli habentis centrum in eodem pede.

6. Cum vellem evitare tam expectationem molestam momenti reditus ad eundem circulum, quam binas series punctorum, per quæ ducendæ erant binæ viæ cuspidis umbræ; quæsivi constructionem, quæ mihi exhiberet lineam meridianam per tria puncta ejus cuspidis quæcumque, ac inveni admodum elegantem, & expeditam, quæ commodissime adhiberi potest ad hunc usum. Eadem constructio paucissimis lineis adjectis exhibuit mihi intersectionem plani æquatoris cum plano horizontali dato, ex qua fluit determinatio altitudinis poli, occursus axis æquatoris cum plano dato, & determinatio declinationis solis, quæ facillime obtinentur per continuationem constructionis ejusdem. Hæc postrema usum non habet, nisi pro geometrica contemplatione, sed priores tres inserviunt delineationi horologii solaris, quanquam, quod pertinet ad hunc etiam usum, altitudo poli pro loco, pro quo ejusmodi horologium delineari debet, potius supponi potest cognita, & quidem accuratius, ex ipsis mappis geographicis, e quibus eruitur ejus loci latitudo æqualis ipsi altitudini poli, & ex hac potius deducitur constructio pro intersectione plani æquatoris cum plano horologii delineandi, & occursus axis cum eodem plano, quæ duo dicuntur æquator, & polus horologii ipsius: ea potius deducenda sunt ex altitudine poli, quam hæc ex ipsis. Adhuc tamen eorum omnium determinatio per constructionem geometricam simplicem, & commodam meritum habet suum saltem pro geometrica contemplatione, & exercitatione graphica.

7. Eam ob causam censui, fore operæ pretium, si hasce methodos hìc insererem, atque id eo magis, quod constructio analoga adhibens tria puncta cuspidis umbræ notata in quovis plano verticali, dum determinat eadem omnia respectu loci alterius, qui habeat horizontem parallelum plano dato, exhibet determinationem itidem admodum simplicem pro ducenda in eodem plano linea meridiana ipsius loci, in quo ea puncta notata sunt, cum linea æquinoctiali, & polo horologii delineandi in eo ipso plano, ac determinat declinationem plani ipsius a plano Meridiani, &

 lineas

lineas horarias, quæ pro horis Europæ communibus incipientibus numerationem a meridie, & media nocte ducuntur admodum facile in plano horizontali post determinatum polum horologii, & æquatorem, minus facile in plano verticali communibus methodis: ducuntur tamen admodum facile etiam ipsæ per continuationem constructionis ejusdem. Hæc omnia exponam in hoc Opusculo, & adjiciam occasione arrepta methodum pro delineandis etiam tropicis, qui horologium terminent, & indicabo methodum expeditam determinandi per constructionem etiam lineas horarias horologii Italici.

8. In demonstratione constructionum, quas proponam, considerabo, uti fit in Gnomonica, terram immotam, circa quam revolvatur sphæra cælestis habens pro centro ipsam, quin immo verticem styli, habitâ semidiametro terræ pro unico puncto respectu semidiametri ejus sphæræ: considerabo motum solis diurnum, ut factum in circulo parallelo æquatori, nimirum neglectâ, uti fit, mutatione declinationis exigua intra unum diem, & refractione, quæ duo pariunt effectus nimis exiguos respectu usus civilis, cui hæc horologia sunt destinata. Suppositio motus diurni facti in eo circulo parallelo æquatori, qui habet centrum in hujus axe, efficit ut radius digressus a centro solis, & appellens ad verticem styli describat in utroque æquinoctio planum perpendiculare axi æquatoris ducto per eum ipsum verticem, cujus intersectio cum plano horologii solaris est recta linea, quæ dicitur ipsius æquator. Reliquis anni diebus is radius describit superficiem coni recti habentis pro basi circulum motus diurni solis, pro axe illum ipsum axem æquatoris, pro vertice verticem styli, & continuatio ejus radii ultra hunc verticem describit conum inversum habentem eundem axem, & verticem: coni sectio quæcumque perpendicularis axi est circulus habens centrum in ipso axe, & abscindens a vertice styli, qui est vertex communis coni utriusque, latera inter se æqualia: ejus circuli planum est parallelum plano æquatoris, cum utrumque sit perpendiculare eidem axi, adeoque ejus intersectio cum plano horologii solaris est parallela lineæ æquinoctiali, & utraque in plano horizontali perpendicularis lineæ meridianæ, quæ est inter-

intersectio plani Meridiani cum eodem plano. Utramque superficiem conorum ad verticem oppositorum secat planum horizontale, & verticale quodvis intra zonas temperatas, & intersectio est duplex ramus hyperbolæ: ex, quæ pertinent ad duos tropicos, sunt bini rami hyperbolæ oppositi, qui appellantur tropici ipsius horologii, quod ii terminant.

9. Pro vertice umbræ accipiam, uti pariter fit in Gnomonica, id punctum plani dati, ad quod terminatur radius transiens per verticem styli. Magnitudo disci apparentis solis generat eam, quæ dicitur penumbra: ea arctat umbram, & minuit; sed ea itidem hic negligitur, & consideratur sol totus, tanquam unicum punctum radians. Ubi stylus est longior, effectus penumbræ est magis sensibilis, ac ad ipsum minuendum in vertice styli ipsius additur globulus pro cuspide, & consideratur pro vertice umbræ styli medium umbræ globuli ipsius, quæ circumquaque restringitur a penumbra, quanquam ipsum medium ejus umbræ, quæ induit formam ovalem, non respondet accurate illi radio digresso e centro disci solaris, & transeunti per centrum ejus globuli: sed ea omnia negligi solent in Gnomonica, ubi ad usus civiles satis est considerare verticem umbræ tanquam determinatum a solo radio centrali. In eo sensu hic accipimus nomen verticis umbræ, dum proponimus determinandam lineam meridianam per tria puncta extrema umbræ appellando ipsa etiam vertices umbræ: vertex ita acceptus percurrit in æquinoctiis illum horologii solaris æquatorem rectilineum, & in solstitiis illos hyperbolicos tropicos: porro intelligam hunc ipsum verticem, ubi nominavero simpliciter punctum umbræ.

10. Iis præmissis progrediar ad determinationes propositas, incipiendo a constructione pro linea meridiana determinanda in plano horizontali per tres umbræ vertices.

11. *Problema* 1. *Dato styli vertice, & tribus punctis umbræ notatis in plano horizontali, ducere in eodem plano lineam meridianam.*

12. Sit (Tab. VIII. fig. 1) T vertex styli positus in sublimi, & A, A', A" sint tria puncta umbræ notata in plano horizonta-

 li,

li, in quo jacet etiam punctum S, cui perpendiculariter imminet punctum T: id impeditur a crassitudine pedis styli jam erecti juxta num. 3: sed eo hic non indigebimus pro constructione problematis: adhibebitur pro demonstratione, pro qua satis est ipsum mente concipere. Unum ex iis tribus punctis habebit distantiam a vertice styli minorem, quam reliqua duo, sive ea habeant distantias æquales, quo casu obtinetur linea meridiana methodo expositâ numero 2 sine ope puncti tertii, sive inæquales, pro quo casu adhibetur hæc alia methodus, quæ exhibebit solutionem hujus problematis pro casu, in quo omnes tres eorum punctorum distantiæ sint inæquales. Seligantur ea duo, quorum alterum habet distantiam maximam, & alterum minimam, quæ sint A, & A', tertio A'' habente intermediam. Possent seligi duo quæcumque, sed quædam intersectionum puncta possent ita longe recedere, ut ad ea deveniri non posset.

13. Factis centris in A, & A', & aperto circino prius ad distantiam AT (*), tum ad A'T, inveniatur in plano horizontali intersectio duorum arcuum circularium in *t*: ducantur rectæ *t*A, *t*A', AA', & hæ binæ postremæ producantur indefinite: aperto circino ad intervallum TA'', & applicatâ alterâ ejus cuspide ad *t* inveniantur cuspide altera in recta *t*A, & in *t*A' productâ puncta *b*, *b*': ducatur recta *bb*', quæ rectæ AA' necessario occurret in aliquo puncto C: ducatur per A'', & C recta linea, quam dico primò debere esse perpendicularem lineæ meridianæ quæsitæ. Inveniantur in hac linea ope circini applicati ad T, & aperti ad distantiam arbitrariam majorem eâ, quam id punctum habet ab ea ipsa linea, duo puncta F, F': facto centro in F, & F' inveniatur intervallo arbitrario aliquanto minore una intersectio binorum arcuum circularium inter stylum, & eam lineam in M, & alia aliquanto majore altera in M' ad partem oppositam: ducatur recta MM', quam dico secundo fore lineam meridianam quæsitam.

14. Nam

(*) Rectæ lineæ, quæ sunt in plano horizontali dato, ducuntur hic tractu continuo, quæ autem extra id planum per puncta, quo facilius distinguantur ab illis, ut ST, & tres TA, TA', TA'', quarum secunda producta.

14. Nam in primis rectæ TA, TA', TA'' sunt tres positiones radii transeuntis per verticem styli describentis planum æquatoris in æquinoctiis, & superficiem coni recti extra ea tempora, cui casui generali aptata est figura. Si concipiatur, totum planum trianguli AtA' converti circa rectam AA' immotam; punctum t abibit in T ob latera tA, tA' æqualia lateribus TA, TA' per constructionem, & puncta b, b', quæ erant in recta tA, & in tA' producta, abibunt in rectam TA in B, & in TA' productam in B', punctum autem C manebit in recta AA' immota. Hinc puncta A, B, B' posita in lateribus superficiei coni descriptæ a radiis ad distantias æquales a vertice coni T jacebunt in circulo quodam, cujus planum erit perpendiculare axi ipsius coni, & is circulus vel erit æquator ipse, vel in casu generali habebit planum parallelum ejus plano. Cum in eo plano sint puncta B, B', erit in ipso recta tota BB', adeoque & ejus intersectio C cum recta AA': cum ea intersectio sit etiam in plano horizontali, & punctum A'' sit itidem tam in plano ejus circuli, quam in plano horizontis; recta A''C erit intersectio ejus plani cum horizonte: ea intersectio debet esse perpendicularis plano Meridiani, cum huic plano sit perpendiculare tam planum horizontale, quam planum ejus circuli, quod nimirum est perpendiculare axi æquatoris jacenti in eodem plano Meridiani, in quo est & vertex styli, qui concipitur, ut centrum sphæræ cælestis, & polus æquatoris sphæræ ejusdem. Debet igitur ea intersectio esse perpendicularis etiam lineæ meridianæ quæsitæ jacenti in eodem Meridiani plano.

15. Porro satis patet, rectam FF' debere secari bifariam in I a recta MM' ducta per illas binas intersectiones M, M'. Si autem concipiantur mente rectæ FT, F'T, FS, F'S, TI, quæ non ducuntur, ne confundatur figura plus æquo; patebit, in triangulis rectangulis TSF, TSF' habentibus latus ST commune, & hypothenusas TF, TF' æquales æqualia fore etiam latera SF, SF', adeoque triangulum FSF' erit isosceles: cum recta SI secet bifariam hujus basim FF'; secabit ipsam etiam ad angulos rectos, adeoque congruet cum recta MM', quæ itidem transit per I, & est

per-

perpendicularis eidem FF', ut vidimus. Eadem FF' est etiam perpendicularis rectæ TI, quæ secat itidem in I bifariam eandem basim trianguli FTF' isoscelii; adeoque, ea recta est perpendicularis plano STI, in quo jacent eæ duæ rectæ: cum ipsa FF' debeat esse perpendicularis plano Meridiani transeunti itidem per rectam ST; planum illud ipsum erit planum Meridiani, & recta SMM', ejus intersectio cum plano horizontali erit linea meridiana quæsita, quod erat alterum propositum.

16. *Scholium* 1. Si distantia A"T, quam supposuimus mediam inter duas reliquas AT, A'T, esset æqualis alteri earum; casus recideret in illum simplicem duorum punctorum æque distantium a vertice styli, quam exhiberet hæc ipsa constructio, & simul ostenderet, tertium punctum evadere inutile. Si essent æquales TA", TA; recta TB evaderet æqualis rectæ TA, & punctum C abiret in A cum puncto B, adeoque recta A"C evaderet ipsa A"A, quæ secanda esset bifariam per illas duas intersectiones M, & M' ad inveniendam lineam meridianam MM': si autem essent æquales TA', TA"; puncta B', C abirent in A', & recta A"A' præstaret idem officium. Patet autem, eo minus fore periculum errandi, quo discrimen distantiarum maximæ, & minimæ fuerit minus, punctis A, A' existentibus parum remotis a se invicem, dummodo tertium punctum A" sit satis remotum ab ipsis: nam intervallum AA', intra quod debet cadere punctum C, eo erit brevius, & distantia major puncti A" ab ipso C reddet minus erroneam directionem rectæ A"C, determinatam per puncta A", & C non penitus accurata. Hinc ad hunc usum præstabit assumere bina puncta ante meridiem, & ad intervallum exiguum, tertium autem post ad intervallum a meridie medium inter intervalla præcedentium ab eodem, vel viceversa. Verum res adhuc bene procedet, utcumque intervallum inter puncta distantiæ maximæ, & minimæ non sit exiguum; dummodo punctum distantiæ intermediæ assumptum sit satis remotum ab ipsis.

17. Si pro punctis distantiarum extremarum assumeretur unum ex iis punctis, & alterum distantiæ mediæ; recta *bb'* non secaret basim AA' nisi productam, & si distantia reliqua differret parum ab al-

tera

tera præcedentium ; intersectio C abiret longissime, quod facile demonstrari potest : quamobrem seligenda erant puncta distantiarum maximæ, & minimæ, uti est præstitum, quod cavendum monuimus num. 16.

18. *Scholium* 2. Si haberetur punctum S ; determinatio esset simplicior : satis esset ducere per id punctum rectam SM perpendicularem rectæ A''C, quæ esset Meridiana quæsita : id punctum non erat necessarium pro solutione hujus problematis, ut nec erit pro solutione sequentis : sed id requiretur pro tertio cum ipsa magnitudine rectæ perpendicularis ST, quam appellabimus altitudinem styli, & punctum S ipsius pedem, utcumque ipse stylus sit forte inclinatus, vel etiam intortus. Poterit tamen id punctum haberi in eadem charta cum punctis umbræ, & omnibus lineis, quæ habentur in hac figura, si adhibeatur charta illa perforata per foramen quadratum, de qua mentio est facta numero 3. Nam in ipsa ante sectionem per illa tria latera quadrati, loco integrorum circulorum habentium centrum in eo puncto, quod per operationem ibi indicatam debet adduci ad locum, in quo ipsi perpendiculariter immineat vertex styli, possunt duci solâ circini cuspide sine atramento binæ rectæ sibi invicem perpendiculares ad sensum, & in iis assumi quatuor segmenta inter se æqualia, notatis in eorum fine quatuor punctis : factâ sectione, & plicato quadrato circa latus non sectum, inseretur stylus intra aperturam, & charta adducta ad planum poterit moveri in latus, donec circino applicato inveniatur æqualitas illorum quatuor punctorum a vertice styli : constabit utique, locum intersectionis binarum rectarum respondere pedi styli S. Affixâ ipsa chartâ plano dato ope ceræ, ut possit avelli, cum libet, notabuntur in marginibus ipsius oppositis quatuor lineolæ excurrentes ultra ipsos supra plani ipsius superficiem, quarum ope charta ipsa inde detracta poterit, cum libuerit, reponi in locum priorem. In ea ita collocata poterunt excipi puncta umbræ, & inveniri punctum t, duci latera tA, tA', & in iis inveniri puncta b, b' centro t intervallo TA'', & ductâ bb', quæ determinet punctum C, duci recta A''C : tum detractâ charta ipsâ, & reducto illo quadrato ad locum priorem habe-

bebitur in charta eâdem etiam punctum S in illa intersectione binarum rectarum, in quibus notata fuerant illa quatuor puncta. Per id punctum poterit duci recta linea perpendicularis rectæ A''C, vel ope normæ, vel per methodos notas, quæ habentur in Geometria pro ducenda per punctum datum recta perpendiculari rectæ datæ. Eadem charta poterit adhiberi pro constructione eorum e sequentibus problematis, quæ requirent ipsum punctum S, vel ejus ope poterunt transferri in aliam chartam ipsi suppositam ea puncta figuræ in ea delineatæ, quæ necessaria erunt ad constructiones ipsas, & ad earum continuationes pro aliis operationibus, quæ non requirent nisi partem præcedentium determinationum, omissis lineis, quæ ductæ fuerant pro obtinendis determinationibus ipsis, ne multitudo linearum, quæ nullius sint ulterioris usus, figuram confundat.

19. *Problema 2. Ex iisdem datis invenire intersectionem plani æquatoris cum eodem plano horizontali.*

20. Per punctum *t* ducatur recta parallela rectæ *bb'*, quæ occurrat in D rectæ AA' productæ, quantum oportet, tum e puncto D recta parallela rectæ A''C, quæ occurrat lineæ meridianæ in E: ea erit intersectio quæsita.

21. Si enim planum trianguli A*t*A' convertatur, ut prius, circa rectam AA', donec punctum *t* abeat in T; recta *t*D abibit in TD, & erit parallela rectæ BB', in quam debet abire recta *bb'*. Si autem concipiatur planum æquatoris transiens per verticem styli T, id erit parallelum plano illius circuli transeuntis per puncta A'', B, B', adeoque ejus intersectio cum plano ATA', quæ debet transire per punctum T, debet esse parallela intersectioni BB' plani ejusdem circuli cum plano ejus trianguli: hinc ea debet congruere cum recta TD, & proinde punctum ipsum D, quod est itidem in plano horizontali, erit simul in hoc, & in plano æquatoris, & idcirco debet pertinere ad intersectionem eorum planorum. Intersectio autem eadem plani æquatoris cum plano horizontali debet esse parallela intersectioni A''C plani illius circuli transeuntis per puncta A'', B, B', cum planum æquatoris, & planum ejus circuli sint parallela. Quare intersectio quæsita est illa

illa ipsa recta DE, quæ ducta est per punctum D parallela ipsi A''C, ut oportebat.

22. *Scholium*. Pro hac operatione puncta A, A' non debent esse nimis proxima, ne brevitas rectæ *bb'*, cui debet duci parallela recta *t*D, augeat errorem, qui committi potest in ejus directione. Quare proximitas eorum punctorum, quæ prodest accurationi lineæ meridianæ, nocet accurationi lineæ æquinoctialis. Hinc vel seligenda sunt tria puncta umbræ, quæ omnia habeant distantias inter se satis ingentes, ad habendam per idem ternarium punctorum umbræ utranque determinationem minus erroneam, vel seligenda bina ternaria diversa, pro utrovis suum ipsi magis opportunum.

23. *Problema* 3. *Invenire occursum axis æquatoris cum plano horizontali, nimirum polum horologii solaris, & altitudinem poli.*

24. Sint in fig. 2 puncta S, E eadem, ac in fig. 1: ducatur e puncto S recta perpendicularis rectæ ES, in qua inveniatur punctum T' centro E, & intervallo æquali rectæ ET figuræ 1: ducatur recta ET', & ipsi perpendicularis per T' recta occurrens rectæ ES in P. Erit P polus quæsitus, & angulus SPT' quæsita poli altitudo.

25. Si enim in fig. 1 concipiatur in plano Meridiani EST recta ducta per T perpendicularis rectæ ET, quæ occurrat Meridianæ M'EMS productæ in P; erit PT ibi axis æquatoris, qui debet jacere in plano Meridiani, & esse perpendicularis plano æquatoris, adeoque etiam rectæ TE: nam hæc jacet in ipso æquatoris plano, cum id planum transeat per T, & occurrat plano horizontali in recta DE: elevatio autem ipsius axis supra planum horizontale, in quo jacet recta PSE, est angulus SPT, quæ idcirco est elevatio poli. Porro comparando figuram 1, & 2, in triangulo rectangulo EST illius, & EST' hujus latus ES est idem utrobique, & hypothenusa ET' hujus æqualis hypothenusæ ET illius per constructionem, adeoque & ST' hujus est æqualis ST illius, & angulus SET' hujus angulo SET illius. Hinc etiam triangulum ET'P hujus æquale triangulo ETP illius ob angulos ad E æquales, angulos ET'P, ETP rectos itidem æquales, & latus ET'

hujus æquale lateri ET illius. Quare etiam latus TP utrobique idem cum polo P communi, & angulus EPT', sive SPT' hujus, æqualis angulo ETP, sive SPT illius, nimirum altitudini poli.

26. *Scholium* 1. Si observatio fiat die æquinoctii; puncta A, A', A'' jacebunt in directum, nimirum in eadem recta æquinoctiali, quæ quæritur, quam debet percurrere eo die vertex umbræ: recta AC D congruet cum recta AA'', evanescente angulo A''CD, adeoque evanescet etiam angulus ADE, puncto ipso E abeunte in rectam eandem. Quamobrem die æquinoctii nullum opus erit tertio puncto: præstabuntur omnia multo facilius per sola quæcunque duo puncta umbræ notata horis quibusvis. Per ea duo puncta ducetur recta indefinita, quæ erit intersectio plani æquatoris cum plano dato, nimirum recta æquinoctialis quæsita: in ipsa invenientur illa duo puncta FF', per quæ determinabuntur puncta M, M', & linea meridiana transiens per ipsa. Sed cavendum, ne accipiantur duo puncta parum distantia a se invicem, ne exiguus error in notatione punctorum, & is, qui oritur a mutatione declinationis solis, quæ impedit motum diurnum ipsius accurate circularem, deflectat plus æquo lineam æquinoctialem, & lineam meridianam ipsi perpendicularem a directione ipsis debita.

27. *Scholium* 2. Si non supponatur punctum S inventum in fig. 1 ope illius chartæ perforatæ, invenietur facile ipsum, & fiet omnis reliqua operatio sequenti pacto. Ducta in figura 2 recta arbitraria, assumatur in ipsa segmentum M'M æquale rectæ MM' figuræ 1: centro facto prius in M, & intervallo distantiæ MT figuræ 1, tum centro M' figuræ secundæ, & intervallo M'T figuræ 1 inveniatur in fig. 2 intersectio, quæ exhibebit in hac punctum T' respondens puncto T illius. Ducta in hac ex T' recta T'S perpendiculari ad MM', patet, hanc debere respondere rectæ TS illius, quæ idcirco exhibebit & pedem styli S, & altitudinem ipsius ST' æqualem altitudini ST illius: ducta autem hic, ut prius, recta T'P perpendiculari ad rectam ET', habebitur eodem modo & locus poli P, & ejus elevatio SPT' supra horizontem.

28. Altitudo poli poterat haberi etiam ante ductam T'P in triangulo ET'S, cujus angulus ST'E est æqualis angulo SPT', cum uter-

terque sit complementum ejusdem anguli PT'S, ille ob angulum ET'P rectum, hic ob angulum PST' rectum in triangulo SPT'. Hinc poterat inveniri altitudo poli productis lateribus T'S, T'E, & applicato ad T' semicirculo diviso in gradus, sed multo adhuc accuratior capiendo in scala exhibente partes admodum exiguas valorem rectarum ST', SE, quorum posterior divisus per priorem exhibet tangentem anguli ST'P quæsiti, vel assumendo valorem hypothenusæ ET in ipsa figura 1, & valorem distantiæ puncti T a plano dato, quæ altitudo facile obtinetur superposito cuspidi styli plano quopiam, ut tabellâ, vel etiam facie plana regulæ cujuspiam positæ in plano proxime parallelo horizonti, & assumptâ ope circini distantiâ eorum planorum: valor ejus altitudinis divisus per valorem ejus hypothenusæ exhibet cosinum quæsitæ altitudinis poli.

29. *Problema* 4. *Invenire declinationem solis*.

30. Sit in fig. 2 punctum A' idem, quod in fig. 1, vel si ea figura est facta in charta nova, inveniatur in hac punctum A' per intersectionem binorum arcuum circularium habentium centra itidem in M, & E, & aperturas circini æquales intervallis EA', MA' figuræ 2, quæ intersectio respondebit, ut patet, puncto A' figuræ 1: centro S intervallo SA' inveniatur in linea meridiana ex parte utrâvis punctum *a*: centris P, & T'; intervallis PA', & T'*a* inveniatur punctum *a'*, & ducatur recta T'*a'*: angulus ET'*a'* erit declinatio quæsita.

31. Nam in figura 1 angulus PTA' erit is, quem continet radius TA' cum axe PT, cujus differentia ab angulo recto PTE, quem continet radius æquinoctialis TE cum axe eodem, erit declinatio quæsita ejus momenti, in quo facta est observatio, & ea declinatio erit borealis, vel australis, prout is angulus fuerit acutus, vel obtusus. Quare ad inveniendam eam declinationem satis erat in figura 2 efficere angulum PT'*a'* versus rectam T'E, qui sit æqualis angulo PTA' figuræ 1. Id autem est præstitum per operationem indicatam.

32. Si enim concipiatur in fig. 1 recta PA'; translatum est triangulum PA'T figuræ 1 in P*a'*T' figuræ 2 per æqualitatem laterum

 PA',

Pa', T'a' hujus cum lateribus PA', TA' illius. Est enim latus Pa' hujus æquale lateri PA', quod est idem utrobique, tum ob latus ST' hujus æquale lateri ST illius, & Sa hujus æquale SA', quod itidem est idem utrobique, ac ob angulum in S utrobique rectum, etiam hæc hypothenusa T'a hujus est æqualis hypothenusæ TA' illius. Cum igitur etiam basis PT' trianguli PT'a' hujus sit æqualis basi PT trianguli PTA' illius; erit etiam angulus hujus PT'a' æqualis angulo illius PTA', & ejus differentia a recto PT'E declinatio, quæ erit borealis, vel australis, prout recta T'a' ceciderit respectu rectæ T'P citra T'E, ut figura exhibet, vel ultra, angulo PT'a' existente acuto in primo casu, & obtuso in secundo.

33. *Scholium*. Si O sit occursus rectæ T'a' cum linea meridiana PE, assumpto etiam valore rectæ SO in eadem scala, & diviso per valorem ST', habebitur tangens anguli ST'O, & is angulus, qui ablatus ab angulo ST'E æquali, ut vidimus, altitudini poli, exhibebit declinationem quæsitam.

34. *Problema 5. Invenire eadem omnia in plano verticali una cum positione ipsius respectu plani Meridiani.*

35. Sit in fig. 1 T itidem vertex styli, & TS recta perpendicularis plano verticali dato, cujus positio, quæ erat verticalis, dum ageretur de plano horizontali, evadit horizontalis, dum agitur de verticali, & dicetur non altitudo, sed longitudo gnomonis, utcunque stylus ipse sit inclinatus, vel etiam intortus. Habitis tribus punctis umbræ A, A', A'', haberi potest constructione præcedenti eadem recta A''C intersectio plani propositi cum plano circuli transeuntis per puncta A'', B, B', quod planum est perpendiculare axi æquatoris, tum recta linea MM' perpendicularis eidem A''C, quæ ibi erat linea meridiana, hic appellatur substylaris: esset autem Meridiana ejus loci, qui habet horizontem suum parallelum ei plano verticali, nimirum ejus loci, qui habet pro suo zenith punctum superficiei cælestis, ad quod tendit recta horizontalis ST producta usque ad ipsam. Eodem pacto per rectam rD parallelam rectæ bb' potest inveniri punctum D, quod hic itidem est in intersectione plani æquatoris transeuntis per verticem styli habiti

habiti pro centro sphæræ cælestis cum plano, in quo notata sunt puncta umbræ, & recta DE parallela rectæ A''C, quæ erit itidem intersectio plani æquatoris cum eodem plano verticali, nimirum pro horologio solari linea æquinoctialis, quam percurret vertex umbræ diebus æquinoctii utriusque.

36. Operatio, quæ requirit punctum S, & transitum per ipsum pro invenienda intersectione axis cum illo plano, adhibenda pro polo horologii fieret itidem eodem modo: sed hic non potest adhiberi charta illa perforata ad eum finem, si agatur de stylo longiore, uti adhiberi solet pro horologiis solaribus, & vero etiam pro linea meridiana murali: superiores etiam operationes admodum difficulter fierent in plano verticali, etiamsi adhiberetur stylus exiguus; sed difficultas augetur, ubi stylus est ingens. Transferenda sunt puncta in chartam, uti præstitum est in fig. 2; sed dum ibi assumptæ sunt dimensiones eædem, hic erit opportunum eas assumere minores in aliqua ratione data, quibus ita translatis fient operationes omnes in eadem charta, tum ea ex inventis, quæ erunt conservanda pro horologio, vel Meridiana murali transferentur in murum per partes itidem proportionales.

37. Ea translatio fiet admodum facile. Ducatur in muro per A recta verticalis GA, quod facile fiet ope fili sustinentis pondus, si id adducatur ante punctum A, collocato oculo ita, ut id punctum ab eo tegatur, determinabitur punctum G, quod tegatur itidem in eadem oculi positione: tum ope libellæ invenientur puncta N, N', in quibus ei rectæ occurrent lineæ horizontales, quæ concipiantur ductæ per puncta A', A'', & habebuntur in partibus scalæ cujuspiam tam rectæ AN, AN', quam distantiæ NA', N'A''. In charta adhibenda ducetur recta AG, & in ea accipientur e scala particularum multo minorum segmenta AN, AN' continentia eosdem numeros harum particularum minorum: ducentur per N, & N' in eadem charta rectæ perpendiculares ipsi AG, & in iis sumentur segmenta NA', N'A'' continentia eosdem numeros partium minorum, quos numeros majorum continebant illæ horizontales in muro: sic habebuntur in charta tria puncta A, A', A'' respondentia tribus punctis umbræ notatis in muro: tam positione

ne mutua, quam respectu lineæ verticalis ductæ in muro per A, & in charta itidem per suum A, quod illi respondet, quæ linea refert eandem lineam verticalem muri. Tum centris A, & A' inventis in ea charta, ac intervallis assumptis in scala minore, quæ respondeant distantiis AT, A'T assumptis in muro, & translatis in scalam majorem invenietur in ipsa charta punctum *t*, & intervallo, quod eodem modo respondeat distantiæ A''T assumptæ in muro, invenientur in charta puncta *b*, *b'*, & fiet ibi tota constructio problematis primi, & secundi. Iis inventis poterit sine ulla necessitate novæ figuræ fieri in eadem charta habente puncta A, M, E, & liberum locum pro puncto S eadem constructio, quæ facta est in figura 2, qua tamen hic utemur, ne lineæ veteres confundantur cum novis.

38. Invenietur punctum T' ejus figuræ per intervalla ET', MT' non quidem æqualia, ut prius, sed proportionalia iisdem assumptis in muro, & factâ reliquâ constructione, ut ibi, invenietur polus P. Ductâ per ipsum lineâ PQ parallelâ lineæ GA figuræ 1, ea erit linea meridiana loci, in quo assumpta sunt puncta umbræ: nam linea meridiana est intersectio plani Meridiani cum plano muri proposito, in quam intersectionem debebit semper cadere vertex umbræ in meridie, cum is debeat jacere in plano Meridiani eo momento temporis, quo sol appellit ad Meridianum ipsum, & transire per verticem styli T figuræ 1 jacentem in eodem plano Meridiani cum polo P invento, & jacente cum ipsa in eadem intersectione. Porro intersectio plani Meridiani, quod est utique planum verticale, cum quovis plano verticali, ut est planum muri, quod hic refertur a plano chartæ, debet esse verticalis, & debet transire per punctum P, in quo axis æquatoris incurrit in planum datum verticale, cum is axis jaceat in ipso Meridiani plano. Rectâ autem ductâ ex P parallelâ rectæ GA figuræ 1, quæ ibi respondebat rectæ verticali determinatæ in muro, debet & ipsa respondere rectæ verticali transeunti in ipso muro per ejus punctum P.

39. Quando linea PE figuræ 2 erat horizontalis, & ST' respondebat stylo verticali; angulus SPT' exhibebat altitudinem poli res-

li respondentem elevationi axis PT' supra horizontem PS : at hìc ubi planum chartæ jam exprimit planum datum verticale, recta ST' refert stylum perpendicularem plano verticali, qui idcirco habet positionem horizontalem. Hinc altitudo poli exhibetur ab angulo ST'P, rectâ T'P referente hìc etiam axem, cujus elevationem supra lineam horizontalem ST' positam in plano Meridiani exhibet angulus ST'P. Hìc est complementum anguli SPT', qui exhiberet altitudinem poli oppositi supra horizontem loci illius, qui habet horizontem suum parallelum plano verticali dato. Hinc tangens altitudinis poli pro loco, in quo fit observatio, habetur dividendo e contrario valorem SP per valorem ST'.

40. Declinatio solis inveniretur hìc etiam, ut prius : nam hìc etiam T'E refert intersectionem plani æquatoris cum plano Meridiani, & angulus PT'*a* est æqualis illi, qui respondet angulo contento a radio solis, & axe æquatoris, adeoque hìc etiam is angulus exhibet declinationem solis quæsitam.

41. Angulus, quem continet murus cum plano Meridiani invenietur ductâ SR perpendiculari lineæ meridianæ PQ : ejus tangens erit valor ST' divisus per SR. Si enim triangulum PST' convertatur circa rectam PS, donec ST' acquirat positionem horizontalem, quam habet stylus respectu muri, ac in ea positione verticis T' concipiatur recta T'R ; orietur triangulum PT'R, cujus planum erit ipsum planum Meridiani, cum transeat per axem, & per lineam PQ, quæ est intersectio plani Meridiani cum muro : habebitur etiam triangulum T'RS, cujus planum erit horizontale, cum sit horizontalis tam recta SR, quæ continet angulum rectum cum verticali PR, quam recta ST', quæ tum referet stylum horizontalem. Hinc angulus SRT' contentus a rectis RS, RT', quæ in ea positione sunt perpendiculares intersectioni plani Meridiani, & plani muri PRS, exhibet eum, quem ea plana continent, nimirum inclinationem eorum planorum. Porro in eo triangulo SR est latus adjacens angulo in R, & ST' latus oppositum, adeoque hoc divisum per illud exhibet tangentem ejus anguli.

42. Si linea meridiana PQ transiret per S, evanescente rectâ

SR ;

SR ; stylus ST' jaceret in ipso plano Meridiani , cui esset perpendiculare planum muri , quo casu tangens ejus anguli evadit infinita . E contrario valor rectæ SR divisus per valorem styli exhibet angulum , quo aspectus muri declinat a cardine horizontis australi versus plagam orientalem , vel occidentalem , prout punctum R respectu puncti S jacet ad sinistram , vel ad dexteram aspicientis murum ipsum.

43. Hinc habentur per tria puncta umbræ notata in plano verticali ea omnia , quæ inventa fuerant per tria puncta notata in plano horizontali , & præterea positio plani ejusdem respectu plani Meridiani , quod hìc erat propositum .

44. *Scholium* 1. Superiores methodi sunt propositæ ad ostendendum usum trium punctorum umbræ notatorum tam in plano horizontali , quam in quovis plano verticali . Cæterum pro invenienda linea meridiana in plano verticali , & declinatione muri a positione respiciente directe cardinem australem , commodissima mihi videtur methodus , qua uti soleo , determinandi in tabella quadrata habente stylum sibi perpendicularem , & collocata in positione horizontali , in qua unum ejus latus applicetur ipsi muro , lineam meridianam per duo puncta umbræ æqualiter distantia a vertice styli , vel per tria quæcunque : tum altera die applicato eodem modo ad murum eodem latere ejus tabellæ , expecto momentum , quo vertex umbræ devenit ad lineam meridianam tabellæ ipsius , & eo momento noto in muro verticem umbræ styli muralis jam collocati : duco per id punctum lineam verticalem , quæ est Meridiana quæsita .

45. Si quis velit accurationem majorem ; potest adhibere horologium oscillatorium bene directum per altitudines correspondentes dierum præcedentium , quod exhibeat momentum meridiei accuratum , & eo momento notare verticem umbræ styli cuspidati , vel centrum umbræ globuli ipsi adjecti , per quod linea meridiana duci debet . Si pro umbra gnomonis adhibeatur potius radius solis transmissus per exiguum foramen laminæ metallicæ , quæ solet etiam adhiberi pro Meridianis muralibus ; eodem pacto determinari potest centrum imaginis ovalis exhibitæ ab incursu

radii

radii transmissi in murum momento meridiei determinato per horologium, per quod centrum ducatur linea verticalis exhibens Meridianam quæsitam.

46. Ubi adhibetur stylus applicatus muro, distantia SR (fig. 2) mediæ basis ipsius a linea meridiana, una cum ejus longitudine ST' exhibebit positionem muri respectu plani Meridiani. Si stylus est bene perpendicularis muro, & ejus basis ad S bene circularis; facile invenitur distantia ipsa SR, assumendo nimirum distantiam lineæ meridianæ ab ipsa basi, & ei addendo dimidium ejus crassitudinis: longitudo autem ST (fig. 1) facile determinatur methodo superius indicata, nimirum si ipse stylus desinit in cuspidem, applicando ad ipsam cuspidem planum quodpiam, ut latus regulæ, in positione ad sensum parallela muro, & capiendo per aliam regulam, vel ope circini distantiam muri ab eadem priore regula prope ipsam basim, ne exiguus error commissus in parallelismo regulæ ipsius a plano muri inducat errorem sensibilem in mensuram distantiæ quæsitæ. Si stylus ad minuendos errores natos a penumbra desinit in globulum; determinatâ eo pacto distantiâ plani paralleli ipsi muro tangentis eum globulum, satis est demere semidiametrum globuli ipsius ad habendam distantiam ST centri, quod est adhibendum pro longitudine styli in reliquis determinationibus pertinentibus ad constructionem horologii solaris. Nam pro usu simplicis meridianæ lineæ nullum est opus ipsarum SR, ST' figuræ 2: satis est invenire punctum umbræ momento meridiei, & ducere lineam verticalem.

47. Ad habendam positionem muri respectu plani meridiani adhiberi potest ipsa positio lineæ meridianæ ductæ in ea tabella respectu ejus lateris applicati ad murum ipsum: angulus, quem ea linea continet cum muro, est utique is, quem planum muri continet cum plano Meridiani. Is angulus facile determinatur ducendo in eadem superficie tabellæ, vel in charta ipsi applicata, in qua notata sunt puncta umbræ, & ducta est linea meridiana, lineam huic parallelam, quæ pertingat usque ad id latus. Assumpto ope circini in hac linea parallela intervallo noto in partibus scalæ particularum exiguarum a concursu ejusdem lineæ cum

latere tabellæ, tum distantiâ extremi puncti ejus intervalli a latere ipso, quæ facile obtinetur ope circini ejusdem, habetur sinus anguli quæsiti, dividendo hanc distantiam per illud intervallum.

48. Hæc methodus est multo facilior, quam præcedens per rectas SR, T'R, & multo magis accurata, ac tuta, quam ea, quæ adhiberi solet ope acus magneticæ, pro quo usu fiunt instrumenta, quæ adducto latere regulæ indicantis gradus in limbo instrumenti ipsius ad murum, & capsulâ continente acum magneticam ad consensum hujus cum puncto, quod debet respondere ejus declinationi, obtinetur per indicem simplicem, vel etiam per nonium numerus graduum, vel graduum & minutorum anguli respondentis ei positioni regulæ applicatæ. Declinatio acus magneticæ mutatur etiam intra eundem diem mutatione sensibili: præterea ejus directio mutatur facile a ferramentis parum remotis, & vero etiam a clavibus, quas quis habeat in pera: ipsi etiam lateres, quando muri sunt lateritii, sæpe habent admixtas particulas ferreas. Usus acus magneticæ est admodum periculosus etiam in mensuris geodeticis, quam ob causam ego cum pro additamento ad mensuram graduum Meridiani construxi cum meo Adjutore P. Maire mappam geographicam totius Pontificiæ ditionis, nunquam sum usus acu magnetica, perficiendo omnia per triangula methodo magis operosâ, sed magis exactâ, & magis tutâ.

49. *Scholium* 2. Habitis punctis P, S, E, T' figuræ 2, admodum facile est delineare in plano horizontali horologium solare pro horis incipientibus numerationem a meridie, & a media nocte, quod appellant in Italia horologium Gallicum, est autem commune toti Europæ extra Italiam, & ditionem Turcarum, quanquam etiam in pluribus Italiæ provinciis adhibetur jam illud idem commune. In Italia olim incipiebant numerationem ab occasu solis: tum detractâ semihorâ usus invaluit, ut numerentur a fine vividioris crepusculi adhibendo pro initio noctis momentum distans ab occasu solis per dimidiam horam. Hinc in eo horologio punctum fixum pro occasu solis est hora $23\frac{1}{2}$, variabiles autem sunt horæ tam ortus, quam etiam meridiei, & mediæ noctis, dum in horologio Europæ communi puncta fixa sunt meridies,

dies, & media nox, quæ semper exprimuntur per horas 12, ac variatur hora ortus, & occasus.

50. Ii, qui assueverunt horis Europæ communibus, ægre intelligunt, quo pacto Italicum horologium possit horam exhibere diversis anni temporibus diversam pro meridie, & media nocte, & e contrario in iis Italiæ locis, in quibus substitutæ sunt horæ illæ communes horis Italicis, quæ innovatio cœpit me non solum nato, sed adulto, summam initio difficultatem habuit populus pro concipiendo, quo pacto sine errore enormi, & continuo variabili, occasus solis, pro quo semper agnoverant horam fixam $23\frac{1}{2}$, posset admittere variationem plurium horarum: inde autem frequentes altercationes, utra methodus esset erronea.

51. Reipsa erronea est utraque, si carentem errore censeamus eam, quæ exhibeat mensuram temporis accuratam per divisiones æquales. Intervallum temporis non est æque longum omnibus anni diebus, nec si sumatur a meridie præcedente ad sequentem, nec a solis occasu præcedente ad sequentem. Dividitur utrumque in partes 24, quæ appellantur horæ in utraque numerandi ratione, & horæ singulæ in 60 minuta, singula minuta in 60 secunda; sed hæ ipsæ horæ, hæc minuta, hæc secunda habent durationem diversam tam eodem die in binis methodis capiendi initium, & finem periodi horarum 24, & in utravis methodo diversis anni diebus. Hinc idem numerus horarum, & minutorum non semper exprimit idem temporis intervallum, quod non animadvertunt ii, qui ab infantia consideraverunt horas, & minuta, ut aliquid fixum in se ipso, ad quod omnes durationes temporariæ reducantur.

52. Discrimen inter periodos horarum 24 pertinentes ad diversos anni dies est quidem multo majus in horis Italicis, quam in horis Europæ communibus, sed in utraque numerandi methodo est aliquod, & quidem omnino sensibile. In horologio, quod semper haberet progressum uniformem, periodus 24 horarum Italicarum inveniretur uno anni tempore tribus minutis longior, quam alio, & id discrimen eundo versus polum augetur, versus æquatorem minuitur. Periodus 24 horarum communium vix per

dimidium minutum variatur, quæ variatio in omnibus terræ locis est eadem. Hinc horologium, quod habeat velocitatem constantem, neutri ex hisce binis numerandi methodis potest respondere, sed necessario errat, nisi per accelerationem, & retardationem aptatam diversis anni temporibus adducatur ad repræsentationem horarum congruentem; sed is error, & ea correctionis quantitas per motum idoneum impressum longitudini penduli, vel laminæ elasticæ est multo major in methodo Italica, quam in communi.

53. Idcirco Astronomi, qui indigent mensura æquabili, & constanti, ad quam omnes inæqualitates reducantur, considerarunt tempus, quod appellarunt medium, appellato vero eo, quod dividit intervallum quodcumque inter meridiem præcedentem, & sequentem, ac differentiam inter tempus medium, & verum appellarunt æquationem temporis, qua nimirum additâ, vel ablatâ motus inæqualis reducitur ad æqualitatem numerariam. Cum acceleratio, & retardatio motus facta per variationem vis agentis noceat horologiis, multi horologia sua dirigunt ad tempus medium ita, ut appulsus solis ad meridianum jam præcedat horam duodecimam indicatam ab eorum horologio tot minutis, & secundis, quot exigit æquatio computata pro diversis anni temporibus, cujus additione, vel subtractione utuntur ad reducendam horam indicatam ab eorum horologio, ad horam veram civilem. Fiunt autem horologia, in quibus habentur bini indices, altero, cujus motus est semper æquabilis, indicante horas temporis medii, altero, cujus motus per machinamentum adhibitum acceleratur, ac retardatur per vices, indicante horas temporis medii.

54. Hujus duplicis indicis usum præstant non quidem respectu temporis medii, & veri, sed respectu horarum Europæ communium, & Italicarum motus verticis umbræ per superficiem, in qua alia linearum series exhibet horas priores, alia horas Italicas, quando in eadem superficie habetur delineatio utraque: intervalla diversa inter lineas horarias in locis, per quæ is vertex incedit diversis anni temporibus, efficit, ut indicetur ab eodem illo indice utrumque id horarum genus, quod accurate indicaretur, nisi exigua discrimina orirentur aliunde, ut a retractione.

55. In-

55. Indicabo hic prius methodum obviam, & communiter notam delineandi lineas horarias ope illorum quatuor punctorum, quæ inventa sunt (num. 48) in fig. 2. in plano horizontali, tum indicabo methodum delineandi hyperbolas, quæ pertinent ad binos tropicos, ac determinandi mea quadam methodo lineas horarias Italicas, & innuam, quæ pertinent ad invenienda eadem omnia in plano verticali. Ea omnia indicabo potius, quam exponam per integras delineationes, quod nimis in longum abiret, & pertinet ad fusiorem tractatum de re gnomonica, non ad simplicem applicationem linearum, quæ inventæ sunt mea methodo deducendi polum, ac lineam meridianam, & æquinoctialem e tribus punctis umbræ notatis in plano horizontali, vel verticali pro delineatione horologiorum solarium.

56. *Problema 6. Delineare in plano horizontali omnes lineas horarias indefinitas horologii solaris Europæ communis per ea, quæ inventa sunt in primis tribus problematis.*

57. Sint in fig. 3 puncta P, S, E, T' eadem, ac in fig. 2: ducatur per E recta AB perpendicularis rectæ PE, posito A ad sinistram, B ad dexteram aspicientis in directione EP, nimirum facie obversa ad austrum, ad quem tendit polus horologii respectu styli, qui nimirum tendit ad plagam oppositam respectu poli cælestis remanentis a tergo. Ea erit linea æquinoctialis, nimirum continuatio rectæ ED inventæ in figura 1, parte EA tendente ad orientem respectu solis, & EB ad occidentem, ac umbrâ, quæ tendit ad partes oppositas, denotante in æquinoctiis horas vespertinas in priore, matutinas in posteriore.

58. In recta PE producta capiatur ET'' = ET', tum T''E' = T''E: centro T'' intervallo T''E describatur arcus circuli non multo minor quadrante versus plagam EA: centro E intervallo ET'' inveniatur in eo arcu punctum F, apposito ad F numero 4: secetur arcus EF bifariam in 2, tum singula dimidia iterum bifariam in 1, & 3, ac assumatur arcus F..5 = F..3 versus partem oppositam: applicatâ regulâ ad T'', & successive ad 1, 2, 3, 4, 5, inveniantur in recta EA puncta I, II, III, IV, V (punctum III invenietur facilius centro E intervallo ET''): centro E intervallis

E..I,

E..I, E..II, E..III, E..IV, E..V inveniantur in recta EB puncta XI, X, IX, VIII, VII: ducantur per P, & omnia puncta notata numeris Romanis rectæ lineæ, quæ erunt horariæ horarum iis numeris expressarum: apponatur ad E numerus XII, & linea PE, quæ est meridiana jam delineata, erit hora XII: ducatur per P recta parallela æquinoctiali AB, cui adscribatur utrinque numerus VI indicans horam sextam vespertinam e parte sinistra, matutinam e dextera, & pro iis locis, in quibus sol oritur ante horas matutinas V, & IV occidens post VII, & VIII, producantur ultra P lineæ horariæ terminatæ ad puncta notata iisdem numeris Romanis, matutina pro horis vespertinis, & vespertina pro matutinis.

59. Habebitur eo pacto horologium solare ejus generis completum: vertex umbræ appellens ad lineas numeris Romanis designatas indicabit horas ipsis respondentes.

60. Demonstratio est facilis. In primis, qui aspicit austrum habet partem horizontis orientalem ex parte sinistra, & occidentalem e dextera: hinc sol ante meridiem debet esse respectu lineæ meridianæ ex parte sinistra A, & projicere umbram versus partem oppositam, nimirum versus dexteram B. Is, qui figuram delineatam spectet directione opposità, conversus nimirum versus boream, habebit e contrario horas matutinas ex parte sinistra, vespertinas e dextera.

61. Si autem triangulum PT'E erigatur ita, ut evadat perpendiculare plano chartæ referenti planum horizontale; id jacebit in plano Meridiani: in quo ST' erit altitudo styli, PT' positio axis, per quem cum transeant omnia plana circulorum horariorum sphæræ cælestis, omnes eorum intersectiones cum plano horologii, debent transire per punctum P. Eæ autem debent esse lineæ horariæ indicantes per verticem umbræ horas, quibus sol appellit ad ea plana circulorum horariorum cælestium, adeoque omnes lineæ horariæ debent transire per ipsum polum P horologii solaris.

62. Si autem concipiatur completus circulus EFDE'F'D'E, in quo T''E' sit continuatio radii ET'', & ED, ED' sint quadrantes, ac planum ejus circuli convertatur circa rectam AB, donec recta

recta ET''' abeat in rectam ET' sibi æqualem ; planum ejus circuli congruet cum plano æquatoris . Dum intersectio radii solis advenientis versus verticem styli T' cum eo circulo percurrit semicirculum DE'D', intersectio continuationis ipsius tendentis ad verticem umbræ percurret semicirculum oppositum D'ED, & vertex umbræ rectam æquinoctialem BEA.

63. Si intersectio illa radii advenientis ad stylum consideretur, ut locus solis in æquatore, per cujus arcum fertur ea intersectio motu respondente motui solis ipsius in æquatore cælesti ; dum sol advenit ad E', vertex umbræ debet abire ad E. Si autem sit punctum F' oppositum e diametro puncto F, arcus E'F' erit æqualis arcui EF habenti radium pro chorda, adeoque erit graduum *60*, respondens parti sextæ revolutionis diurnæ, nimirum horis quatuor. Hinc horâ quartâ pomeridianâ sol ille fictitius erit in F', ubi appositus est numerus 4', & intersectio radii progredientis cum eodem circulo transibit per F, ubi est appositus numerus 4, ac umbra terminabitur ad punctum IV lineæ æquinoctialis AB. Diviso autem arcu EF in partes æquales quatuor, singuli arcus ejus divisionis respondebunt singulis horis, & habebitur ab F ad 5 arcus respondens adhuc uni horæ. Horis pomeridianis 1, 2, 3, 4, 5 sol fictitius erit in punctis 1', 2', 3', 4', 5', intersectio radii progredientis in punctis 1, 2, 3, 4, 5, vertex umbræ in I, II, III, IV, V. Horâ sextâ sol fictitius debet esse in fine quadrantis in D', intersectio radii progredientis in D, ejus positione T'''D evadente parallela rectæ EA, quæ est perpendicularis radio T'''E, ut illa directio, adeoque concursus radii cum recta æquinoctiali ita abibit in infinitum, ut nusquam jam sit.

64. Lineæ horariæ debent intersecare lineam æquinoctialem in iis punctis, in quibus ad eam appellit radius transiens per verticem styli eo momento, quo sol appellit ad circulos horarios ipsis respondentes: cum igitur debeant etiam transire omnes per polum horologii P; patet, rectas, quæ ductæ sunt per eum polum, & per puncta vespertina lineæ æquinoctialis notata numeris Romanis, esse lineas horarias respondentes iis numeris. Patet itidem, puncta horarum matutinarum, quæ invenirentur diviso eodem modo quadran-

dran-

drante ED', & altero E'D ipsi respondente, debere jacere in recta EB opposita rectæ EA in distantiis iisdem a puncto E, & ea pertinent ad horas matutinas XI, X, &c. æque distantes a meridie, ac distant vespertinæ I, II, &c. Quamobrem & ipsæ sunt bene determinatæ. Linea meridiana PET''E' est utique linea horæ duodecimæ: linea horæ sextæ, quæ deberet tendere ad puncta lineæ æquinoctialis digressa in infinitum, debet esse parallela ipsi lineæ æquinoctiali, uti est ea, quæ ducta per polum P notata est utrinque per numerum Romanum VI. Demum horæ a se invicem distantes per horas 12 pertinent utique ad eundem circulum horarium, qui cum sit circulus maximus, debet secare æquatorem in duobus punctis diametraliter oppositis. Quare lineæ, quæ respondent horis vespertinis VII, & VIII, debent tendere a polo P ad partes oppositas iis, quæ respondent matutinis designatis per eosdem numeros, distantibus nimirum per horas 12 ab ipsis vespertinis, & viceversa. Patet igitur, rectè determinatas esse lineas omnes, ad quas vertex umbræ advenit horis tam matutinis, quam vespertinis.

65. *Scholium*. Longitudo utilis harum linearum non est hìc definita: vertex umbræ horis indicatis debebit utique appellere ad aliquod punctum linearum ipsis respondentium, & diversis anni temporibus adveniet ad diversa singularum puncta: ea puncta continentur intra certos limites, nimirum inter hyperbolas, quæ sunt intersectiones superficierum, quas describit radius solaris sole percurrente tropicos in binis solstitiis. Quidquid excurrit ultra eos limites, est inutile, & quidquid continetur intra ipsos, est necessarium, si horæ determinari debent per verticem umbræ styli. Eos limites determinabimus in problemate sequenti: hìc interea notandum illud, satis esse exigua etiam segmenta earum linearum, si pro stylo verticali adhibeatur stylus habens inclinationem axis PT': nam hujus umbra debet singulis horis congruere cum rectis horariis, cum ipsa etiam debeat transire per P, & terminari ad punctum, ad quod tendit umbra verticis styli figuræ cujuscumque. Hinc loco styli habentis eam positionem solet etiam adhiberi lamina formæ triangularis P*st*, quæ potest habere longitu-

dinem

dinem quamcumque, dummodo latus Pt, quod debet umbram determinare, habeat directionem axis PT', nimirum dummodo angulus sPt sit æqualis altitudini poli. Sed iis tantummodo indicatis, progrediar ad determinationem limitum hyperbolicorum, qui viam sternent ad meam methodum determinandi horas Italicas, quam invenio admodum commodam pro usu constructionis graphicæ.

66. Problema 7. Determinare limites linearum horariarum per arcus hyperbolarum pertinentium ad binos tropicos.

67. Intersectionem conorum descriptorum a radiis habentium pro basi binos tropicos esse binas hyperbolas, diximus numero 8. Cum sol non possit abire extra zonam cælestem conclusam iis circulis; vertex umbræ projectæ a stylo non potest egredi extra spatium terminatum iis hyperbolis, quas ipse vertex debet percurrere diebus solstitialibus. Eæ hyperbolæ, quas in meis Elementis appello potius ramos oppositos ejusdem hyperbolæ, sic facile determinantur, & construuntur per puncta, per quæ manu ducitur linea continua quæsita.

68. Sint in figura 4 puncta P, S, E, T' itidem eadem, ac in fig. 2, & 3: fiat angulus ET'A versus stylum ST', & ET'A' ad partes oppositas, æqualis uterque inclinationi eclipticæ ad æquatorem, quæ parum differt a gradibus $23\frac{1}{2}$ (nunc quidem est $= 23^{\circ}.28'$ quamproxime, & parum mutatur intra integrum sæculum, effectu mutationis insensibili respectu usus civilis horologiorum solarium) punctis A, A' collocatis in recta PE, & in ejus productione ultra E. Secta bifariam AA' in puncto C, id punctum erit centrum C hyperbolæ habentis nimirum axem transversum AA': ductis AB, A'B' perpendicularibus ad axem PT', recta media proportionalis inter ipsas erit semiaxis conjugatus, cujus magnitudo facile invenietur, capiendo in recta A'B' producta segmentum B'D = AB, secando A'D bifariam in F, & inveniendo in recta B'P producta, si opus sit, punctum G per centrum F, & intervallum FA': erit enim B'G æqualis semiaxi conjugato quæsito: per punctum A' ducatur recta perpendicularis axi hyperbolæ AA', & in ipsa inveniantur centro A' intervallo B'G hinc, & inde puncta H, H': ducantur per C, & per hæc duo puncta binæ rectæ indefinitæ, quæ erunt bi-

 næ

næ asymptoti hyperbolæ quæsitæ : applicatâ regulâ ad punctum A', & circumactâ ita, ut occurrat alteri asymptoto ut CH in I, & alteri H'C in K, assumatur secundum eandem regulam intervallum KL = A'I in directione eadem cum ipsa, & punctum L erit ad hyperbolam quæsitam.

69. Scholium. Hæc omnis constructio pendet a proprietatibus sectionum conicarum, quas omnes cum hac ipsa inventione graphica punctorum evolvi in meo tertio Elementorum tomo. Eo pacto inveniuntur puncta L terminata ad ramum hyperbolæ MAN respondentem tropico cancri : eodem pacto inveniri possunt puncta L' terminata ad ramum alterum M'A'N', qui pertinet ad tropicum capricorni assumendo in positione regulæ I'A'K' segmentum I'L' = A'K' in directione ipsius eadem. Possent etiam inveniri eadem puncta L, & L' circumductâ regulâ circa punctum A, ut punctum L' per concursum ejus regulæ cum asymptoto H'C in O, & CH in Q assumendo in ea QL' = AO in eadem directione cum ipsa AO. Prior ramus fiet facilius, & evadet accuratior priore methodo, in qua circumducitur regula circa punctum A' positum extra eum ramum, & ramus posterior methodo posteriore adhibente punctum A. Ductis tropicis per ea puncta, retinendæ erunt pro usu verticis umbræ projectæ a vertice styli eæ solæ partes linearum horariarum, quæ remanebunt inter tropicos ipsos, & eæ solæ transferendæ in planum, in quo habetur stylus, qui determinavit puncta umbræ, si reliquæ constructiones factæ sunt in chartis separatis, quod omnino præstabit ad evitandam novarum linearum confusionem cum veteribus, translatis in eas iis punctis, & lineis tantummodo, quæ requiruntur ad continuandas operationes.

70. *Problema 8. Determinare lineas horarias horologii Italici*.

71. Si in superficie mobili sphæræ cælestis notaretur arcus congruens cum semicirculo occidentali horizontis, tum, eâ ipsâ retractâ versus orientem, post gradus septem cum dimidio notaretur in superficie immobili arcus congruens cum eo arcu translato, ac alii post alios quosque quindenos ; ii essent arcus horarii horarum Italicarum. Intersectiones plani horologii cum eorum planis essent lineæ horariæ Italicæ. Eæ non habent punctum commune, per quod transeant, ut præce-

cedentes per polum horologii, quo semel invento, & inventis earum punctis pro linea æquinoctiali possunt duci omnes methodo, quam exposuimus. Determinantur æque facile puncta pro ipsis in linea æquinoctiali secando bifariam arcus quadrantis ED figuræ 3 interceptos inter E, & 1, inter 1, & 2, inter 2, & 3, inter 3, & 4, inter 4, & 5, & applicando regulam ad T", ac ad eas intersectiones, quæ tum in linea æquinoctiali exhibebunt puncta pro horis 18, 19, 20, 21, 22, 23. Cum enim in eo horologio occasus solis habeatur semper horâ $23\frac{1}{2}$, & in æquinoctiis, in quibus sol moratur supra horizontem per horas 12, meridies eo die fiat horâ $17\frac{1}{2}$; hora 18 Italica tum est eadem, ac dimidia communis vespertina, hora 19 ipsius eadem ac $1\frac{1}{2}$ communis, & ita porro: horam 23 subsequitur occasus ante 24. Assumendo versus B puncta distantia a puncto E æque ac præcedentia, patet, haberi etiam puncta pro horis 17, 16, 15, 14, 13, 12: horâ 11 sol nondum est ortus. Pro matutinis præcedentibus per æstatem sol jam est supra horizontem in satis magna distantia loci ab æquatore, ubique in Italia is oritur ante horam 9: pro ipsa, & sequentibus 10, 11 puncta sunt eadem, ac pro 21, 22, 23, quæ ab iis distant per horas 12, & ea usum habent pro determinanda directione earum horariarum, invento alio puncto pro singulis, per quod ducendæ sunt ad partes oppositas punctis ipsarum inventis in linea æquinoctiali.

73. Habentur multæ methodi pro inveniendo secundo puncto singularum linearum horologii Italici, ut & communis, etiam pro quavis hora diei cujuscumque, tam per constructionem geometricam, quam per calculum trigonometricum: mihi visa est admodum expedita pro constructione practicâ sequens, quam sæpe adhibui cum successu. Determino declinationem solis, cui respondet mora solis supra horizontem horarum accurate 15, quod facile fit habitâ altitudine poli, ut jam videbimus; ea autem pro nostro hemisphærio est semper australis. Tum meridies cadit in horam 16 accurate, & singulæ horæ Italicæ habent communem sibi accurate respondentem. Delineato horologio pro horis communibus, cum suis lineis horariis, & cum ramo hy-

 per-

perbolæ pro tropico cancri, addo ramum alterius respondentem ei declinationi australi inventæ pro mora solis per horas 15. Is delineatur eodem pacto, quo in fig. 4 tropicus cancri, assumptis ibi angulis ET'A, ET'A' æqualibus ei declinationi: occurrit autem lineis horariis horologii communis, jam delineatis methodo exposita usque adeo expedita, in punctis, quæ respondent horis Italicis accuratis: horæ correspondentes habentur in prima e sequentibus lineis pro horologio Italico, & in secunda pro communi, ut singula earum puncta determinata per eum ramum hyperbolæ adhiberi possint pro singulis illarum, combinanda cum punctis singulis determinatis in linea æquinoctiali, quæ habentur in tertia.

Horis Italicis omnibus

23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9

Respondent communes in hyperbola nova

vespertinæ matutinæ

8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1 | 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6

Prioribus duodecim Italicis respondent in linea æquinoctiali

vespertinæ matutinæ

$5\frac{1}{2}$, $4\frac{1}{2}$, $3\frac{1}{2}$, $2\frac{1}{2}$, $1\frac{1}{2}$, $\frac{1}{2}$ | $11\frac{1}{2}$, $10\frac{1}{2}$, $9\frac{1}{2}$, $8\frac{1}{2}$, $7\frac{1}{2}$, $6\frac{1}{2}$

74. Priores duodecim lineæ horariæ Italicæ habebuntur ducendo a puncto horæ cujusvis lineæ secundæ rectam ad punctum horæ, quæ ipsi respondet in linea tertia: tres postremæ ducentur applicatâ regulâ ad puncta trium priorum horarum lineæ tertiæ, & trium postremarum lineæ secundæ, & ducendo rectam lineam a puncto secundæ ad partes oppositas puncto tertiæ. Omnes hæ lineæ continuabuntur, quantum poterunt usque ad hyperbolas duorum tropicorum, ubi eæ occurrent ipsorum arcubus delineatis in plano destinato pro horologio: nam nec integri rami hyperbolici delineari possunt, cum naturâ suâ abeant in infinitum, nec ad illum, qui respondet tropico capricorni producto etiam in infinitum, pertingerent lineæ pertinentes ad postremas primæ lineæ, quæ præcedunt ortus solis in solstitio æstivo.

75. *Scho-*

75. *Scholium* 1. Secundus ramus novæ hyperbolæ occurret etiam ipse aliquot lineis horariis communibus, nimirum iis, quæ in secunda e superioribus tribus lineis respondent horis, quibus sol moratur supra horizontem, ut ab hora 15 ad 24, & pro iis lineis habebuntur tria puncta, quæ debent jacere in directum, adeoque bina ex iis sufficiunt ad ducendas singulas ex iis lineis horariis. Optimum erit eas tum ducere per ea, quæ habent distantiam maximam, uti sunt ea, quæ determinantur ab iis ramis novæ hyperbolæ: illud tertium, quod habetur in linea æquinoctiali, non erit necessarium, cujus inventio idcirco omitti potest pro his horis: sed cum adeo facile inveniantur, melius est invenire ea etiam, ut appareat an omnia tria puncta ejusdem horæ jaceant in eadem recta, quod indicabit errores in constructione commissos, si qui habentur. Pro reliquis horis non habebuntur nisi bina puncta, quæ tamen sufficiunt ad eam rem.

76. *Scholium* 2. Si sol non remaneat supra horizontem per horas 15 in ea poli altitudine; vertex umbræ nunquam deveniet ad illam hyperbolam novam; adhuc tamen puncta determinata in ejus ramis methodo proposita æque inservient pro determinatione directionis horariarum Italicarum; quia si stellæ fixæ, quæ habentur extra tropicos, haberent satis luminis, iidem circuli horarii inservirent pro horis computatis ab earum appulsu ad Meridianum, & ad horizontem. Hinc pro declinatione respondente moræ supra horizontem horarum 15 posset assumi quævis alia, quæ respondeat cuivis numero horarum impari majore horis 12, qui semper inducet congruentiam meridiei cum hora aliqua Italica accurata. Commodissima pro Italia est declinatio respondens horis 15, quæ inducit satis magnam distantiam mutuam punctorum, per quæ duci debent lineæ horariæ Italicæ, & non requirit distantiam nimis magnam hyperbolæ novæ a linea æquinoctiali, uti induceret declinatio respondens horis 17, & multo magis ea, quæ respondet horis 21.

77. *Scholium* 3. Arcus semidiurnus solis in suo parallelo, a quo pendet relatio horarum Europæ communium cum horis Italicis, facile invenitur pro data altitudine poli, & declinatione so-

lis

lis methodis usitatis, & admodum expeditis tam per constructionem graphicam, quam per calculum trigonometricum. Circulus APBP' (fig. 5), cujus centrum C referat Meridianum cælestem, in quo sit P polus berealis, P' australis, AB intersectio plani horizontis cum ipsius plano, in quo A cardo australis, B borealis, DE intersectio plani æquatoris cum eodem plano Meridiani, cujus punctum D supra horizontem, E infra, FG intersectio plani paralleli cujusvis cum eodem, quæ erit parallela ipsi DE, & abscindet arcus DF, EG æquales declinationi solis (figura exhibet declinationem borealem, quæ inserviet pro declinatione respondente illis horis 15) ac occurret axi PP' in H, quod punctum erit centrum ipsius paralleli, ac horizonti AB in I.

78. Habitâ altitudine poli BP, poterit assumi is arcus, in circulo descripto, duci per centrum C horizon BA, per polum P, & axis PP', tum diameter æquatoris DE ipsi perpendicularis, assumi arcus DF æqualis declinationi, duci diameter FG parallela DE: habebitur ejus concursus cum axe in H, & cum horizonte in I. Centro H intervallo HF fiat semicirculus occurrens axi producto in K, qui referet dimidium circulum parallelum ejus declinationis habentem reipsa planum perpendiculare plano Meridiani, sed hìc applicatum ad ipsum motu facto circa ejus diametrum FG. Ducatur ejus ordinata IL parallela axi P'P: ea abscindet arcum semidiurnum FL, qui conversus in tempus, tribuendo de more singulis 15 gradibus totidem horas, 15 minutis totidem minuta &c., exhibebit intervallum temporis inter occasum solis, & meridiem: id ablatum ab horis $23\frac{1}{2}$ exhibebit horam Italicam respondentem meridiei, nimirum horæ communi 12, ex qua relatione habetur deinde relatio omnium horarum communium, quæ respondent singulis horis Italicis, & viceversa. Pro tropicis nunc quidem declinatio est $= 23°. 28'$: hinc datâ adhuc altitudine poli, habetur ea relatio tota horarum correspondentium.

79. Arcus KL erit excessus arcus semidiurni FL supra quadrantem respondentem sex horis pro declinatione boreali, uti debet esse æqualis, defectus pro australi ipsi æquali: HI est sinus ejus arcus ad radium FH; sunt autem eædem rectæ HF, & HI tangen-

gentes angulorum FCH, HCI ad radium communem GH, quorum angulorum prior est complementum declinationis DCF, posterior est ipsa altitudo poli BCP. Hinc habetur hujusmodi theorema, *cotangens declinationis solis est ad tangentem altitudinis poli, ut radius ad differentiam arcus semidiurni a quadrante*. Si declinatio dicatur d, altitudo poli a, ea differentia x, erit $sin.x = \frac{tan.a}{cot.d} = tan.a\, tan.d$.

80. Per eam constructionem, aut eum calculum trigonometricum, vel eam formulam, datâ altitudine poli, & declinatione solis, habebitur differentia arcus semidiurni a quadrante, quæ conversa in tempus exhibebit, quid addendum sit horis sex ab æquinoctio verno ad autumnale, vel demendum ab hoc ad illud, ut habeatur hora communis pro occasu solis, aut demendum ab horis $17\frac{1}{2}$, vel addendum ad habendam horam Italicam pro meridie; cum nimirum in æquinoctiis occasus factus horâ prioris generis sextâ respondeat occasui horæ posterioris $23\frac{1}{2}$.

81. E contrario per theorema, & formulam numeri 79 invenietur declinatio, quæ respondet datæ cuivis differentiæ arcus semidiurni a quadrante. Dabitur sinus ejus differentiæ x, & invenietur declinatio d ipsi respondens per valorem $tan.d = \frac{tan.a}{sin.x}$, nimirum tangens declinationis quæsitæ dividendo tangentem altitudinis poli per sinum differentiæ propositæ. Sic habebitur declinatio adhibenda in solutione hujus problematis pro constructione novæ hyperbolæ respondentis moræ solis supra horizontem per horas 15: hujus moræ dimidium horarum $7\frac{1}{2}$ habet excessum $1\frac{1}{2}$ supra horas sex respondentes quadranti, cui respondet arcus $x = 22^\circ.30'$. Per ipsum, & altitudinem poli a invenietur declinatio d, cui debent fieri æquales anguli ET'A, ET'A' figuræ 4 ad habendum axem transversum AA' hyperbolæ quæsitæ, & semiaxem conjugatum B'G medium geometrice proportionalem inter perpendicula AB, A'B'.

82. *Scholium* 4. Pro loco, cujus altitudo poli sit data, & data altitudo styli, facile ope numerorum, qui eruantur e tabula

si-

sinuum, fiet constructio utriusque horologii in charta separata; ex qua traducatur ad planum, in quo stylus est erectus, & determinata directio lineæ meridianæ. Ducatur (fig. 3) recta linea, in qua destinato puncto S pro pede styli, & aperto circino proportionis ita, ut bina puncta crurum habentia numerum 100 habeant a se invicem distantiam æqualem altitudini styli: capiantur intervalla SP, SE, quæ respondeant in eodem circino cotangenti, & tangenti altitudinis poli assumptis ad radium 1000, quorum numerorum postrema nota exprimet partes decimas partium exhibitarum ab ea scala, quæ assumentur per æstimationem ultra notas præcedentes exhibitas a punctis impressis in ipso circino: assumatur ex eodem circino intervallum respondens secanti ipsius altitudinis poli: ea secans respondebit rectæ ET' ejus figuræ, sive radio ET'' circuli, quarum linearum in ea charta nullum erit opus, sed id intervallum aptandum erit inter puncta 100 binorum crurum circini proportionis magis aperti, ut gerat vices radii: ducatur per E recta AB perpendicularis rectæ PE, quæ erit linea æquinoctialis, & in ea assumantur versus A intervalla, quæ respondeant tangentibus graduum 15, 30, 45, 60, 75 pro puncto horarum communium I, II, III, IV, V, sunt autem ad radium 100 numeri sequentes 26,8 : 57,7 : 100 : 173,2 : 373,2, & eadem intervalla versus B pro punctis horarum XI, X, IX, VIII, VII: ducantur per ea puncta lineæ horariæ: addatur pro hora VI recta parallela rectæ AB: ducantur per ipsum P rectæ ad partes oppositas punctis lineæ æquinoctialis VII, VIII, V, IV, pro iisdem horis vespertinis ex parte A, & matutinis ex parte B, ac habebitur horologium commune indefinitum.

83. Pro constructione binorum ramorum hyperbolæ pertinentis ad tropicos, dempto ab altitudine poli ST'E (fig. 4) angulo $= 23°.28'$ & ipsi addito, habebuntur anguli ST'A, ST'A'. Horum tangentes assumptæ ope circini proportionis aperti ad radium ST' $= 100$, exhibebunt intervalla SA, SA' pro axe transverso AA', qui erit secandus bifariam in C: addità iis tangentibus cotangente SP altitudinis poli, habebuntur PA, PA': capiatur semisumma logarithmorum eorum numerorum, cui addatur logarithmus sinus altitudinis

dinis poli = SPT': numerus respondens logarithmo ita invento exhibebit binas A'H, A'H' pro asymptotis CH, CH'. Nam erit AB = PA × *sin*.SPT', A'B' = PA' × *sin*.SPT', horum productum PA × PA' × sin^2.SPT', quod cum sit æquale quadrato semiaxis conjugati = $A'H^2$ (num. *68*), erit *log*.A'H = $\frac{1}{2}$(*log*.PA + *log*.PA') + *log*.*sin*.SPT'. Iis habitis delineabuntur methodo ejus numeri bini rami hyperbolæ, qui terminent horologium solare commune.

84. Pro horologio Italico assumentur in fig. 3 ab E versus A, & B intervalla respondentia angulis 7°.30' : 22°.30' : 37°.30' : 52°.30' : *67*°.30' : 82°.30', quæ sunt 13,2 : 41,4 : *76*,7 : 130,3 : 241,4 : 759,*6* : eæ exhibebunt puncta æquinoctialia. Pro hyperbola nova respondente horis 15 moræ solis supra horizontem invenietur in fig. 4 declinatio ET'A = ET'A' per numer. *81* : ejus differentia ab altitudine poli ST'E, & summa, exhibebit angulos ST'A, ST'A', ut prius, & habebuntur omnia pro constructione hujus novæ hyperbolæ, ut numero præcedente pro hyperbola pertinente ad tropicos. Reliqua omnia fient, ut in solutione hujus problematis (*).

85. Factâ delineatione in ea charta separata, notabuntur in e-

(*) Hæc postrema tangens evadit nimis longa, nec lineæ EA, EB poterunt satis produci in ea charta, in qua fit reliqua delineatio, quod accidet aliquibus etiam e tangentibus horologii communis, & e præcedentibus hujus Italici, si stylus sit longus. Habentur modi determinandi directiones linearum, quæ a punctis propioribus deberent duci versus ea puncta ita remota, etiam tantummodo mente concepta, vel ad partes oppositas, ad quem usum solum ea adhibenda sunt, ubi tam longe distant. Si ejusmodi punctum est ipsum P; poterit assumi ab ipso versus E dimidium rectæ PE, vel ejus triens, aut quadrans, & duci ex ejus fine recta parallela rectæ AB in eadem ratione minor tangente proposita, tum e puncto P recta versus punctum extremum hujus, vel versus partem oppositam. Si punctum illud propius est aliud punctum; ducenda erit ex eo recta perpendicularis rectæ AB, & ipsius distantia a puncto E assumpta ex eadem scala addenda erit ei tangenti, vel demenda ab illa, prout ea perpendicularis jacebit ad partem oppositam rectæ PE, vel ad eandem, ut habeatur in numeris distantia ejusdem lineæ perpendicularis ab illo puncto remoto: imminuto numero hujus distantiæ, & ipsâ perpendiculari in eadem ratione, invenietur eodem pacto punctum, per quod, vel ad cujus partem oppositam ducatur linea quæsita.

jus recta' PE figuræ 3 duo puncta centro T' intervallo quovis, quod erit notatum alicubi in eadem charta, & alia duo puncta in distantia a puncto S æquali eorum distantiæ notabuntur hinc, & inde in directione ad sensum perpendiculari ad directionem PE: perforatâ eâ chartâ in S, inseretur stylus in aperturam, & chartâ ipsâ applicatâ ad planum horologii conservandi ita, ut recta PE habeat directionem lineæ meridianæ determinatæ, ac tractâ in latus prius secundum directionem rectæ PE, tum secundum ipsi perpendicularem, vertex styli distet a punctis notatis per intervallum illud notatum, transferentur per impressionem cuspidis cujuspiam in planum subjectum puncta extrema linearum horariarum cum binis punctis determinantibus lineam æquinoctialem, & aliis pluribus determinantibus ramos hyperbolæ pertinentis ad tropicos, si libeat habere & ipsos, ad videndam congruentiam viæ verticis umbræ in solstitiis cum perimetro ejus hyperbolæ, non vero ramos hyperbolæ novæ, quæ nullius jam erunt usus. Detractâ chartâ, quæ fuerat adhibita pro delineatione, delineabuntur in plano subjecto lineæ horariæ cum linea æquinoctiali, & ramis hyperbolicis tropicorum, ac habebitur horologium solare liberum a lineis inutilibus.

86. *Problema 9. Determinare, quæ pertinent ad delineationem horologii solaris in plano quovis verticali.*

87. Referat jam figura 6 planum verticale, in quo puncta R, S, T', E, Q sint eadem, ac in fig. 2. Ducatur per E, ut prius, recta AEB (*) perpendicularis rectæ PE occurrens rectæ verticali

(*) Si murus habeat superficiem spectantem meridiem, utut stylus ipsi perpendicularis non dirigatur accurate ad cardinem australem, sed deflectat versus ortum, vel occasum; oriens remanebit ad dexteram spectantis murum, & occidens ad sinistram: hinc cum punctum S in hac figura jaceat ad dexteram respectu puncti meridiani R, stylus dirigitur in ea positione ad partem horizontis occidentalem respectu cardinis australis respondentis puncto R ipsi opposito. In utramvis plagam deflectat murus, semper oriens jacebit ad dexteram spectantis ipsum, & occidens ad sinistram: hinc e contrario jacebunt hic puncta A, & D respondentia horis vespertinis ad dexteram B, D', ad sinistram respectu puncti E, ac F, itidem ad dexteram respectu puncti O, cum omnibus numeris vespertinis 1, 2, 3 &c., I, II, III &c.: puncta vero B, D', cum horis vespertinis e contrario ad sinistram.

cali PQ in G : in ipsa PE producta capiatur ET'' = ET', ac centro T'', intervallo eodem T''E, describantur bini quadrantes circuli ED, ED', posito D ex parte orientali, quæ hìc jacebit ad dexteram respectu aspicientis directione T''E, dum in fig. 3 jacebat ad sinistram : nam ibi concipiebatur facies obversa austro, dum hìc spectator habens faciem obversam muro habet austrum a tergo. Recta T''G occurrat ei arcui in O, & ea erit directio radii meridiani in plano æquatoris applicati ad planum muri, qui radius in eo progrediens denotabit meridiem per appulsum verticis umbræ ad G ; adeoque punctum O hìc respondebit meridiei, & puncto G adscribendus erit numerus XII. Divisiones arcus ejus circuli incipient a puncto O pro horis matutinis versus partem occidentalem oppositam soli, & pro vespertinis versus orientalem. Hinc inveniendum erit in eo circulo punctum F versus D, facto centro non in E, sed in O, & intervallo OT''. Dividatur arcus OF, in partes quatuor, appositis numeris 1, 2, 3, 4, & assumptis, si nondum fuerit deventum ad D numeris 5, 6 &c, & ex parte opposita assumantur ad easdem distantias numeri 11, 10, 9 &c. Ea puncta assumenda erunt ad id intervallum per solum semicirculum DED', non ultra ipsum ; nam soli radii, qui vel adveniant ad T', sole existente supra horizontem, vel concipiantur advenire sole depresso infra ipsum, directione tendente ad puncta jacentia intra eum semicirculum, producti incurrent in rectam AEB, & ii etiam, qui concipiantur advenire a sole depresso infra horizontem, producti incurrent omnes : ad puncta eorum incursuum radii utique non advenient, impediente incursum terrâ interjectâ, adeoque ea puncta non inservient immediate ad determinandam horam per umbræ verticem, sed erunt usui ad determinandas lineas horarias, quarum eæ partes, quæ remanebunt infra continuationem HL rectæ RS horizontalis, & jacentis in plano horizontali transeunte per verticem T' styli ST', vel ST'' redditi suæ positioni horizontali perpendiculari plano muri, adeoque & rectis PE, HL existentibus in ipso muro, pertinebunt ad positionem solis elevati supra horizontem, hinc eæ erunt conservandæ post delineationem horologii in charta, & transferendæ in

murum, deletis, ut jam inutilibus, iis, quæ extabunt supra ipsam horizontalem HL.

88. Applicatâ regulâ ad T'', & ad omnia puncta semicirculi notata numeris Arabicis 1, 2, 3 &c., invenienda erunt in recta AB puncta ipsis respondentia, quæ erunt notanda Romanis I, II, III &c. ac pertinebunt ad lineas horarias horologii communis ducendas per polum P, & per puncta notata iis numeris, ac habebitur horologium commune indefinitum. Ducendi erunt bini rami hyperbolæ pertinentis ad tropicos, qui definientur, ut num. 68 per angulos (fig. 4) ET'A, ET'A' graduum 23, minutorum 30 demptos, & additos angulo ST'E invento (num. 38), qui non erit æqualis altitudini poli ejus loci, in quo fit horologium, sed alterius habentis horizontem parallelum plano muri. Pro horologio Italico determinanda erunt in fig. 6 puncta horarum in recta æquinoctiali AB per puncta semicirculi intermedia inter 0, & 1: 1, & 2: 2, & 3 &c., ac inter 11, & 12: 10, & 11: 9, & 10 &c. Ducendi rami hyperbolæ novæ pertinentis ad declinationem, quæ exhibet horas 15 moræ solis supra horizontem, per constructionem propositam pro horologio horizontali, adhibito in fig. 4 angulo ET'A, ET'A' æquali ei declinationi, qui rami in lineis horariis communibus determinabunt puncta horariarum Italicarum, ac per illa æquinoctialia, & hæc determinata ab hisce ramis ducentur, prorsus ut in horologio horizontali, lineæ horariæ Italicæ in verticali proposito.

89. *Scholium* 1. Possunt hìc etiam applicari numeri assumpti e tabulis sinuum, qui reddant constructionem & simpliciorem, & accuratiorem. Assumptâ longitudine styli ST' (fig. 4) pro radio = 100, erit SP cotangens anguli SPT' inventi (num. 38), SE ejus tangens, cum nimirum sit tangens anguli ST'E æqualis ipsi, ac ET' secans ejusdem accipienda pro radio relate ad tangentes assumendas pro distantiis punctorum, quæ respondent horis, vel semihoris in linea æquinoctiali AB. Discrimen consistit in eo, quod ibi in fig. 6 idem punctum E erat initium tam pro horis a meridie, quam pro tangentibus arcuum circuli DED'; dum hìc initium pro horis a meridie est O, & pro tangentibus E.

90. Hinc

90. Hinc oportet prius invenire arcum EO, qui metitur angulum ET''G: assumenda enim erit summa arcus cujusque horarii, & ejus arcus, vel differentia, prout punctum horæ jacuerit respectu puncti O ad partem oppositam puncto E, vel ad eandem, pro habendo arcu intercepto inter punctum respondens horæ cuilibet, & punctum E, cujus arcus sumenda est tangens. Porro angulus ET''G, quem metitur arcus EO, invenitur admodum facile, inventis in figura 2 rectis PR, RS, PE, ET'. Est enim in fig. *6*. PR : RS :: PE : EG $= \frac{RS \times PE}{PR}$, & tangens anguli quæsiti ET''G $= \frac{EG}{ET''} = \frac{RS \times PE}{PR \times ET'}$. Quod pertinet ad ramos tam hyperbolæ tropicorum pro terminando horologio quovis, quam novæ hyperbolæ respondentis arcui diurno horarum 15 pro inveniendo secundo puncto horarum Italicarum, absolvitur eodem modo, advocato in subsidium calculo numerico, quo pro horologiis horizontalibus.

91. *Scholium* 2. Multo accuratius obtinentur omnia, & constructione multo faciliore, saltem pro horis solstitialibus, si adhibeatur in subsidium Trigonometria sphærica; licet accedat labor non sane exiguus resolvendi pro singulis horarum punctis singula triangula sphærica, quæ pro horis æquinoctiorum possunt reduci ad rectangula, sed pro solstitialibus sunt obliquangula, adeoque resolutionis magis operosæ. Ea methodus est multo magis utilis pro horologiis verticalibus, pro quibus methodus, quam propósuimus in hoc Opusculo, est magis complicata, quam pro horizontalibus. Singula triangula sphærica debent determinare pro horis singulis azimuthum solis, & ejus distantiam a zenith, quibus inventis, admodum facile invenitur punctum horæ quæsitum.

92. Sit in fig. 7 AOBD horizon, in quo A cardo australis, O orientalis, B borealis, D occidentalis, Z zenith, P polus in semicirculo AZB Meridiani, S locus solis, ZSC circulus verticalis, qui determinat arcum azimuthalem AC computatum a cardine australi, & in quo habetur altitudo solis CS supra horizontem. Habebitur pro quovis die arcus PS, qui est quadrans in æqui-

æquinoctiis, & complementum declinationis quovis alio tempore, nimirum summa quadrantis $= 90^\circ$, & declinationis, si ea est australis, differentia, si borealis. Quare is arcus in solstitio æstivo est $= 90^\circ - 23^\circ.28' = 66^\circ.32'$, & in solstitio hyemali $= 90^\circ + 23^\circ.28' = 113^\circ.28'$: latus alterum trianguli sphærici est PZ complementum altitudinis poli, sive latitudinis loci. Quare ea latera sunt cognita, & constant eadem toto eo die, intra quem habetur quidem mutatio declinationis, sed ea in solstitiis est prorsus insensibilis, in æquinoctio exigua, & prorsus negligenda, ubi agitur de horologiis solaribus. Remanet variabilis angulus in P, qui pro aliis horis est alius, pro quavis suus.

93. Pro horologiis Europæ communibus ordo resolutionis triangulorum, est facilior, & calculus brevior, quam pro Italicis. Incipiendum est ab angulo $ZPS = 15^\circ$, tum progrediendo per 30 45 &c. addendo semper 15°, invenietur angulus ad Z, cujus notandum erit pro quavis hora supplementum pro azimutho computato a cardine australi, & distantia ZS a zenith: calculus continuandus erit, donec angulus ad P evaserit per continuam additionem minor eo, qui respondet arcui semidiurno pro illa altitudine poli, & declinatione respondente tropicis, vel ei æqualis. Pro æquinoctiis hora occasus est sexta, cui respondet angulus $= 90^\circ$, hinc non habentur nisi 5 triangula, nimirum usque ad angulum $= 75^\circ$: pro tropicis invenitur angulus semidiurnus per num. 77. Etiam distantia a zenith docet, quousque progrediendum sit: nam ubi ea nimis accesserit ad quadrantem, qui habetur in occasu, constabit, triangulum sequens fore inutile: habebitur autem idem azimuthus, & eadem distantia a zenith pro hora quavis matutina, & vespertina æque distante a meridie.

94. Pro horologiis Italicis angulus ZPS in occasu tempore æquinoctiali erit itidem $= 90^\circ$, a quo numero oportebit demere $7^\circ.30'$ pro hora 23, tum 15° pro singulis sequentibus, donec relinquatur minus 15 gradibus, azimutho tendente usque ad eum limitem versus occasum: ultimum residuum, quod erit $7^\circ.30'$, relinquet $7^\circ.30'$ pro hora 17 versus orientem, & additis 15 gradibus pro singulis horis præcedentibus, habebitur angulus P pro ipsis usque ad horam

ram 12, quæ relinquet 7°. 30': hora 11 sol nondum est ortus. Pro solstitiis invento arcu semidiurno, oportebit itidem demere gradus 7°. 30' pro hora 23, tum pro singulis horis præcedentibus demendi erunt gradus 15, donec habeatur residuum minus eo numero graduum, azimuthis jacentibus usque ad eum limitem versus occidentem: tum, subtracto residuo ipso a 15°, succedent horæ matutinæ cum azimutho jacente versus orientem, & subtractioni graduum 15 succedet additio, donec deveniatur ad angulum majorem semidiurno, qui jam erit inutilis.

95. Habitis azimuthis, & distantiis a zenith, facile determinabuntur puncta horarum singularum pro plano horizontali, facto centro in puncto, quod debet respondere pedi styli, quovis intervallo, describatur circulus, & ducatur ejus radius, qui poterit appellari primus, ac debet dirigi versus cardinem borealem horizontis, versus quem debet abire umbra in meridie tendens ad partem oppositam soli jacenti tum versus austrum: assumatur in eo circulo arcus æqualis arcui invento azimuthali ad plagam orientalem, vel occidentalem, prout is fuerit e contrario occidentalis, vel orientalis, ac ducatur radius ad ejus finem, in quo invenietur punctum extremum umbræ, capto intervallo æquali tangenti distantiæ a zenith assumptæ ad radium æqualem altitudini styli captæ in circino proportionis, ad cujus numeros 100 applicata fuerit ipsa styli altitudo. Facile concipitur, cur capienda sit ea tangens pro longitudine umbræ: si enim concipiatur stylus productus usque ad superficiem sphæræ cælestis; is abibit ad zenith, ac angulus, quem continebit cum radio solis adveniente ad verticem styli, erit distantia a zenith solis ipsius, cui est æqualis angulus contentus a stylo, & radio progrediente ad punctum extremum umbræ: is autem radius est hypothenusa trianguli rectanguli habentis pro binis lateribus altitudinem styli, & longitudinem umbræ oppositam angulo sito in vertice styli ipsius.

96. Inventis punctis pro horis singulis duci poterunt facile omnes lineæ horariæ etiam Italicæ sine ulla necessitate hyperbolæ illius novæ respondentis moræ solis supra horizontem per horas 15. Invenietur autem polus horologii assumpto in productione

ne primi radii ultra pedem styli intervallo æquali cotangenti altitudinis poli assumptæ ad eundem radium ex eadem apertura ejusdem circini proportionis, & linea æquinoctialis, assumpto in ipso primo radio intervallo æquali tangenti ejus altitudinis: ductâ enim ex ejus fine rectâ perpendiculari ipsi primo radio, habebitur linea æquinoctialis, in qua debent jacere omnia puncta inventa pro æquinoctiis.

97. Cum omnes lineæ horariæ horologii Europæ communis debeant transire per polum inventum, habebuntur pro singulis horis ejus horologii, demptâ horâ sextâ, tria puncta, quæ debebunt jacere in directum, nimirum polus ipse, punctum horæ ipsius inventum pro solstitio æstivo, & punctum ejusdem, aut horæ distantis ab ipsa per horas 12 inventum pro æquinoctiis: pro hora autem sexta, cujus punctum æquinoctiale abit utrâque e parte in infinitum, linea horaria habebit duo puncta, polum, & punctum inventum pro solstitio æstivo, quæ debebunt jacere in recta parallela lineæ æquinoctiali: pro horis autem omnibus, pro quibus inventa erunt etiam puncta pertinentia ad solstitium hyemale, accedet reliquis determinantibus eam lineam horariam etiam illud quartum.

98. Respectu horarum Italicarum puncta, quæ fuerint inventa pro æquinoctiis, debebunt itidem jacere omnia in recta æquinoctiali. Habebuntur pro singulis saltem duo puncta, alterum respondens solstitio æstivo, & alterum respondens æquinoctiis pro eadem hora, vel pro ea, quæ ab ea distet per horas 12, & pro iis, quæ habebunt suum punctum etiam respondens solstitio hyemali, accedet etiam tertium. Duo sufficient ad ducendam lineam horariam, plura inservient pro confirmanda constructionis exactitudine per ipsorum positionem in directum.

99. Pro horologiis verticalibus, habito puncto, cui debet respondere vertex styli ad perpendiculum, hujus longitudine, & declinatione muri operatio erit magis composita, adhuc tamen etiam pro horologio Italico res perficietur sine ulla hyperbola. In primis si in fig. 8 S sit illud punctum; ducetur per ipsum recta HL, quæ debet respondere lineæ horizontali denotatæ iisdem litteris

teris

teris in figura 6, tum recta ST perpendicularis huic, quæ referat longitudinem styli: assumptâ hac pro radio partium 100 in circino proportionis, ad cujus numeros 100 ea fuerit applicata, vel in alia scala quacumque accipietur in recta horizontali HL recta SR æqualis cotangenti anguli, quem planum muri continet cum plano Meridiani ad lævam aspicientis murum, vel ad dexteram, prout aspectus muri respondens directioni styli perpendicularis ipsi deflectet versus occidentem, vel versus orientem: ita enim, si concipiatur recta ST perpendicularis rectæ HL, & æqualis longitudini styli, cum triangulo RST, cujus planum reducatur ad horizontalitatem, latus ST referet positionem horizontalem styli, angulus TRS inclinationem muri respectu horizontis, hypothenusa continuationem radii solis positi in Meridiano post transitum per verticem styli. Ducatur per R recta RQ perpendicularis eidem horizontali HL, quæ erit linea meridiana.

100. Pro inveniendo puncto extremo umbræ pertinente ad horam datam quamcumque, concipiatur centro T radio TS circulus, qui referat circulum horizontalem figuræ 7, sed applicatum ad planum verticale: is autem occurrat in A rectæ RT jacenti in plano Meridiani ultra T & in I radio ST itidem producto. Respondebit hic A eidem cardini australi, ac ibi, & I puncto horizontis, ad quod tendit directio styli ST.

101. Sit igitur in hac figura 8 AC idem arcus azimuthalis, ac inventus ibi, & planum quadrantis circuli verticalis transeuntis per solem, qui ibi erat ZSC, erit hic planum transiens in positione circuli reddita suæ horizontalitati per rectam CT, quæ concipiatur producta usque ad rectam HL in B: angulum STB = ITC metietur arcus IC, summa vel differentia binorum, quorum alter est arcus IA constans respondens inclinationi muri, & alter arcus azimuthalis inventus AC. Sit BF intersectio ejus plani verticalis cum muro, quæ erit itidem verticalis transiens per B continuationem rectæ CT: in ipsam autem BF positam in eo plano incidet post transitum per T radius solis positi in plano eodem, ac erit angulus BFT æqualis distantiæ solis a zenith inventæ, cum nimirum recta verticalis FB tendat versus zenith, & recta FT ad solem.

Hinc si angulus constans STR, nimirum complementum ejus, quem planum muri continet cum plano Meridiani, dicatur a, summa, vel differentia hujus, & azimuthi computati a cardine australi pro quavis hora b, distantia solis a zenith d, & sumatur ST pro radio $= 100$, erit SR $= tan.a$, SB $= tan.b$, BT $= \frac{1}{cos.b}$, $\frac{BT}{BF} = tan.BFT = tan.d$, adeoque BF $= \frac{BT}{tan.d} = \frac{1}{tan.d \times cos.b}$, assumptis $tan.a$, $tan.b$, $tan.d$, $cos.a$, e tabula sinuum ad radium $= 100$.

102. Eo pacto sine ulla delineatione in charta habebitur per numeros erutos e tabulis sinuum prius valor rectæ horizontalis SR pro ducenda linea meridiana RQ, tum pro quavis hora in eadem recta horizontali valor distantiæ SB, & inde in verticali valor BF. Ii valores accipi poterunt in scala efformata e longitudine styli ST divisa in partes 100: libella indicabit lineam horizontalem, filum cum pondere lineam verticalem. Linea æquinoctialis poterit duci per duo e punctis horarum remotiorum determinatis pro æquinoctiis, in qua debent jacere etiam reliqua omnia.

103. Superessent regulæ pro determinanda plaga, versus quam assumenda sit recta horizontalis SB, nimirum ad dexteram, vel ad sinistram aspicientis, quas supplere potest figura etiam crassius delineata, ut & determinatio punctorum pertinentium ad horas, quibus sol latet post murum, quæ sunt necessariæ ad ducendas lineas horarias, quarum nondum habentur duo puncta per methodum expositam: in iis autem debet concipi radius adveniens ad murum supra lineam horizontalem HL, prius, quam ad verticem styli. Ea omnia definiri utique possent per calculos numericos analogos hic propositis, sed res in longum abiret. Verum quod pertinet ad secundum punctum inveniendum pro quavis linea horaria, pro qua habebitur semper unum respondens solstitio æstivo, satius erit invenire lineam æquinoctialem, & in ea positionem puncti pertinentis ad horas singulas methodo proposita numero 89, quæ itidem adhibet calculum, & adhuc faciliorem, ac ducere quamvis lineam horariam ope ejus puncti æquinoctialis per punctum inventum ope Trigonometriæ sphæricæ adhibitæ pro solis horis solstitiali-

tialibus. Præstabit autem etiam pro hujusmodi horologiis adhibere prius delineationem in charta ope scalæ minoris, ut appareat, an omnia rite constent, & inter se conveniant. Translatio e charta in murum fiet facile ante collocationem styli ope duplicis scalæ, quarum altera brevior exhibeat partes centesimas ipsius respondentis delineationi factæ in charta, altera longior partes centesimas longitudinis ipsius adhibendæ pro muro. In ipsa charta ducetur recta perpendicularis horizontali HL, & pro quovis puncto F distantia ipsius ab ea recta accepta circino exhibebit ope scalæ minoris numerum centesimarum styli collocandi respondentem distantiæ horizontali SB, ac eodem pacto invenietur numerus centesimarum respondentium rectæ verticali BF.

104. Selecto puncto S, quod debeat respondere vertici styli, assumetur e scala majore tam distantia horizontalis SB, quam verticalis BF, quæ facile transferentur in murum ope fili, cui appensus sit globulus, ope cujus libere pendentis determinabitur verticalis BF, post determinatam horizontalem SB.

105. Eo pacto transferentur in murum puncta, quotcumque opus fuerit, ad habendas in ipso tam lineas horarias, quam lineam meridianam, & æquinoctialem, ac tropicos.

106. Pro collocando stylo notabuntur in linea HL chartæ duo puncta, & in verticali ducta per S tertium ad distantiam eandem arbitrariam: invenientur iis respondentia in muro: determinabitur in charta distantia puncti T ab altero e binis notatis in recta HL: tum factâ aperturâ in S collocabitur stylus ita, ut ejus vertex habeat distantiam ab iis tribus punctis muri respondentem inventæ in charta. Stylus ita collocatus habebit & verticem respondentem puncto S, & longitudinem debitam delineationi jam factæ.



OPUSCULUM XIV.

DE VERIFICATIONE MACHINÆ PARALLACTICÆ.

PRÆFATIO.

I. Hoc ego Opusculum transmiseram ex Italia ad Academiam Parisiensem ineunte anno 1772, quod ipsa destinaverat typis, approbatum pro impressione a celeberrimis Academicis de La-Lande, & Cassino filio. Plura alia transmiseram prius, quorum duo sola, quæ pertinent ad orbitas cometarum prodierunt inter monumenta ejus auctoritate impressa. Quid iis acciderit, quæ altercationes sub ipsum meum adventum Parisios ea occasione exortæ sint, ut & aliæ paullo post occasione alterius mei Opusculi de novo genere micrometri objectivi, satis indicavi in secundo, ac tertio hujus collectionis Tomo. Ea me impulerunt ad repetenda quæcumque nondum impressa fuerant, quæ omnia continentur in hac ipsa Collectione, aliis perquisitionibus permixta, & aucta plurimum, ac ordine mutato. Hoc edendum censui, uti fuerat tum typis destinatum, sine mutatione ulla retinendo etiam enunciationem mearum formularum differentialium pertinentium ad Trigonometriam sphæricam, uti eas ibi enunciaveram, licet nonnullarum ex iis nullus hìc usus occurreret. Eæ inveniuntur cum suis demonstrationibus in alio Opusculo, quod huic immediate subjiciam.

II. Illud Opusculum subsequens destinaveram postremo Tomo; sed ipsum huc transferendum censui, ut haberetur in ea serie integra complementum eorum, quæ pertinent ad idem argumenti genus, quorum usus cum hìc occurrat, & occurrerit etiam in aliis nonnullis ex Opusculis præcedentibus hujus Tomi, ac id gereret vices eorum, quæ in Gallia appellantur *des pièces justificatives*.

III. Retento toto textu sic, ut fuerat destinatum typis ab ipsa Academia, adjiciam identidem adnotationes nonnullas, ubi se occasio præbuerit. Occurret usus methodorum quarundam, quas adhibui

hibui etiam in præcedentibus Opusculis hujus ipsius Tomi; sed habebitur applicatio earum amplior, & non nihil diversa: applicationes autem ad usus analogos, & formulæ, quæ hìc inde proveniunt, congruentes cum ibi inventis pro perquisitionibus analogis, omitti non poterant in Opusculo, cujus textum proposui hìc exhibendum, uti fuerat tum ab iis doctissimis viris pro impressione approbatum.

IV. Descriptionem hujus machinæ parallacticæ videre est in Astronomia ipsius de La-Lande, opere sane immortali, ubi is inter cætera recentioris Astronomiæ instrumenta ipsius formam, & usum clarissime exposuit. Ad eam formam, ipso curante, constructa fuerat Parisiis pro Mediolanensi specula ea, cujus verificatio occasionem præbuit huic Opusculo, in quo si quis alicubi hæreat, illam consulat partem ejus ipsius Astronomiæ.

§. I.

Brevis notio machinæ, & scopus hujusce Opusculi.

1. NOTISSIMA est constructio machinæ parallacticæ, & ejus usus pro comparando astro positionis ignotæ cum fixa cognita, vel inveniendo etiam interdiu astro positionis cognitæ. Ea habet binos axes cum telescopio. Axis primus debet esse parallelus axi Mundi, & habet sibi adnexum indicem, qui in circulo referente æquatorem diviso in horas, & dena, vel quina minuta denotat horarios circulos, ac pertinet ad ascensionem rectam. Secundus debet esse perpendicularis plano transeunti per axem telescopii, & rectam parallelam axi primo; habet autem sibi adnexum indicem, qui in semicirculo conjuncto cum telescopio indicat declinationes mutatas motu telescopii ipsius circa eundem axem: telescopium instruitur micrometro, quod sæpe solet esse rhombus habens alteram diametrum duplam alterius (*).

2. Si

(*) De hoc rhombo agetur in Opusculo XVI. Ejus usum pro hac machina videre est in ipsa Astronomia ejusdem de La-Lande: ejus ope differentia declinationis binorum astrorum habetur per differentiam distantiæ ab ejus vertice, pro differentia distantiæ ab intersectione filorum in loco imaginis.

2. Si machina sit accurate constructa, & rite collocata; axis primus debet habere illum parallelismum cum axe Mundi accuratum, ac diameter major rhombi debet esse accurate posita in plano parallelo axi primo: tum quævis fixa motu diurno percurrit intra rhombum viam parallelam axi minori, quæ bifariam secatur a majori, & æquatur distantiæ suæ a vertice ipsius rhombi propiore. Circumducto telescopio cum axe secundo circa axem primum, quodvis punctum campi percurrit circulum parallelum æquatori cælesti, unde nomen ducitur machinæ parallacticæ. Immoto autem axe primo, si telescopium circumducatur circa secundum, tota diameter major rhombi semper est in eodem circulo horario.

3. Plerumque ea machina adhibetur tantummodo ad inveniendum, ut innuimus, astrum positionis cognitæ, etiam interdiu, vel directo telescopio in astrum incognitum inveniendam ejus motu circa axem primum fixam aliquam cognitam, cum qua id conferri possit, nimirum quæ habeat declinationem ita parum diversam a declinatione astri ignoti, ut telescopii immoti campum subire debeat utrumque astrum: ex eorum appulsibus ad latera rhombi, vel si hujus directio non nihil declinet a positione debita, ab iis, & ab appulsu ad majorem diametrum, deducitur differentia ascensionis rectæ, & declinationis eorum astrorum. Ad eam rem satis est constructio, & positio tantummodo proxima debitæ. Sed si eæ sint accuratæ; usus machinæ evadit multo præstantior. Collocatio accurata solius primi axis exhibet accuratam illam descriptionem parallelorum, qua fit, ut factâ observatione alterius e binis astris, non sit expectandum, donec alterum deveniat ad campum telescopii immotum; sed statim id ipsum potest adduci ad alterum, & notato motu indicis percurrentis æquatorem, is una cum intervallo temporum, quibus deveniunt ad diametrum majorem, vel ad horarium transeuntem per verticem rhombi, determinat differentiam ascensionis rectæ: differentia declinationis invenitur ibi eo casu prorsus eadem, & eodem pacto, quo si telescopium fuisset immotum.

4. Quod si & secundus axis sit rite positus, vel innotescant erro-

errores ejus collocationis; potest immediate per unicam observationem astri ignoti haberi ejus positio sine ulla comparatione cum fixa cognita. Investigatio errorum provenientium a mala dispositione axium in machina, vel positione mala machinæ, & methodus vel corrigendi errores, vel habendi eorum rationem pro usibus propositis est argumentum hujusce Opusculi utilissimum sane.

5. Incipiemus ab axe primo. Pro cognoscendo ejus statu, & corrigendo, si supponatur accurata, & distincta divisio æquatoris, sufficiunt binæ observationes fixæ cujusvis cognitæ: sine ea suppositione requiruntur tres. Trademus unam methodum rei perficiendæ per binas observationes, tum tres diversas idem præstandi per tres, quarum postremam censemus opportunissimam, adeoque ipsi & exemplum applicabimus.

§. II.

De positione axis primi determinanda, supposità satis accuratà divisione circuli ascensionis rectæ.

6. Si circulus ascensionis rectæ sit rite divisus; poterit haberi positio ejus axis per binos appulsus ejusdem fixæ ad campum telescopii. Sit (fig. 1 Tab. IX) P polus Mundi, A polus machinæ, S, S' sint bina loca fixæ intra campum telescopii, V, V' bina loca verticis rhombi, vel intersectionis filorum micrometri, & quæratur positio puncti A.

7. Ductis arcubus PVS, PV'S', AV, AV', VV', & AB perpendiculo in hunc postremum, innotescent arcus PS, PS' æquales complemento declinationis cognitæ ejus fixæ, & VS, V'S' habebuntur ex observatione, adeoque innotescent etiam PV, PV'. Erit autem isosceles triangulum VAV' ob motum puncti V circa polum A, & proinde basis VV' erit secta bifariam in B, ac dabitur angulus VPV' ex intervallo horario converso in partes circuli, & VAV' e divisione circuli machinæ destinati pro ascensionibus rectis.

8. Hinc in triangulo VPV' innotescet basis VV', & angulus PVV' ex datis lateribus cum angulo intercepto in P, adeoque habebi-

bebitur & VB ejus dimidium: cum igitur habeatur & VAB dimidium VAV', innotescet in triangulo VBA rectangulo ad B latus VA cum angulo BVA, quo ablato ab invento BVP, habebitur PVA, ex quo, & lateribus VP, VA habebitur latus PA, & angulus VPA, nimirum distantia a polo Mundi poli machinæ quæsiti, & positio ipsius respectu horarii PV noti ex hora, & ascensione recta fixæ datæ.

9. Si Z sit zenith; habebitur ex hora observationis, & hora cognita appulsus fixæ ad meridianum angulus VPZ, ex quo, & angulo VPA invento innotescet angulus APZ, adeoque ob inventum latus AP, & notum complementum PZ altitudinis poli habebitur tam angulus AZP, circuli verticalis transeuntis per machinæ polum A, qui est mensura deviationis horizontalis ipsius axis, quam latus ZA complementum altitudinis supra horizontem ipsius poli, cujus differentia a complemento altitudinis poli P exhibebit aberrationem verticalem.

10. Hæc methodus requirit prorsus accuratam mensuram anguli VAV', quæ in communibus machinis habentibus circulum pro ascensione recta exiguum haberi non potest. Accedit, quod usum habere non potest satis accuratum pro fixis parum remotis ab æquatore, quia vis determinationis pendet etiam a differentia angulorum VAV', VPV', quæ in eo casu est nimis exigua. Bina sunt, quæ quæruntur, magnitudo, & positio arcus PA, & bini sunt errores, per quos ea determinari debent, differentia arcuum VS, V'S', ac differentia angulorum VAV', VPV'. Porro utcumque mutetur etiam plurimum & positio, & magnitudo arcus PA, differentia eorum angulorum mutatur parum admodum in eo casu, cum in eo ipsa tota semper sit perquam exigua. Si enim producatur PA, utcumque in D; erit sinus anguli VPA ad sinum VAP, sive ejus supplementi VAD, ut sinus VA, ad sinum VP. Porro licet differentia arcuum VA, VP sit satis magna, differentia sinuum eorum est perquam exigua, ubi ii accedunt ad quadrantem; est nimirum ibi secundi ordinis. Quare & differentia sinuum VPA, VAD debebit esse ordinis secundi, adeoque ubi ii anguli non accedant ad mensuram quadrantis, quod fere semper

per

per accidet, different a se invicem per differentiam ordinis secundi. Idem accidet angulis V'PA, V'AD. Quare & differentia angulorum VPV', VAV' erit ordinis secundi, adeoque inepta ad determinationem magnitudinis, & positionis arcus PA. Semper debet id, per quod aliud determinatur, habere mutationem non exiguam respectu mutationis ejus, quod est determinandum, ne exiguus error commissus in illo trahat secum errorem ingentem in hoc.

11. Huic postremo malo mederi licet, adhibendo fixas remotiores ab æquatore; sed ad evitandum usum divisionis æquatoris machinæ proferemus alias methodos, quæ rem perficiant per tres observationes arcuum VS sine ulla ope determinationis accuratæ angulorum ad A. Illi arcus ope micrometri determinari facile possunt admodum accurati.

§. III.

Determinatio ejusdem sine usu ejus divisionis per simplicem Trigonometriam sphæricam.

12. Sint P, A, Z (fig. 2) eadem, quæ prius (Z potest esse vel in quapiam PS, vel extra), ac habeantur tria loca fixæ cujusvis cognitæ S, S', S'', cum tribus distantiis VS, V'S', V''S'' a tribus positionibus verticis rhombi, quæ deberent esse æquales; si poli A, P congruerent. Si inveniantur inæquales; positio puncti A respectu P sic inveniri poterit per resolutionem sex triangulorum sphæricorum.

13. Arcus VV', V'V'' sint bifariam secti in B, B' a perpendiculis AB, AB', & in triangulis VPV', V'PV'' habebitur utraque basis VV', V'V'' cum angulis ad ipsam. Hinc in triangulo BV'B' (*) habebuntur latera V'B, V'B' dimidia earum basium cum angulo

(*) Arcus VBV', V'B'V'' non sunt arcus circuli descripti a motu puncti V circa polum A, qui essent continuatio ejusdem arcus sine angulo in A, nisi in casu, in quo AV esset quadrans circuli maximi, a qua mensura is debet hic distare non parum, cum non debeant adhiberi fixæ parum distantes ab æquatore.

gulo BV'B' composito ex inventis PV'B, PV'B'. Invenientur in eo anguli V'BB', V'B'B cum eorum complementis ABB', AB'B, & basis BB', quæ cum sit etiam basis trianguli BAB', habebitur in hoc latus AB. Inde in triangulo ABV rectangulo ad B habebuntur latera AB, VB $= \frac{1}{2}$VV', adeoque & AV, & angulus AVB, qui ablatus ab angulo PVV' invento relinquet PVA: ex hoc, & lateribus VP, VA, innotescet, ut prius, PA cum angulo VPA, quæ duo exhibent positionem quæsitam.

14. Hæc solutio est accurata, sed molesta ob resolutionem tot triangulorum. Hinc proferemus aliam, quæ rem perficiat methodo paullo breviore.

§. IV.

Determinatio eadem ex iisdem datis per formulas trigonometricas differentiales.

15. SUPPONI debet hìc, ut & in superioribus, machina ita proxime collocata in positione debita, ut arcus AP sit exiguus: aliter enim in conversione telescopii fixa eadem non subiret ubique ipsius campum. Hinc adhiberi potest ad solvendum idem problema methodus differentialis Trigonometriæ, quæ rem perficiet cum minore triangulorum apparatu.

16. Habeo ego ejusmodi formulas differentiales (*) cum suis demonstrationibus (eas transmisi ad Academiam Parisiensem), in qui-

tore. Ii arcus etiam in casu, in quo assumantur fixæ distantes ab ipso æquatore plurimum, non pertinent ad circulum descriptum a puncto V, qui est circulus minor distans plurimum a circulo maximo, sed sunt arcus circulorum maximorum, uti sunt ii omnes, qui adhibentur in Trigonometria pro lateribus triangulorum sphæricorum. Hinc ii arcus continent in V' angulum sphæricum, atque is est idem ac angulus trianguli BV'B', cujus basis BB' non confunditur cum lateribus BV', B'V', sed est minor, quam eorum summa, & continet cum ipsis angulos V'BB', V'B'B, qui ob angulos V'BA, V'B'A rectos habent pro complementis angulos ABB', AB'B.

(*) Hæ formulæ sunt ex iis, quas indicavi in præfatione hujus Opusculi: eas hìc proposueram; sed omissis reliquis, ut ibi indicavi, retinebo in numero sequenti eam solam, cujus usus hìc occurrit.

quibus si mutentur etiam omnia latera, & omnes anguli in quovis triangulo sive sphærico, sive plano, continetur nexus mutationis unius cujusvis ex iis sex cum mutationibus trium aliorum quorumvis. Ea omnia reducuntur ad quatuor combinationes, quarum singulæ continentur singulis e quatuor æquationibus continentibus quaternos terminos. Si unum, vel duo e tribus, quæ determinant mutationem quarti, maneant sine mutatione; ejus, vel eorum mutatio fit $= 0$, & in hoc secundo casu eæ ipsæ æquationes exhibent illa theoremata, quæ primus cœpit considerare Cotesius, quæ singillatim proposuit Caillius, ac fuse demonstravit La-Landius. Verum hæ generales multo ampliorem habent usum, ut patebit in hujus problematis solutione, quam hìc subjiciam.

17. Interea en hìc denominationes, combinationes, æquationes Latera cum angulis oppositis x, y, z, p, q, r.

Combinationes.

I. Omnia latera cum uno angulo . . . . x, y, z, p
II. Bina latera cum binis angulis, quorum alter oppositus, alter interceptus . . . . x, y, p, r
III. Bina latera cum angulis oppositis . . . . x, y, p, q
IV. Unum latus cum omnibus angulis . . . . x, p, q, r

Æquationes iis respondentes.

I. $dx - dy cos.r - dz cos.q - dp sin.z sin.q = 0$
II. $dx sin.q - dy cos.z sin.p - dp sin.z - dr sin.x cos.q = 0$
III. $dx cot.x - dy cot.y - dp cot.p + dq cot.q = 0$
IV. $dx sin.r sin.y - dp - dq cos.z - dr cos.y = 0$

18. Prima ex hisce æquationibus rem perficiet; sed ad applicationem ipsius hæc prius notanda sunt. Si poli A, P congruerent; arcus VS, V'S', V''S'' essent æquales. Si inveniantur inæquales; fiat error $VS - V'S' = e$, $VS - V''S'' = e'$. Polis V, V', V'' concipiantur arcus transeuntes per A, qui occurrant arcubus PV, PV', PV'', in a, a', a'', & fiat $Pa = m$, $PVA = n$; qui valores si inveniantur, solvetur problema. Cum enim innotescat $PV = PS - VS$, ut in præcedentibus methodis, inventâ Pa

innotescet & $Va = VA$, adeoque invento etiam angulo $AVP = n$, invenietur, ut prius, in triangulo VAP magnitudo, & directio arcus PA. Erit autem $Pa + aV + VS = PS = PS'$ $= Pa' + a'V' + V'S'$. Hinc demptis $aV, a'V'$, quæ æquantur æqualibus AV, AV', erit $Pa + VS = Pa' + V'S'$, adeoque Pa' $= Pa + VS - V'S' = m + e$, & pariter $Pa'' = m + e'$.

19. Consideretur jam triangulum VPV', quod abeat in VAV', factis mutationibus exiguis omnium præter latus VV', quod manet, tum VPV'', quod similiter abeat in VAV''. Mutatio in priore lateris VP abeuntis in VA est $- Pa = - m$: mutatio V'P abeuntis in V'A est $- Pa' = - (m + e)$. Ex mutationibus horum laterum, & mutatione lateris $VV' = 0$, ac mutatione anguli $PVV' = - PVA = - n$ habebitur una æquatio: altera æquatio eruetur similiter ex mutatione trianguli VPV'' abeuntis in VAV'', in qua satis erit ponere e' pro e, ac VV'' pro VV'. Combinantur hic tria latera cum angulo ad V. Quare is debet appellari p in combinatione I exhibente theorema I, adeoque latus PV' ipsi oppositum erit x, latera adjacentia VV', VP erunt alterum y, alterum z.

20. Quare habebuntur sequentes denominationes, & æquationes $PV = z, PV' = x, PV'' = x', VV' = y, VV'' = y', VV'P = r, VV''P = r', VPV' = q, VPV'' = q', dx = - (m + e)$, $dx' = - (m + e'), dz = - m, dp = - PVA = - n, dy = 0$.

$$- m - e + m\cos.q + n\sin.z\sin.q = 0$$
$$- m - e' + m\cos.q' + n\sin.z'\sin.q' = 0$$

21. In iis æquationibus habentur e, e', z, z', q, q', & quæritur valor $m = Pa$, & valor $n = PVA$, qui earum ope facile inveniuntur, ut patet, & iis inventis reliqua peraguntur, ut in §. I, ob datum P, V, & inventum $AV = aV = PV - Pa$.

22. Hæc solutio, ut & præcedentes, supponit notam declinationem fixæ, requirit autem longiorem numericum calculum pro solutione æquationum. Præterea hæc methodus requirit fixas non ita proximas æquatori; nam formulæ differentiales in arcubus quadranti proximis sunt ita erroneæ, ut usui esse non possint. Habeo ego alias, quæ pertinent ad triangula etiam habentia ejusmodi

modi arcus, & angulos, quas hìc adhibere possem, & adhibui alibi agens de cognoscendis erroribus collocationis quadrantis muralis (*): eas proponam in fine totius hujusce dissertationis pro complemento quodam: hìc potius subjiciam aliam methodum, quæ fere congruit cum quadam pariter ibidem adhibita; est autem hìc multo simplicior, aptari potest fixis quibusvis ubivis positis, & indiget solo tempore trium observationum fixæ cujusvis utcumque ignotæ.

§. V.

Determinatio eadem simplicior.

23. FACTIS iisdem tribus observationibus paragraphorum præcedentium, dicantur itidem e, e' excessus primæ VS supra reliquas $V'S'$, $V''S''$. Ii soli cum intervallis horariis rem omnem perficient, si distantia PA fuerit exigua, ut in paragrapho superiore. Nam arcus circulorum Aa, Aa', Aa'' haberi poterunt pro rectis, una cum arcubus Pa, Pa', Pa'', PA, aa', $a'a''$, aa''. Ob angulos PaA rectos erunt puncta a ad circulum, cujus diameter PA, & hæc ad chordas aa', $a'a''$, aa'' subtendentes angulos aPa', $a'Pa''$, aPa'' erit, ut radius ad sinus eorum angulorum, quæ est proprietas nota chordarum circuli subtendentium angulos ad peripheriam.

24. Cum ii anguli sint intervalla horaria redacta ad partes circuli; innotescent eorum sinus, qui dicantur, c, c', c''; fiat autem $PA = z$, $Pa = m$. Cum sit $PS = PS'$, & $aV = AV = AV' = a'V'$, erit $Pa + VS = Pa' + V'S'$, adeoque $Pa' = Pa + VS - V'S' = m + e$, ut in paragrapho superiore, & eodem pacto $Pa'' = m + e'$. Præterea erunt aa', $a'a''$, $aa'' = cz, c'z, c''z$ ex natura chordarum indicata.

25. Jam

(*) Id Opusculum conscriptum aliquanto ante, paucis admodum mutatis, prodit in hoc eodem Tomo, ubi est tertium: habentur methodi analogæ etiam in Opusculo XI., quod agit de Instrumento transituum: est autem his omnibus analogum etiam Opusculum XII, quod agit de erroribus lineæ meridianæ. In iis omnibus habentur methodi similes, sed ubique adsunt sua etiam discrimina.

25. Jam vero in quadrilineo $Paa'a''$ inscripto circulo est $aa' \times Pa'' + a'a'' \times Pa = aa'' \times Pa'$. Quare erit $cz(m + e') + c'zm = c''z(m + e)$: nimirum dividendo per z, $cm + ce' + c'm = c''m + c''e$, sive $m = \frac{c''e - ce'}{c + c' - c''}$.

26. Invento eo valore habetur $Pa = m$, & $Pa' = m + e$, adeoque ob datum etiam angulum aPa', invenietur angulus $aa'P = aAP$, cujus complementum aPA exhibet directionem arcus PA respectu horarii dati PV, & valor $PA = m$ divisus per ejus sinum exhibet ipsum arcum PA.

27. Si secunda observatio fiat in appulsu ad meridianum; ipse valor $Pa' = m + e$ erit aberratio verticalis exhibens mutationem inducendam in elevatione axis supra horizontem: erit autem $Aa' = Pa' \times tan.APa'$, qui angulus est differentia horarii SPS' dati, & inventi SPA, adeoque datur: tum $PZA = \frac{Aa'}{sin.Za'} = \frac{Pa' \times tan.APa'}{sin.Za'}$ (*), qui valor datur ob datum $Za' = ZP - Pa'$, & exprimit aberrationem horizontalem, cum motu inducendo ad eam tollendam.

28. Ne error observationis nimis excrescat, oportet divisor $c + c' - c''$ non sit nimis exiguus. Is est excessus summæ sinuum binorum angulorum horariorum partialium SPS', S'PS'' supra sinum totalis SPS''. Ne is excessus sit exiguus, oportet, ipse ille totalis angulus non sit exiguus; nam aliter erunt multo magis exiguæ ejus partes cum sinubus, & sinuum summa, ac multo minor excessus ejus summæ supra sinum totius. Quare plurium horarum intervallum requiritur inter observationes.

29. Excessus autem summæ sinuum partium supra sinum totius dati evadit maximus, ubi partes sint æquales inter se, quod admodum facile demonstratur. Si enim (fig. 3) sint AD, DB partes arcus AB, & ducantur AE, BF perpendicula in radium DC, qui chordæ AB occurrat in I; sinus erunt AE, BF, qui erunt sem-

(*) Eum esse errorem horizontalem patet ex eo, quod PZA est angulus, quem continet in zenith circulus verticalis tendens ad polum erroneum A cum Meridiano tendente ad polum verum P.

semper minores hypothenusis AI, BI, adeoque eorum summa semper minor, quam chorda AB, cui fit æqualis summa ipsa, ubi factis AD, BD æqualibus, ipse radius CD secat bifariam, & ad angulos rectos eandem chordam, ac puncta EFI abeunt in medium chordæ AB. Quare erit optimum factu, si observationes fiant ad intervalla temporum æqualia. Eo casu evadit $c' = c$, & formula $\frac{c''e - ce'}{2c - c''}$.

30. Eo major est excessus summæ binorum sinuum æqualium supra sinum totius, quo arcus totus est major. Si enim compleatur diameter ACG, & ducatur chorda BG cum perpendiculo BH, quod erit sinus arcus AB; erit AG:GB::AB:BH, adeoque AG : AG — GB::AB:AB — BH. Primus terminus manet utcumque mutato arcu AB; secundus, & tertius eo crescente crescit, cum crescat ejus chorda, decrescat autem GB, ut patet, adeoque crescit excessus constantis AG supra ipsam. Hinc quo intervallum temporis magis accedet ad horas 12, quæ exhibent (fig. 2) mensuram anguli totalis SPS'' graduum 180; eo melius res procedet. Et quidem donec ille excessus fuerit minor radio $= 1$, denominator $2c - c''$ augebit errorem numeratoris; ubi is fuerit major, ipsum minuet. Id jam accidit in arcu $= 127°.29'$, cujus dimidium $= 63°.44'.30''$ habet sinum $= 0,89681$, & duplum sinum $= 1,79362$, dum ipse arcus totus habet pro sinu $0,79355$, quo ablato ab illo duplo jam habetur $1,00007$ paullo plus quam 1. Is limes invenitur directe per æquationem gradus 4. Si enim fiat $AC = 1, AB = x$; ex conditione $AB - BH = 1$, obtinetur $x^4 - 8x^2 + 8x + 4 = 0$.

31. Si arcus totus fuerit 180; evanescet ejus sinus c'', & sinus dimidii $= 90°$ evadit $= 1$. Hinc formula evadit $-\frac{ce'}{2c} = -\frac{1}{2}e'$, valor simplicissimus. Eo casu evadit $Pa = -\frac{1}{2}e'$, $Pa' = e - \frac{1}{2}e'$. Porro in eodem casu evadit rectus etiam angulus aPa', adeoque $Aa' = Pa = -\frac{1}{2}e'$, qui valor divisus per sinum Za' exhibet immediate, & ignoto etiam e aberrationem horizontalem AZa': sinus autem Za' proximus sinui ZP assumptus pro ipso nihil

ad

ad sensum turbabit valorem ejus aberrationis exiguum. Quare habebitur hujusmodi regula. *Observetur quævis fixa sex horis ante, & sex horis post ejus appulsum ad Meridianum: dimidium differentiæ distantiarum a vertice rhombi dividatur per cosinum elevationis poli, & habebitur aberratio horizontalis: pro verticali observetur eadem fixa etiam in appulsu ad Meridianum: excessus distantiæ a vertice rhombi in observatione secunda, & tertia dicantur error primus, & secundus: ab errore primo dematur dimidium secundi, & residuum erit quæsita aberratio verticalis.*

32. Sunt, qui pro aberratione horizontali assumant illud dimidium secundi erroris, & præcipiant, ut illud corrigatur, tum iterum fiat observatio, & corrigatur dimidium novi erroris, atque ita porro, donec elidatur totus error sensibilis. Ii præcipiunt, ut fiat per longam seriem id, quod ex prima sola observatione haberi potest dividendo errorem inventum per cosinum elevationis poli.

33. Quoniam hæc methodus est omnium propositarum simplicissima, & expeditissima, ejus unius exemplum proferemus in paragrapho sequenti.

§. VI.

Exemplum cum observationibus pro postrema methodo.

34. INITIO Januarii anni 1772 habitæ sunt sequentes observationes, quarum secunda quam proxime in Meridiano.

Tempus	VS	Errores	Anguli horarii	Sinus ipsorum	Producta
$6^h.\ 25'$	$34'.\ 5''$	$e = 3'.\ 37'' = 217''$	$3^h = 45^\circ$	$c = c' = 0{,}7071$	$c''e = 217''$
$9.\ 25$	$30.\ 28$	$e' = 2.\ 56 = 176$	$3 = 45$	$c + c' = 1{,}4142$	$ce' = 124{,}45$
$0.\ 25$	$31.\ 9$		$6 = 90$	$c'' = 1$	$c''e - ce' = 92{,}55$
				$c + c' - c'' = 0{,}4142$	

Hinc $m = \dfrac{c''e - ce'}{c + c' - c''} = \dfrac{92'',55}{0,4142} = 223'',4 = aP$, & $a'P$
$= m + e = 440'',4 = 7'.20'',4$.

In triangulo aPa' ex iis lateribus, & angulo $aPa' = 45^\circ$, habetur $aa'P = 29^\circ.13' = aAP$.

Qua-

Quare $aPA = 60^\circ.47'$, & $a'PA = 60^\circ.47' - 45^\circ = 15^\circ.47'$. Sed $PZ = 44^\circ.32'$, adeoque $a'Z = 44^\circ.25'$, & $a'ZA = \frac{a'P \times tan.a'PA}{sin.a'Z} = 178'' = 2'.58''$ (*).

35. Habetur igitur aberratio horizontalis $= 2'.58''$, verticalis $= 7'.20''$, quarum prima est in occidentem, secunda sursum. Adductum est telescopium ad positionem Meridiano proximam, in quo habebatur objectum remotum, cujus capta est mensura ope micrometri sextantis, & æstimatione in eo assumptæ ad latus dextrorsum, & sursum partes respondentes inventis erroribus, ac immoto telescopio respectu machinæ datus est ipsius pedibus per cochleas motus ejusmodi, ut intersectio axium rhombi percurreret eas ipsas partes dextrorsum, & sursum. Sic axe telescopii abeunte in occidentem, & ascendente, polus ex parte opposita debuit abire in orientem, & descendere.

36. Facta ejusmodi correctione captæ sunt iterum distantiæ VS alio die, & inventus est error 24 secundorum, qui non pertingit ad $2''$ in observatione longitudinis chordarum in rhombo facta per tempus: is ortus est ex errorculis tot observationum auctis a divisore 0,4142, & errorculo illius æstimationis partium objecti, qui error facile correctus exhibuit positionem accuratam. Divisor obvenit minor unitate, quia assumptus est angulus totalis 90° minor illo $127^\circ.29'$, qui unitatem exhibet pro excessu dupli sinus supra sinum arcus dupli. Id autem assumptum est ita, cum lucrum majoris divisoris sit exiguum, & incommodum longioris moræ nocturnæ multo gravius.

37. Quæ huc usque sunt proposita, pertinent ad axem pri-

(*) PZ est distantia poli a zenith Observatorii Mediolanensis, complementum altitudinis poli, quæ ibi, neglectis secundis, est $= 45^\circ.28'$, adeoque $PZ = 44^\circ.32'$, unde ablato $Pa' = 7'$, habetur $a'Z = 44^\circ.25'$. Hinc est $a'ZA = \frac{440'', 4 \times tan.15^\circ.47'}{sin.44^\circ.25'} = 178'' = 2'.58''$. Porro hæc est deviatio horizontalis juxta adnotationem ad num. 27. cum nimirum angulus $a'ZA$ sit idem, ac angulus PZA. Arcus autem $a'P = 7'.20''$ est error verticalis; cum sit differentia distantiæ Za' a zenith, quam habet polus erroneus A, a distantia ZP, quam habet polus verus P ob arcum Za' æquipollenter æqualem arcui ZP.

mum : quæ pertinent ad reliquos duos, congruunt fere prorsus cum iis, quæ jam alibi proposui pro telescopio meridiano, & quadrante murali, ac ad Academiam Parisiensem transmisi (*). Rem hic perficiam methodo paragraphi IV. applicata ad casum ipsius machinæ parallaticæ.

§. VII.

Determinatio erroris in positione reliquorum binorum axium.

38. SINT D, D' (fig. 4) bini poli æquatoris (litteram P reservamus pro polo secundi axis, ad servandam analogiam hujus solutionis cum præcedenti), & dum immoto axe primo in positione quavis convertitur telescopium circa secundum, sint V, V', V'' tria loca verticis rhombi in appulsu trium fixarum ad horarios transeuntes per ipsum : innotescant autem ipsarum declinationes, & observentur distantiæ ab ipso vertice, ac notentur tempora appulsuum ipsorum. Sit DVD' horarius primæ positionis, DV', DV'' sint

(*) Primum ex iis binis est in hoc Tomo Opusculum III, vix quidquam mutatum, sed mutatum non nihil, & suppressâ applicatione numerorum ad observationes, quam hic retinui, cum nihil in reliquo textu mutaverim : secundum est hic Opusculum XI, in quo retinui ea, quæ habebantur in Opusculo transmisso, sed melius digesta, & additamentis quamplurimis amplificata.

Porro methodus hic proponenda in §. sequenti congruit penitus, vel fere penitus cum una e methodis adhibitis pro quadrante murali, & pro instrumento transituum, & quæ hic habebuntur in §. VIII. congruunt cum alia ; sed possunt facile huc transferri omnes reliquæ methodi ibidem propositæ, quæ sunt plures, potissimum in Opusculo XI pertinente ad instrumentum transituum, tam pro determinanda magnitudine singulorum errorum, quam pro iis corrigendis, vel efformanda tabula eorum, qui occurrent in reliquis punctis, ut sine correctione machinæ haberi possit eorum ratio, vel pro obtinenda formula, quæ adhibeatur ad determinandos eosdem, ubi machina portatilis reddat tabulam computatam pro una collocatione inutilem pro alia. Considerationes autem propositæ in paragrapho V pertinentes ad divisorem $c + c' - c''$, possunt applicari etiam ad eas binas machinas, & convenire instrumento transituum, in quo habetur divisor huic respondens, & arcus, ad quos pertinent hi valores c, sont autem sinus arcuum qui ibi dicuntur c, & possunt esse ibi magnitudinis cujusvis, dum in quadrante murali vix possunt abire non nihil ultra gradus 90. Non omnia simul, quæ utilia esse possunt, scribenti occurrunt.

sint arcus horariorum secundæ, & tertiæ, qui congruerent cum illo primo, si machina esset rite constructa, & primus axis rite collocatus. Sit autem DPD' horarius perpendicularis ipsi DVD', in cujus medio P polus hujus ipsius: tum A sit polus circuli transeuntis per puncta V, V', V'', quem in motu circa secundum axem describit punctum V, qui esset maximus, si axi secundo esset perpendicularis linea fiduciæ transiens per verticem rhombi: secus erit parallelus cuidam maximo EFE', qui occurreret horario DVD' alicubi in F, arcui PA producto in H, arcubus AV, AV', AV'' in M, M', M'': occurrat autem posterioribus binis arcus DFD' in u', u'', & arcui AH in G. Sint demum arcus Aa, Aa', Aa'' descripti polis V, u', u'' usque ad PV, PV', PV'', & AI versus H = AV.

39. Quoniam machina supponitur non nimis aberrans a debita constructione; arcus V'u', V''u'', erunt exigui, & proinde assumi possunt pro arcubus circulorum parallelorum habentium polum in D, cum nimirum ob arcum AP exiguum anguli Du'A, Du''A sint proxime æquales rectis Du'P, Du''P, & proinde ipsi u'V', u''V'' perpendiculares arcui D$u''u'$. Erunt itidem ad sensum recti arcus pertinentes ad figuram Paa'Aa'', quæ idcirco etiam hic haberi poterit pro inscripta circulo, cujus diameter AP, ut §. IV. Cum autem innotescant declinationes fixarum, adeoque ipsarum distantiæ a polo, ac observatio exhibeat ipsarum distantias a vertice rhombi, innotescent distantiæ DV, DV', DV'' ipsius verticis a polo. Innotescunt & arcus V'u', V''u'' ab hora appulsus ad V', V''. Nam ex differentia ascensionis rectæ earundem fixarum innotescit tempus, quo secunda, & tertia appellit in u', u'' ad horarium primæ, adeoque innotescunt differentiæ temporis inter appulsum ad V', & V'', ac appulsum ad u', & u'', quæ multiplicatæ per 15, & per sinus arcuum DV', DV'' cognitorum exhibebunt ipsos arcus V'u', V''u'' in partibus circuli maximi, qui cum sint errores machinæ, possunt appellari e, e'.

40. Porro cum sit Pa + aV = PV = Pu' = Pa' + $a'u'$; addito V'u', erit Pa + aV + V'u' = Pa' + $a'u'$ + u'V' = Pa' + Au' + u'V' = Pa' + AV' = Pa' + AV = Pa' + aV.

Quare dempto utrinque aV, erit $Pa + V'u' = Pa'$, adeoque si fiat $Pa = m$, erit $Pa' = m + e$, & eodem pacto $Pa'' = m + e'$. Angulorum autem VPu', $u'Pu''$, VPu'' mensuræ sunt arcus Vu', $u'u''$, Vu'', quos constat esse quamproxime æquales differentiis distantiarum a polo DV, DV', DV'', cum hi duo postremi debeant esse quamproxime æquales arcubus Du', Du'' ob arcus $V'u'$, $V''u''$ exiguos, & proxime perpendiculares arcui $Du''u'V$. Quare innotescunt & ii anguli, adeoque & ipsorum sinus, qui si dicantur c, c', c'', habebitur prorsus, ut in paragrapho V, valor $m = \frac{c''c - cc'}{c + c' - c''}$, & eodem pacto ex $Pa = m$, $Pa' = m + e$ jam cognitis cum angulo aPa' habebitur angulus $Pa'a = PAa$, complementum aPA, & arcus PA, quibus cognitis habetur positio poli **A**, & ejus distantia a puncto P, cum quo deberet congruere.

41. Valor m erit æqualis valori VM, cum arcus Pa, VM sint complementa arcuum Va, VA æqualium. Is nimirum erit aberratio positionis lineæ fiduciæ respectu axis secundi, qui error corrigi potest per motum telescopii ipsius respectu axis secundi, vel hujus respectu illius. Valor autem PA debet esse æqualis GH, cum debeant esse quadrantes tam PG, quam AH, qui valor est mensura anguli GFH; nam ob FA, FP quadrantes debet F esse polus circuli PAGH.

42. Cum is angulus debeat esse exiguus, debent arcus FV, Fu', FG, Fu'' esse quamproxime æquales FM, FM', FH, FM'', quos exhibent anguli ad A, & divisio circuli declinationum ipsius machinæ. Differentia erit ordinis secundi ob angulos ad M, M', H, M'' rectos: arcus quoque DV', DI, DV'' debent esse æquales arcubus Du', DG, Du'' citra errorem ordinis primi, præter casum, in quo distantia DV'' a polo evadat ipsa exigua, qui casus fere nunquam occurrit. Hinc idem circulus exhibebit distantias a polo, sive declinationes punctorum V, V', V'' citra errorem ordinis primi. Erit autem FV mensura anguli FPV, qui debet æquari invento PAa, cum uterque sit complementum ejusdem APa. Quare cum innotescat locus puncti V in circulo decli-

clinationis respondens puncto M, innotescet etiam locus puncti F, & locus punctorum G, H ab eo distans per quadrantem, versus quem locum habetur aberratio poli. Si concipiatur arcus AL polo D usque ad circulum DP, erit PL error quaesitus inclinationis axis secundi ad primum, cum exhibeat differentiam distantiae polorum a quadrante. Is facile invenietur; erit enim ut sinus anguli inventi PA*a* ad cosinum anguli APD, nimirum summae, vel differentiae anguli inventi *a*PA, & anguli *a*PD, quem metitur arcus V''D distantia puncti V'' a polo, ita P*a* $= m$ ad ipsum PL. Motus axis secundi aequalis huic arcui, reddet axem secundum perpendicularem primo, qui si in eo motu secum ferat telescopium habentem respectu ipsius positionem jam correctam; omnia erunt correcta: nam LA perpendicularis horario DPD' nihil aliud efficit, nisi substituere horarium alium pro alio, quae substitutio mutat tantummodo initium numerationis horarum, & vel corrigitur per motum indicis adfixi primo axi, vel involvitur in tabella complectente simul omnes correctiones pertinentes ad horariorum determinationem.

43. Patet inde, quo pacto machina ipsa ad perfectionem adduci possit, si habeantur liberi motus pro inclinando telescopio, & axe secundo. Si ii motus non sint liberi; adhuc poterit adhiberi machina ad habendam immediate positionem astri tam in ordine ad ascensionem rectam, quam in ordine ad declinationem. In ordine ad hanc positio illa parum erronea lineae fiduciae, & axis secundi, non turbabit ad sensum declinationes. Quare si divisio sit accurata, vel innotescant ejus errores, ac semel inveniatur error cujuspiam declinationis pro corrigendo initio numerationis; unica observatio sine novis comparationibus exhibebit declinationem. Poterit autem inquiri in ipsam divisionem capiendo ope ipsius declinationes plurium fixarum cognitarum. In ordine ad ascensionem rectam, ea facile corrigi poterit per tabellam errorum, quam exhibebit ipsa positio puncti F, & angulus GFH. Data enim distantia cujusvis alterius loci V', vel M' ab invento F invenietur M'*u*', qui erit valor illius anguli multiplicatus per sinum FM', ex quo, & errore M'V' constanti $= m$, innotescet

scet $V'u'$, qui divisus per cosinum declinationis, ostendet pro quavis declinatione errorem ascensionis rectæ ortum ex eo errore machinæ. In casu a figura expresso inventâ declinatione puncti F, ad inveniendam eam correctionem pro quavis alia declinatione M' puncti V' cujusvis calculus sic expedietur. Arcus $PA = z$ metiens angulum ad F ducatur in sinum differentiæ earum declinationum FM'; a producto subtrahatur valor constans $V'M' = m$: residuum dividatur per sinum distantiæ a polo V'D, nimirum per cosinum declinationis V', ac habebitur valor quæsitus. Si differentia declinationum punctorum F, V' sit $= f$, declinatio $V' = g$; valor quæsitus erit $\frac{z \sin. f - m}{\cos. g}$. Facile autem patebit in singulis casibus mutatio signorum, si qua occurrat in valorum numerica substitutione: quod si præterea occurrat error indicis ostendentis horarium diversum ab eo, in quo erat fixa in observatione indicata a littera V; is additus, vel ablatus exhibebit totum errorem horarii respondentem cuivis declinationi, & eorum errorum tabella construi potest. Potest tamen motu indicis solius corrigi error respondens æquatori. Ea correctione additâ errori prius invento, vel inde ablatâ, haberi poterit tabella exprimens errores respondentes omnibus declinationibus, in qua error respondens declinationi zero, sit & ipse = zero.

44. Tabella ita constructa, indice ibi immobiliter affixo axi primo, inserviet pro illo horario, in quo erat fixa in prima observatione: eadem exhibebit errores debitos cuivis alteri horario, si divisio æquatoris machinæ fuerit accurata: si ea habeat errores suos, requiretur alia tabella horum errorum respondens horis diversis: summa, vel differentia errorum erutorum ex iis tabulis in alio casu quovis exhibebit totam correctionem horariam pro quavis observatione, in qua index declinationis præbebit argumentum primæ tabulæ, & index horarius argumentum secundæ.

45. Facile construetur hæc secunda tabula, ubi semel methodo §. VI. fuerit collocatus axis primus in positione accurata. Dirigatur telescopium in fixam quampiam, & circumducatur circa axem primum, ponendo indicem ipsius ad omnes divisiones æquatoris, & no-

& notando momentum appulsus ad diametrum majorem rhombi in singulis ejusmodi positionibus : si negligantur refractiones ; illi ipsi numeri correcti per errorem horologii exhibebunt correctiones pro secunda tabula : incipiendo enim ab appulsu ad Meridianum, tam ad horas anteriores, quam ad posteriores, differentia inventa inter horas indicatas ab horologio, & exhibitas ab indice erit correctio ponenda in tabula . Sed satius est adhibere correctiunculam respondentem refractioni, quæ per formulas differentiales facile inveniri potest, computato per ipsas effectu refractionis in ordine ad horarium . Pro horis ab horologio indicatis facile invenietur horarius loci apparentis fixæ, qui collatus cum horario exhibito ab indice exhibebit correctiones ponendas in tabula : ad eam rem aptissimæ sunt fixæ circumpolares, quæ præbebunt verificationem totius æquatoris. Quod si assumantur earum multæ ; confirmabitur tabula, & evadet correctio accuratior, & tutior assumendo medium inter plures conformes.

46. Sic facile reducentur binæ ipsæ tabulæ eo, ut in hora machinæ meridiana XII pro æquatore correctio sit nulla, tum in altera habeatur correctio pro singulis divisionibus æquatoris, in altera pro singulis declinationibus, indice utroque ita collocato, ut innuimus, ut pro æquatore in Meridiano correctio sit zero. Hisce autem tabulis addi potest alia summæ itidem utilitatis, quæ definiat positionem diametri majoris rhombi ope horarii. Commodissimus rhombi usus est, ubi diameter major congruit cum arcu circuli horarii, quo casu diameter minor congruit cum parallelo : tum via motus diurni est ipsi parallela, ac bifariam secta a diametro majore, & æqualis distantiæ verticis rhombi ab ipsa. Bini appulsus ad sola latera exhibent in eo casu appulsum intermedium ad horarium transeuntem per verticem pro ascensione recta, & longitudinem viæ deducendam ex mora exhibentem distantiam eandem a vertice pro declinatione. Si diameter major non habeat eam directionem ; adhuc inveniri potest utrumque observando appulsum etiam ad ipsam diametrum majorem ; nam ex inæqualitate temporum inter latera, & eam diametrum facile eruitur angulus, quem ea continet cum horario transeunte per verticem.

ticem. Si nimirum summa eorum temporum, sive tempus totale fiat $= t$ differentia $= dt$; facile demonstratur, fore tangentem ejus anguli $= \frac{2dt}{t}$ (*). Ex eo angulo facile derivatur tam momentum appulsus ad horarium transeuntem per verticem, quam distantia viæ ab ipso vertice, & ubi is angulus est exiguus, formulæ correctiunculárum sunt simplicissimæ: sed ea pertinent ad dissertationem de micrometris. Porro potest ita converti rhombus, ut in data telescopii positione acquirat diameter major situm congruentem cum horario, quam indicabit fixa quævis percurrens diametrum minorem: sed si axis secundus non sit accurate perpendicularis primo; mutata declinatione, jam orietur deviatio diametri ipsius majoris ab horario pendens a mutatione anguli AV'D figuræ 4. Tabella ejus mutationis exhiberet eum angulum pro quavis declinatione. De ea, ut & de errore ascensionis rectæ deducendo e communi principio, agemus §. IX.

47. Præparatis semel illis tabulis, & machinâ rite collocatâ, ac firmiter affixâ loco immobili, poterit semper deinde per unicam observationem haberi accurate locus astri cujusvis, videndo, quid exhibeat machina, quid tabellæ, & adhibendo correctiones debitas refractioni, quarum posset facile construi alia tabella cum binis argumentis, horario, & declinatione. Quin immo quoniam correctiones supponi debent exiguæ; machinâ si minus accurate, saltem proxime bene constructâ, & collocatâ, potest ex iis omnibus tabellis computari unica habens omnes correctiones horariorum conjunctas, cui si addatur tabella continens errores declinationis ortos ex inæquali divisione semicirculi, haberetur instrumen-

(*) Id theorema, & quidquid pertinet ad usum rhombi in diversis ejus positionibus demonstrabitur in Opusculo, quod erit XVI, & aget tantummodo de hoc genere micrometri: de novo genere micrometri objectivi habetur Opusculum in Tomo II: nonnulla, quæ pertinent ad micrometra filaria, habentur in aliis e superioribus Opusculis, quin habeatur ullum, quod complectatur simul omnia micrometrorum genera, quod habebam in animo tum, cum hoc Opusculum transmisi ad Academiam, & alibi fortasse edam collectis simul omnibus, quæ habentur in hisce Tomis pertinentia ad id argumentum, & adjectis aliis pluribus, quæ eodem pertinent.

mentum egregium, cujus ope unica quævis observatio præberet immediate locum verum astri cujusvis incogniti, determinatâ ejus ascensione rectâ, & declinatione. Oporteret ad habendam accurationem satis magnam, machina ipsa esset tota e metallo: præstaret, si tota esset ex eodem: radii autem arcuum illorum circularium deberent esse saltem unius pedis: machina esset adhuc melior, si haberet telescopium acromaticum saltem trium pedum, & instructum micrometro meliore adhuc, quam sit rhombus, nimirum instructo filo mobili. Nec opus esset ullo nonio pro subdivisionibus: mora exigua temporis efficeret, ut puncta divisionum æquatoris ipsa immediate adhiberi possent pro horariis, & pro declinatione puncta semicirculi, supplente subdivisiones micrometro. Immensæ sane utilitatis esset ejusmodi instrumentum.

§. VIII.

De usu machinæ parallaticæ portatilis.

48. SÆPE occurrit usus machinæ parallaticæ portatilis, quæ nimirum transferatur in locum commodum observatori, & collocetur pro re nata, quin adsit tempus corrigendi ejus positionem: etiam in eo casu potest inveniri error collocationis, ac horarius verus, & declinatio ex horario, & declinatione erroneis, ut a machina male collocata exhibentur, correctis tamen ab erroribus ipsius machinæ ope tabulæ pertinentis ad horarios corrigendos independenter a refractionibus, & alterius pertinentis ad declinationes. Si habet machina vel filum cum pondere appenso, vel duplicem libellam; tum habita ratione verticalitatis in collocatione, quod facile præstari potest, relinquetur solus error deviationis horizontalis pro axe a plano Meridiani, atque is cito determinari potest, & facile corrigi ope unius observationis fixæ cognitæ, quæ vel ejus declinationem determinet, vel horarium, ut conferantur cum vera declinatione, vel horario. Verum si observatio instituatur prope Meridianum; declinatio eo casu erit inepta, & oportebit adhibere potius observationem horarii: nam prope Meridianum, mutatâ positione machinæ solo motu hori-

zontali, astrum nihil ad sensum ibi mutat distantiam a polo machinæ, respectu cujus distantiæ is motus est perpendicularis.

49. In eo casu satius est ipsam positionem statim corrigere aptando telescopium loco cujuspiam fixæ notæ, & circumagendo horizontaliter machinam ipsam, donec fixa ad locum debitum appellat in campo telescopii, ut ad intersectionem diametrorum rhombi: ad eam rem satis esset etiam sola declinatio accurata fixæ satis remotæ a Meridiano: nam telescopium aptatum illi declinationi non posset adduci ad ipsam fixam, nisi ubi acquireret machina positionem prorsus accuratam. Quod si semel adducta ad fenestram aliquam ibi eo pacto fuerit rite collocata per ejusmodi accuratam observationem astronomicam; poterit tum dirigi telescopium in objectum quodpiam terrestre, & notari horarius, ac declinatio ipsi respondens. Quotiescumque enim ad eandem fenestram reducetur machina; restituto telescopio ad eandem illam positionem, & gyratâ machinâ horizontaliter ita, ut cum accurata ipsius verticalitate telescopium spectet illud idem objectum, habebitur collocatio accurata, ac observatio unica astri alterius ignoti cujuscumque ipsius locum accurate definiet.

50. At si desint ea, quæ requirantur ad reddendam verticalitatem accuratam machinæ, vel iis satis fidendum non videatur; adhuc tamen machinâ ipsâ utcumque temere collocatâ, potest haberi collocationis error, determinando, utcumque determinatione erronea ope ipsius tria pertinentia ad fixas cognitas, ut distantiam a polo, & horarium unius, ac solam distantiam a polo alterius. Eo determinato errore, potest e distantia a polo, & horario cujusvis astri ignoti determinatis per ipsam machinam ita male positam haberi accurate correcta distantia vera ipsius a polo, & horarius pro momento observationis. Error collocationis reducitur ad hæc tria: distantiam poli machinæ a polo Mundi, positionem ejus distantiæ respectu Meridiani, & positionem Meridiani machinæ, sive ejus circuli tendentis ab ejus polo ad punctum æquatoris ipsius respondens horæ XII. Ea tria incognita determinantur a tribus iis erroribus inventis. En methodum.

51. Sint in fig. 1, ut in 2, arcus A*a*, A*a*' polis V, V', sed

a'V'S'

a'V'S' pertineat ad quamvis aliam fixam cognitam ; Meridianus autem machinæ AI occurrat Meridiano Mundi PZ in I. Poterit ex observatione haberi tam distantia erronea a polo, quam angulus horarius erroneus puncti V, quales exhibentur a machina correcta per tabulas, sed male collocata, nimirum arcus VA, & angulus VAI, ut itidem arcus V'A. Habebuntur autem ex arcubus PS, PS', notis, & SV, S'V' observatis distantiæ veræ a polo VP, V'P, ac ex ascensionibus rectis fixarum, & hora observationis utriusque habebuntur anguli horarii veri VPI, V'PI. Considerentur triangula sphærica VPV', VAV', VPA, quorum resolutio rem conficiet, fere ut in §. II.

52. In primo VPV' dabuntur latera VP, V'P cum angulo horario VPV', quare invenietur & basis VV' cum angulo PVV'. In secundo VAV' dabuntur latera VA, V'A cum basi inventa VV': quare invenietur angulus AVV', qui collatus cum invento PVV' exhibebit PVA : in tertio AVP dabuntur latera VP, VA cum angulo invento PVA : quare invenietur AP unum e quæsitis cum angulo VPA, qui collatus cum horario VPI exhibebit API, quæ duo pertinent ad secundum e quæsitis, nimirum ad positionem arcus PA : invenietur ibidem & angulus VAP, qui collatus cum horario erroneo VAI exhibebit IAP, quod erat postremum e quæsitis, cum nimirum id, determinato per priora duo loco A poli machinæ, determinet positionem ejus Meridiani AI.

53. Si jam referat S' aliud astrum ignotum, pro quo detur distantia erronea V'A a polo observata cum angulo horario erroneo IAV'; invenietur sequenti methodo ejus horarius verus IPV' cum distantia vera V'P addenda arcui observato V'S' ad habendum complementum declinationis PS'. Ex angulo IAP invento, & IAV' observato habetur V'AP, qui in casu figuræ erit residuum eorum summæ ad 4 rectos. Quare habebitur in triangulo V'AP is angulus ad A cum latere AV' observato, & AP invento; adeoque eruetur inde PV' primum e quæsitis cum angulo APV', qui collatus cum IPA invento relinquet IPV' alterum e quæsitis.

54. Sic per tria triangula sphærica habebuntur ex illis tribus

male determinatis a machina tria quæsita determinantia positionem machinæ, quæ sufficiunt ad inveniendam positionem veram astri ignoti ope unici quarti trianguli, atque id, quæcumque sit collocatio utcumque remota a debita. At si positio sit parum erronea, quod haud difficulter obtinetur, etiam ope libellæ, & acus magneticæ; tum vero multo facilius omnia sic expediuntur.

55. In triangulo aPa' præter angulum horarium ad P habebuntur latera Pa, Pa' differentiæ distantiarum erronearum $Va, V'a'$, a veris VP, V'P. Quare invenietur angulus $aa'P = aAP$ ob puncta a, a' posita in peripheria circuli habentis diametrum PA. Hinc obtinebitur $AP = \frac{aP}{sin.aAP}$, & aPA complementum ipsius aAP, cujus comparatio cum horario aPI exhibebit, ut prius, IPA. Angulus autem IAP habebitur ex observato IAV collato cum VAP, qui facile invenietur. Si enim D sit occursus arcus PA producti cum VV'; erit VAD ejus supplementum, cujus differentia ab angulo VPA cognito invenitur facile per formulas differentiales paragraphi IV. Triangulo VPD abeunte in VAD, manet latus VD cum angulo D; mutantur latus VP in VA, & angulus VPA in VAD. Quare habetur combinatio III binorum laterum cum angulis oppositis. Fiat $VA = x, VD = y, AD = z$, erit $VDA = p, VPD = q, AVD = r$. Hinc in æquatione III factis $dy = 0$, $dp = 0$, erit $dx cot.x + dq cot.q = 0$, sive $dq = - \frac{dx cot.x}{cot.q} = - dx cot.x tan.q$. Porro est $- dx = Pa$. Quare differentia addenda angulo VPA ad habendum VAD supplementum quæsiti VAP est $aP \times cot.VP \times tan.aPA$.

56. Observato jam pro alio astro incognito S' angulo IAV' cum distantia AV', invenietur facile angulus IPV' cum distantia PV'. Nam ex angulis IAP, IAV' innotescet PAV' residuum ad 4 rectos in casu figuræ, cujus ob rectum $V'Aa'$ est supplementum $a'PA$ (*): inde factis ut sinus anguli PAa prius inventi ad sinum

(*) Est enim $a'PA + PAa' = 90°$ ob rectum etiam AaP, adeoque ob $V'Aa'$ rectum est $a'PA + PAV' = 180°$, adeoque $a'PA$, PAV' alter alterius supplemen-

num ipsius PAa', ita Pa, qui arcus itidem habebatur, ad Pa', habebitur hic, nimirum correctio adhibenda distantiæ AV' $=$ a'V' ad habendam PV'. Angulus autem V'PA a supplemento V'AP differt, ut supra, per Pa' $\times$ *cot*.V'P $\times$ *tan*.a'PA, qui, collatus cum IPA invento prius, exhibebit horarium correctum IPV'.

57. Apparet igitur egregius usus machinæ etiam mobilis. Verum machina parallatica metallica cum circulo, & semicirculo satis magnis, ac telescopio acromatico, & satis bono micrometro filari collocata firmiter in turri habente tectum mobile, esset instrumentum usus immensi, & expeditissimi, ac incredibilis ad Astronomiam cum maximo fructu excolendam utilitatis.

§. IX.

Usus aliarum formularum differentialium Trigonometriæ in hisce perquisitionibus (*).

58. In qnovis triangulo sphærico, si bina latera sint quadrantes, bini anguli iis oppositi debent esse recti, & viceversa, ac si unum latus cum angulo sibi adjacente sint graduum 90, erunt itidem, & angulus oppositus ei lateri, & latus oppositum ei angulo. In omnibus hisce casibus, qui reducuntur ad unicum duorum laterum æqualium quadranti, tertium latus est accurata mensura tertii anguli. Si jam bina illa latera mutentur mutationibus exiguis; mutabuntur & anguli, ac eorum mutationes erunt complementa novorum laterum, & angulorum: facile autem demonstra-

mentum. Initia arcuum AV', Pa'V' in A, & a' assumpta pro rectis lineis perpendicularibus arcui Aa' considerato itidem pro rectilineo habebuntur pro rectis parallelis, etiam arcu A'P habito itidem pro linea recta, adeoque bini anguli PAV', a'PA haberi debent pro binis parallelarum internis positis ad easdem partes, qui simul sumpti æquantur duobus rectis.

(*) Hic adhibebuntur binæ formulæ, quæ cum hisce ipsis denominationibus occurrent in Opusculo sequenti, in quo, ut indicavi in præfatione hujus Opusculi, eæ habebuntur cum suis demonstrationibus. Hæ autem licet non videantur, sunt eædem, ac secunda & tertia numeri 5 Opusculi III hujus ipsius Voluminis, ibidem etiam demonstratæ. Illæ nimirum solà denominatione mutatà migrant in has, ut mox videbimus.

stratur, tertium latus differre a mensura anguli sibi oppositi per quantitatem ordinis inferioris relate ad mutationes ipsas laterum, & angulorum, ut idcirco valor ejusmodi lateris haberi possit pro valore anguli oppositi, & viceversa. Inter hæc complementa habentur suæ relationes, quæ differunt ab iis, quas proposuimus num. 17, quæ, ut ibidem monui, non sunt accuratæ, ubi acceditur ad quadrantem. Has innui num. 22: proponam autem hic easdem sine demonstrationibus cum applicatione ad hoc argumentum, ut appareat egregius earum usus.

59. Continentur binis æquationibus, in quarum altera combinantur bina latera cum angulo altero, in altera bini anguli cum altero latere. Denominationes laterum, & angulorum erunt eædem, quæ num. 17, sed x, y, p, q erunt omnes $= 90°$: z erit valoris cujusvis, cui erit æqualis valor r: ut tamen hæ formulæ locum habeant, is nec debet esse nimis exiguus, nec nimis accedens ad 180°: dx, dy, dp, dq erunt differentiæ priorum a quadrante, nimirum complementa, quæ possunt haberi pro positivis, ubi habetur defectus a 90°, quo casu erunt negativæ, ubi habetur excessus, vel viceversa pro positivis in secundo casu, negativis in primo, dummodo semper conservetur idem e binis concipiendi modis. Habebimus hic complementa pro positivis, ubi deficitur a 90°, ut applicatio ad schema fiat per valores positivos (*).

Valores laterum cum angulis oppositis . . . . x, y, z, p, q, r

COMBINATIONES, ET ÆQUATIONES

I. Bina latera cum altero angulo... $dx - dy\cos.z - dp\sin.z = 0$

II. Bini anguli cum altero latere... $dx\sin.z - dp - dq\cos.z = 0$

60. Pro

(*) Ut appareat, has formulas congruere cum illis, apponentur hic denominationes, & æquationes in prima e sequentibus binis lineis, quæ habebantur ibi in secunda quæ hic: si litteris lineæ primæ substituantur litteræ lineæ secundæ, æquationes illius migrabunt in æquationes hujus, ubi transpositis tantummodo terminis ipsius secundæ, hæc, quæ hic obvenit, est eadem, ac secunda in textu sequente, nimirum $dx\sin.z - dp - dq\cos.z = 0$

y, x, z, q, p, r ... $dy - dz\cos.x - dq\sin.x = 0$ ... $dq + dr\cos.x - dy\sin.x = 0$

x, z, y, p, r, q ... $dx - dy\cos.z - dp\sin.z = 0$ ... $dp + dq\cos.z - dx\sin.z = 0$

60. Pro applicatione consideretur triangulum AV'D (fig. 4); in quo latus AV' deficit a quadrante PV' per V'M' = Pa', DA per PL, qui valores habentur num. 40, & 42, ac eorum primus dictus est m, secundus fieri potest $= m'$. Inde per primam combinationem poterit haberi differentia a recto utriusvis anguli PDV', PV'D. In utroque casu distantia a polo DV', & angulus ipsi oppositus in A possunt assumi pro $= z$, qui erit valor complementi declinationis. Porro etiam inde constat, distantiam a polo, sive declinationem, bene determinari a circulo declinationis pro astris non nimis proximis ipsi polo, nihil obstante errore exiguo inclinationis secundi axis ad primum juxta num. 43. Sed pro angulo ad D erit $AV' = x$, ut ADV' sit $= p$, & pro angulo ad V', erit AD $= x$: hinc in primo casu $dx = m$, $dy = m'$, in secundo $dx = m'$, $dy = m$. Porro ex combinatione I est $dp = \frac{dx}{sin.z} - \frac{dy cos.z}{sin.z} = \frac{dx}{sin.z} - dy cot.z$. Quare complementum anguli ADV' $= \frac{m}{cos.decl.} - m' tan.decl.$, & anguli AV'D $= \frac{m'}{cos.decl} - m tan.decl.$

61. Ope primæ formulæ conficietur multo facilius tabula pro correctione ascensionis rectæ, de qua num. 43. Valor formulæ in æquatore, in quo declinatio evanescit, adeoque ejus cosinus $= 1$, ejus $tan. = 0$, evadit $= m$, differentia hujus a valore generali, erit error ascensionis rectæ pro quavis alia declinatione, adhibendus in efformanda ea tabula, nimirum $m - \frac{m}{cos.decl.} + m' tan.decl.$

62. Ope secundæ formulæ invenitur angulus, quem continebit in quavis declinatione diameter major rhombi cum horario, unde facile fluet constructio ejus tabulæ, de qua num. 47. Valor formulæ in æquatore erit pariter m', pro qua positione telescopii si aptetur rhombus ita, ut diameter major congruat cum horario; ejus deviatio pro quavis alia declinatione erit $m' - \frac{m'}{cos.decl.} + m tan.decl.$

63. Com-

19. Addemus etiam ex iis, quæ demonstrata sunt, facile deduci correctionem adhibendam in casu, in quo alterum ex binis astris sit quæpiam fixa, alterum cometa, qui habeat motum in declinationem satis magnum. Percurrat ipsa fixa chordam FGH accurate parallelam diametro minori AD: is cometa percurret chordam obliquam F'L'I', ubi tempora per F'L', L'I' erunt inæqualia, & appulsus ad diametrum BE, quæ tum referet arcum circuli horarii, non fiet in medio inter appulsus F', & I'. Si ex præcedentium dierum observationibus innotescat motus diurnus in declinationem, & fiat ut horæ 24 ad tempus t'' per chordam FI, ita motus ille ad quartum terminum; habebitur I'N', cujus dimidia est N'H'. Ea redacta ad secunda circuli maximi, & divisa per 15*cos.decl.* exhibebit tempusculum per ipsam, cujus tempusculi dimidium addendum erit tempori medio inter binos appulsus ad latera, vel ab eo demendum, ut habeatur appulsus ad diametrum BE in L', prout motus in declinationem fit versus verticem ejusdem semirhombi, vel versus oppositum. Inde habebitur correctio pro differentia ascensionis rectæ. Pro differentia declinationis, inventâ F'N' in partibus circuli maximi multiplicando t'' per 15*cos.decl.*, habebitur tota F'H', & ejus dimidium F'G', eritque F'N' : F'G' :: N'I' : G'L', quæ ablata a G'B = F'H', exhibebit BL', & habitâ BG habebitur GL' differentia declinationis. Quin imo pro BL' assumi poterit ipsa F'N', cum ob F'G' proxime dimidiam F'N' sit G'L' proxime dimidia N'I', adeoque proxime æqualis H'N'.

20. Inde obvenient hujusmodi regulæ. *Tempori intermedio inter binos appulsus ad bina latera addatur pars quarta motus in declinationem respondentis tempori* t'' *impenso per chordam divisa per* 15cos.decl., *ut habeatur tempus appulsus ad diametrum ma-*

majorem adhibendum pro differentia ascensionis rectæ : differentia declinationis inveniatur more solito, habendo pro chorda correcta exhibente distantiam a vertice sui semirhombi tempus t'' ductum in 15*cos.decl.* verum vix unquam eâ correctione erit opus. Si enim motus in declinationem singulis diebus sit graduum 24, erit IN pro singulis minutis horariis unius minuti, quod prope æquatorem respondet secundis horariis 4, adeoque ejus pars quarta unico secundo. Quare cum motus in declinationem soleat esse multo minor, correctio reducetur ad fractionem minuti secundi, quæ in ipsâ observatione nequaquam percipitur. Hinc ea correctio non erit sensibilis, nisi vel motus in declinationem sit velocissimus, vel distantia ab æquatore, aut campus telescopii ita ingens, ut mora per chordam sit perquam diuturna. Evitatur autem etiam in eo casu correctio ipsa, si observetur immediate appulsus ad diametrum majorem in L'.

21. Si, observatis omnibus sex appulsibus, bina tempora t, t' fixæ inveniantur æqualia, & tempora cometæ inæqualia; poterit inveniri motus in declinationem debitus tempori impenso per chordam ex ipsâ inæqualitate temporum; erit enim N'H' æqualis differentiæ temporum ductæ in 15*cos.decl.*, cujus dupla N'I' exhibebit quæsitum motum. Verum male inde deduceretur motus in declinationem respondens integræ diei, cum ipsæ fractiones secundorum neglectæ in observatione inducant errorem, qui a paucis minutis moræ intra rhombum traductus ad horas 24 nimis augetur. Porro eæ fractiones efficient sæpe, ut in rhombo etiam accuratissime collocato respectu motus diurni inveniatur inæqualitas temporum t, t' unius, vel binorum secundorum in altera, vel etiam in utraque e binis fixis, & quidem etiam in iis inæqualitas prorsus contraria, atque idcirco etiam in positione rhombi obliqua sæpe fiet, ut tempora t, t' pertinentia ad bina astra non inveniantur prorsus accurate proportionalia. Eam ob causam correctiones hujusmodi possunt omitti, si differentia inventa non sit plurium secundorum, vel potius observari debet transitus plurium fixarum advenientium ad campum telescopii inter appulsus binorum astrorum, quæ comparantur; & ad determinandam positio-

sitionem rhombi accuratius, & tutius, tangens inclinationis a determinari debet assumendo pro t'', & dt, summam ejusmodi valorum pertinentium ad eas fixas omnes.

§. II.

Regulæ & exempla.

22. NOTENTUR appulsus ad bina latera, & ad diametrum majorem rhombi pro utroque e binis astris, quæ comparantur, & si libet pro alia fixa quavis, vel pluribus.

23. Pro singulis subtrahatur tempus appulsus ad primum latus a tempore appulsus ad diametrum majorem, & hoc a tempore appulsus ad secundum latus, ac intervalla ita inventa dicantur t, t', & fiat $t'' = t + t'$, $dt = t - t'$.

24. Inveniatur angulus, cujus tangens $\frac{2dt}{t''}$, qui dicatur a: assumantur autem ad eam inventionem valores t'', & dt pertinentes ad astrum quodvis carens motu in declinationem diurno multorum graduum, vel summæ ejusmodi valorum pertinentium ad astra plura.

25. Is angulus addatur angulo $26°.34'$, & ab eo auferatur, ac summa tangentium angulorum inde provenientium dicatur m.

26. Inveniatur in secundis circuli maximi valor utriusque chordæ institutâ multiplicatione valoris t'' per $15 cos.decl.$ de more. Differentia ejusmodi chordarum divisa per m exhibebit differentiam declinationis in eo casu, in quo utrumque astrum percurrit eundem semirhombum, earum summa subtracta a diametro majore ducta in $sin.a$ pro semirhombis oppositis.

27. Si differentia declinationis, vel distantia ab æquatore fuerit exigua; habitis pro æqualibus earum declinationibus, satis erit differentiam, vel summam temporum t'' semel ducere in $\frac{15 cos.decl.}{m}$. Generaliter sic poterit institui calculus: inveniatur logarithmus $\frac{15 cos.decl.}{m}$ adhibendo declinationem astri cogniti: huic

ad-

addatur logarithmus valoris r'' astri incogniti : obveniet primo chorda substituta astri cogniti accurata, tum astri cogniti nondum correcta. Voco chordam substitutam perpendiculum ductum e vertice rhombi propiore in chordam observatam, quod in methodo communi æquatur ipsi chordæ, hic autem æquatur ipsi divisæ per m: correctio adhibenda chordæ substitutæ respondet differentiæ declinationis astri incogniti a declinatione cogniti, cui assumpta est æqualis: hæc adhibebitur post inventam declinationem astri incogniti nondum correctam, & itidem corrigendam; differentia, vel summa chordarum substitutarum adhibebitur ad habendam differentiam declinationum non correctam. Inveniatur per eam declinatio astri incogniti, quæ non erit correcta, sed erit veræ quamproxima: logarithmo chordæ secundæ reductæ jam invento addatur logarithmus cosinus declinationis inventæ, & complementum arithmeticum cosinus declinationis prius assumptæ, nimirum declinationis astri cogniti: habebitur valor chordæ substitutæ correctus. Est enim ut cosinus declinationis assumptæ ad cosinum declinationis veræ, ita valor ejus ipsius chordæ prius inventus ad valorem correctum, & ejus ope poterit corrigi etiam ipsa declinatio astri incogniti.

28. Differentia ascensionis rectæ determinetur per differentiam temporis appulsus binorum astrorum ad diametrum majorem: ascensioni rectæ astri incogniti inde deductæ adhibeatur correctio, quæ erit differentia declinationis ducta in tangentem anguli a, & divisa per cosinum declinationis addenda, vel subtrahenda juxta regulas numeri 13.

29. Pro eodem semirhombo correctio ascensionis rectæ haberi poterit etiam ducendo differentiam binorum dr in $\frac{30}{m}$, quæ an addenda sit, an subtrahenda, determinabitur eodem modo, quo in numero superiore.

EXEMPLUM I.

Utroque astro percurrente eundem semirhombum.

30. Tempora appulsuum ad bina latera, & ad diametrum rhombi, cum valoribus t, t', t'', dt inde deductis habentur in tabula sequenti

Pro astro cognito	Pro incognito
$6^h.16'.32''$	$6^h.32'.25''$
17.42	34.10
18.28	35.19
$t =$ 1.10	1.45
$t' =$ 0.46	1. 9
$t'' =$ 1.56 $= 116''$	2.54 $= 174''$
$dt =$ 0.24	0.36

31. Debet primo inveniri angulus a, cujus tangens $\frac{2dt}{t''}$, tum summa tangentium angulorum, qui inde proveniunt, fieri $= m$. Porro e numeris astri prioris ea fractio est $\frac{48}{116}$, e numeris posterioris $\frac{72}{174}$. Adhibetur in sequenti calculo prior valor, qui hic est accurate idem, ac posterior (*). In primis autem tribus lineis adhibentur logarithmi cum complemento arithmetico logarith-

(*) Si enim tam numeratori, quam denominatori prioris addatur suum dimidium; ea migrat in posteriorem. Hic quidem valor secundæ fractionis est accurate idem, ac valor primæ, in exemplo nimirum selecto ad id ipsum. Fere semper in fractionibus exhibitis ab observationibus habebitur aliquod exiguum discrimen, ob fractiones minutorum, vel saltem secundorum temporis, quæ negligantur, vel etiam sub sensum non cadant. Tum si plures fixæ adhibeantur ad determinandum angulum a; assumendum erit medium inter valores inventos de more. Verum exiguus error in eo angulo inducet in valores determinandos ope ipsius errorem exiguum, & fere penitus contemnendum.

rithmi divisoris 116 de more, in tribus postremis tangentes ipsæ naturales, & valor m earum summa.

$$\begin{array}{r} 48 \ldots\ldots 1,681241 \\ 116 \ldots\ldots \underline{2,064458} \\ tan.a \ldots\ldots 9,616783 \end{array}$$

$ABE = DBE = a = 22°.29'$

$$\begin{array}{r} \underline{26.34} \\ tan.49.\ 3 = 1,15240 \\ tan.\ 4.\ 5 = \underline{0,07139} \\ m = 1,22379 \end{array}$$

32. Tum debent inveniri binæ chordæ substitutæ in partibus circuli maximi per formulam $\frac{15t''cos.decl.}{m}$. Declinatio astri cogniti sit $26°.32'$: accipietur primo declinatio astri incogniti pro æquali ei eidem declinationi, & invenietur $log.\frac{15cos.26°.32'}{1,22379}$, scribendo in primâ columnâ $log.15$, $log.cos.26°.32'$, ac complementum arithmeticum logarithmi inventi $1,22379$, & capiendo eorum summam: sub hac scribetur logarithmus utriusque $t'' = 116''$, & $= 174''$: hi singuli additi logarithmo invento exhibebunt logarithmos binarum chordarum substitutarum, quibus adscribentur sui numeri in fine divisionis primæ ejus columnæ.

33. In prima divisione columnæ secundæ scribentur eæ chordæ substitutæ inventæ, quarum differentia exhibebit differentiam declinationum. Hìc habetur chorda astri incogniti major, quam chorda cogniti, supponemus autem borealem declinationem astri cogniti, ac transitum per semirhombum borealem, in quo casu differentia declinationum inventa erit subtrahenda juxta numerum 2 a declinatione astri cogniti ad inveniendam declinationem incogniti, ac ambæ erunt ejusdem denominationis, quia differentia obveniet minor quam declinatio astri cogniti. Calculus habetur in quatuor divisionibus tabulæ sequentis.

34. Priores binæ lineæ primæ columnæ divisionis primæ continent eas chordas, uti inventæ sunt in secundis, tertia earum differentiam, quarta eandem reductam ad minuta, & secunda, quæ

erit differentia declinationum nondum correcta, quinta declinationem astri cogniti, a qua subtrahetur ea differentia, unde in linea sexta emerget declinatio astri novi nondum correcta. Ea invenietur in columna secunda divisionis primæ: ibi habebuntur primo loco binæ chordæ substitutæ in fine columnæ præcedentis, tum in binis lineis sequentibus earum differentia, quæ est differentia declinationum in secundis, ac eadem in primis, & secundis, deinde declinatio astri cogniti, tum declinatio incogniti nondum correcta (*). Hæc corrigetur in columna prima divisionis secundæ, ubi habebitur logarithmus cosinus declinationis inventæ in fine divisionis præcedentis, tum complementum logarithmi cosinus declinationis astri cogniti prius adhibitæ, & in postrema linea summa eorum duorum logarithmorum cum logarithmo valoris, qui habebitur in linea præcedenti ultima columnæ primæ divisionis primæ, quæ exhibebit ibidem chordam substitutam astri incogniti correctam. Demum in secunda columna divisionis secundæ habebitur idem calculus, qui in secunda divisionis primæ, ponendo in secunda linea hanc chordam correctam pro præcedente nondum correcta.

15 1,176091	Chorda prima substituta .... 1272″
Cos. 26°. 32′ 9,951665	secunda nondum correcta 1908
. 1,22379 ..... $\bar{9}$,912294	Differ. decl. .... — 636
1,040050	Eadem in minutis, & secundis ... — 10′. 36″
116″......... 2,064458	Decl. astri cogniti .... 26°. 32′, 0″. B.
174.......... 2,240549	Decl. incogniti nondum correcta .. 26. 21, 24. B.
1272 3,104508	Chorda prima substituta 1272
1908 3,280599	secunda correcta 1915
	Differ. declin. .... — 643
Cos. 26°. 21′. 24″. . 9,952332	Eadem in minutis, & secundis ... — 10. 43
. Cos. 26. 32 ...... $\bar{0}$,048335	Decl. astri cogniti .... 26. 32, 0. B.
1915 3,282266	Decl. incogniti correcta .... 26. 21, 17. B.

35. Pro

(*) Hic exhibetur calculus pro prima e binis circumstantiis contrariis cujuscumque e tribus binariis expressis numero secundo, ubi declinatio astri cogniti est borealis, semirhombus borealis, chorda astri incogniti major, quam astri cogniti: idcirco differentia declinationum subtrahitur a declinatione astri cogniti. Remanet autem ejusdem denominationis utraque denominatio, quia differentia inventa est minor declinatione astri cogniti. In tota, & sola prima columna adhibentur logarithmi.

35. Pro ascensione rectâ differentia declinationis inventa debet duci in $\frac{tan.a}{cos.decl.}$, quæ erit correctio ascensionis rectæ inventæ per appulsum ad diametrum majorem addenda juxta num. 10 hîc, ubi semirhombus est borealis, tempus t'' astri cogniti longius quam incogniti, chorda ipsius propior cuspidi boreali, quia brevior in semirhombo boreali. Porro ascensio recta invenitur per appulsus ad diametrum demendo tempus appulsus astri præcedentis ab appulsu sequentis: differentia temporaria reducenda ad partes æquatoris more solito, & addenda ascensioni rectæ astri cogniti, quod hîc ponitur præcedens: ea ascensio recta ponetur hîc 125°. 8'. 32''.

Tangens anguli *a*	9,616782
Differentia declinationis $= 639''$	2,805501
Complem. log. cos. declin. correctæ $= 26°. 21'. 17''$ . .	$\bar{0}$,047688
Correctio in secundis additiva $= 295''$ (*)	2,469971
Eadem in minutis & secundis $+ 4'. 55''$	

Appulsus ad diametrum majorem astri	incogniti . .	6h. 34'. 10''
	cogniti . . .	6. 17. 42
Differentia horaria		16. 28
Differentia in gradibus, & minutis		+ 4°. 7. 0
Ascensio recta astri cogniti		125. 8. 32
Ascensio recta incogniti nondum correcta		129. 15. 32
Correctio additiva		4. 55
Ascensio recta astri secundi correcta		129. 20. 27

36. Pro correctione poterat assumi (num. 14) differentia binorum $dt = 36'' - 24'' = 12''$ ducta in $\frac{30}{m} = \frac{30 \times 12''}{1,224}$, sive $\frac{360''}{1,224}$ $= 294'' = 4'. 54''$, qui valor facilius inventus non differt a prio-re

(*) Hæc correctio est additiva juxta regulas expositas numero 13; quia semirhombus est borealis, primum tempus t astri cogniti majus secundo t', & chorda astri cogniti minor, quam chorda incogniti, & idcirco in eo semirhombo propior vertici boreali, quam ipsa.

re nisi per unicum secundum, discrimine tam exiguo orto a fractionibus minoribus contemptis in toto calculo.

EXEMPLUM II.

Pro binis astris percurrentibus semirhombos oppositos.

38. Tempora appulsuum ad latera, & diametrum rhombi habentur in tabula sequenti.

Pro astro primo	Pro secundo
$6^h.16'.32''$	$6^h.32'.25''$
17.42	33.34
18.28	35.19
$t = 1.10$	1.9
$t' = 0.46$	1.45
$t'' = 1.56 = 116''$	$2.54 = 174''$
$dt = 0.24$	0.36

39. Cum dt, & t'' sint hic iidem ac in exemplo primo, inventio anguli a fit, ut ibi: is evadit idem, adeoque iidem bini anguli inde deducti, & eadem summa m tangentium, ac iidem valores chordarum substitutarum. Sed pro declinationis differentia oportet invenire longitudinem diametri ductam in cosinum a, & subtrahere ab ipsa summam chordarum substitutarum. Sit diameter major $= 1^\circ.30' = 90' = 5400''$.

Sit diameter major $1^\circ.30' = 5400''$ 3,732394
Est cosinus $a = 22^\circ.29'$ 9,965668
Erit MS $= 4989''$ 3,698062

40. Ab hoc valore debet auferri summa chordarum prius inventarum $1272''$, & $1908''$, ut obtineatur differentia declinationis non correcta, quæ addita suppositæ exhibet declinationem astri incogniti non correctam, sed proximam. Valor secundæ chordæ hic etiam est corrigendus multiplicando ipsum per cosinum declinationis inventæ, & dividendo per cosinum prioris. Ita inveni-

tur

tur novus valor chordæ correctus, & iteratur calculus prior. En autem totum calculi progressum

Chorda substituta astri cogniti	1272"
Astri incogniti nondum correcta	1908
Summa	3180
Diameter major multiplicata per *cos.a*	4989
Differentia declinationum nondum correcta	− 1809
Eadem redacta ad minuta, & secunda	− 30'. 9"
Declinatio astri cogniti	26°. 32'. 0
Declinatio astri incogniti nondum correcta	26. 1. 51

Chorda astri incogniti nondum correcta 1908"	3,280599
Cosinus declinationis inventæ 26°. 1'. 51"	9,953590
Cosinus prius assumptæ 26°. 32'. 0" cum complemento log.	$\bar{0}$,048335
Chorda correcta 1917"	3,282524

Chorda substituta astri cogniti	1272"
Astri incogniti correcta	1917
Summa	3189
Diameter major multiplicata per *cos.a*	4989
Differentia declinationum correcta	− 1800
Eadem redactæ ad minuta, & secunda	− 30'. 0
Declinatio astri cogniti	26. 32. 0
Declinatio astri incogniti correcta	26. 2. 0

41. Sine nova repetitione calculi poterat declinationi inventæ addi differentia valoris correcti novi chordæ secundæ substitutæ a valore priore non correcto. Prior erat 1908", novus est 1917", differentia est 9", quæ addita priori declinationi 26°. 1'. 51" exhibet novam correctam 26°. 2'. 0". Facile in singulis casibus apparebit, an ea differentia debeat addi, an subtrahi: verum omnis difficultas determinandi id ipsum tollitur repetito calculo.

42. Differentia ascensionis rectæ invenitur prorsus ut prius per differentiam declinationis ductam in $\frac{tan.a}{cos.decl.}$

Tan-

Tangens anguli a	9,616782
Differentia declinationis 1800''	3,255272
Complem. logar. cosin. declinationis correctæ 26°.2'.0''	$\bar{0}$,046463
Correctio in secundis additiva 829''	2,918517
Eadem in minutis, & secundis + 13'.49''	

Appulsus ad diametrum majorem astri	incogniti	6h.34'.10
	cogniti	6 .17.42
Differentia horaria		16.28
Differentia in gradibus, & minutis		4°. 7. 0
Ascensio recta astri cogniti		125 . 8.32
Ascensio recta astri incogniti nondum correcta		129 .15.32
Correctio additiva		13.49
Ascensio recta astri incogniti correcta		129 .29.21

42. Methodus inveniendi unum e sex appulsibus, qui desit, ita facilis est ex proportionalitate valorum r, r' directa, vel inversa, ut peculiari exemplo non indigeat. Hìc illud tantummodo admonebimus, correctionem chordæ, & restitutionem calculi non esse peculiarem huic methodo positionis chordarum obliquæ: ea pertinet etiam ad methodum communem, cum pendeat a declinatione assumptâ æquali declinationi alterius astri. Si e præcedentium dierum observationibus innotescat, saltem proxime, nova declinatio; tum poterit assumi immediate ejus cosinus in reductione valoris chordæ secundæ a tempore ad partes circuli maximi. Hìc adjecta est sola inventio valorum a, m, & eorum usus simplex in calculo.

§. III.

De casibus, in quibus viæ astrorum secent utramque rhombi diametrum, vel solam minorem.

43. In superioribus persecuti sumus casum, qui semper usuvenit, in quo via astri utriusque secat diametrum rhombi majorem tantummodo: ita enim rhombus disponi solet, ut ea via sit ad sensum parallela diametro minori, cui si accurate parallela sit, nunquam secabitur diameter minor. At si via altera, vel utra-

que

que secet utrumque axem ; adhuc admodum facile determinantur ambæ differentiæ , nimirum declinationis , & ascensionis rectæ.

44. Chorda rhombi occurrens utrique diametro (fig. 3) minori in Q , majori in L debet omnino occurrere binis lateribus oppositis parallelis , ut AE in F , & BD in I. Tempora per FL, LI dicantur t , t', ut prius , ac tempus totale t'', tempora vero per FQ, QI dicantur T, T', ac tempus totale T + T' erit idem ac t'', ob æqualitatem chordarum FI , F'I' parallelarum inter latera rhombi parallela. Erit autem EL : LB :: FL : LI :: $t : t'$.

45. Hinc capiendo semisummas , & semidifferentias eruitur $\frac{1}{2}(t + t') = \frac{1}{2}t'' : \frac{1}{2}(t - t') ::$ CB : CL $= \frac{(t - t')\times CB}{t''}$. Pariter AQ : QD :: FQ : QI :: T : T', adeoque $\frac{1}{2}(T + T') = \frac{1}{2}t'' : \frac{1}{2}(T - T') ::$ CA : CQ $= \frac{(T - T')\times CA}{t''}$. Quare CL : CQ :: $\frac{(t - t')\times CB}{t''} : \frac{(T - T')\times CA}{t''}$. Ea est ratio radii ad tangentem anguli CLQ , sive BLI , & ob t'' communem , ac CB = 2CA evadit ratio $2(t - t') : T - T'$, sive $1 : \frac{T - T'}{2(t - t')}$.

46. Quare habetur hujusmodi theorema . *Differentia temporum inter appulsus ad bina latera opposita , & diametrum minorem divisa per duplam differentiam inter eosdem appulsus ad ea latera , & appulsum ad diametrum majorem exhibet tangentem anguli , quo via sideris inclinatur ad diametrum majorem.*

47. Determinato eo angulo , determinabitur facile diameter utraque . Nam in triangulo ILB præter eum angulum habetur IBL = 26°. 34' (num. 9). Quare habebitur & tertius BIL. Est autem ut sinus IBL ad sinum BIL , ita LI ad LB , & LF ad LE , adeoque ita tota FI ad BE . Datur FI = $15 t''$ *cos.decl.* Quare habebitur BE , & ejus dimidia AD.

48. Præterea erit $t + t' = t'' : t' ::$ FI : LI :: BE : BL ; idcirco hæc datur ob data tempora , & datam diametrum majorem BE , ac habetur hujusmodi theorema . *Ut tempus totale ad tempus inter diametrum majorem & latus posterius , ita diame-*

ter major BE, *ad ejus partem* BL *interceptam inter chordam & verticem* B.

49. Si binæ chordæ, ut FI, F'I', occurrant utrique diametro; inventis per id theorema BL, BL' invenietur earum differentia LL'. Quod si L'O sit perpendicularis ad viam astri cogniti FI; invento angulo L'LO (num. 46), invenietur L'O, ducendo LL' in ejus sinum, quæ erit differentia declinationum, & ducendo ipsam in ejus cosinum habebitur LO (*), quæ divisa per cosinum declinationis ejus astri cogniti exhibebit arcum ejus paralleli addendum differentiæ ascensionis rectæ inventæ per binos appulsus ad diametrum majorem BE, vel ab ea subtrahendum, ut habeatur differentia eadem correcta.

50. Verum notato appulsu alterius astri ad utramque diametrum, pro altero satis erit notare appulsum ad unicam, & ad unicum latus. Tempus totale erit quam proxime idem in utroque, ut vidimus. Quamobrem notato tempore appulsus ad diametrum, & ad latus alterum, habetur appulsus etiam ad alterum, & utrumvis e temporibus per bina segmenta, alterum immediate ex observatione, alterum subtrahendo ipsum a tempore totali t''. Sed alterum illud, quod obtinetur per immediatam observationem, sufficit: id jacebit in alterutro e semirhombis separatis ab illa diametro, ut si notentur appulsus L', I', jacebit L'I' in eodem semirhombo BDE cum LI: tum vero per bina segmenta binarum chordarum jacentia in eo semirhombo facile invenietur LL'. Sic in eo casu erit LI ad L'I', ut BL ad BL', cumque sint LI, L'I' quam proxime ut tempora, erit ut tempus per LI ad differentiam temporum per LI, L'I', ita BL inventa per theorema numeri 47 ad LL'. Inde invento angulo L'LO (num. 45) invenitur LO pro ascensione recta, & L'O pro declinatione. Ex eo casu patet, quid agendum in omnibus reliquis, in quibus inventum sit in observatione potius primum tempus, vel chordarum partes sint aliter

(*) Si differentia declinationum sit satis magna, ut timeri possit error sensibilis in valore chordæ F'I' erutæ multiplicando tempus per 15*cos.decl.* adhibita declinatione astri cogniti; potest adhiberi correctiuncula ut num. 28 inveniendo declinationem astri incogniti per eam differentiam, tum adhibendo hanc novam declinationem in formula 15*cos.decl.*, & repetendo eundem brevem calculum.

liter dispositæ, ac in ea figura. Semper adhibendo segmenta jacentia in eodem semirhombo invenietur ratio sive BL ad BL', sive EL ad EL', & inventa BL, vel EL' habebitur LL', ac LO, L'O.

51. Quod si alterâ chordâ, ut FI, occurrente utrique diametro, altera, ut F''I'', vel F'''I''' occurrat uni tantum, & notentur appulsus; habebitur determinatio similis. Erit enim ut tempus per LI ad differentiam temporum per LI, L''I'', ita BL ad LL'', vel ut tempus per FL ad differentiam temporis per FL, F'''L''', ita EL = BE — BL ad LL'''. Inde vero, ut prius, habebuntur LO', L''O', vel LO'', L'''O'' pro ascensione rectâ, & declinatione.

52. Si binæ chordæ occurrant soli diametro minori, vel altera huic, altera utrique; possunt itidem determinari omnia, mutatis admodum parum iis, quæ dicta sunt in fig. 1 de concursu utriusque chordæ cum majore, vel alterius cum ipsa; & alterius cum utroque in fig. 3. Satis est in iis figuris concipere EB non duplam, sed dimidiam AD. Tum angulus DBC habebit pro tangente 2, non $\frac{1}{2}$, eritque non $26°.34'$, ut num. 9, sed ejus complementum $63°.26'$: erit in fig. 1 IN non dupla, sed dimidia HN, & angulus IFN, sive MBL $= \frac{IN}{NF}$ non habebit pro tangente $\frac{2dt}{t''}$, ut num. 7, sed $\frac{dt}{2t''}$, qua mutatione factâ, procedent omnia reliqua, ut prius. Verum si ita obvertatur rhombus, ut viæ astrorum secent diametrum minorem, amittetur magnitudo campi telescopii, cum in eo casu astrum possit transire per ipsum campum extra rhombum, dum in casu, in quo viæ sint perpendiculares diametro majori, nullum astrum potest transire per campum telescopii, quin ingrediatur ipsum rhombum, & appellat ad utrumque latus, & ad eam ipsam diametrum.

53. Eam ob causam ita disponendus est tubus ferens rhombum, ut diameter major sit proxime perpendicularis viæ astrorum, nimirum ut congruat proxime cum arcu horarii. Exigua deviatio ab ea positione deprehendetur per inæqualitatem temporum t, t', & ope eorum differentiæ, invenietur correctio adhibenda, cujus theoriam continet §. I, & regulas, ac exempla §. II.

OPUSCULUM XVII.

De errore inducto a refractione in usu horologii solaris annularis universalis methodo posteriore simpliciore (*).

1. Notissimum est horologii solaris genus constans binis annulis, quorum alter in usu instrumenti redditur alteri perpendicularis cum suspensione excurrente per primum ita, ut collocari possit in distantia a secundo æquali latitudini loci, & foramine idoneo ad transmittendum radium excurrente per axem infixum primo annulo, & perpendicularem secundo, ut collocari possit in distantia a centro communi, quæ sit æqualis tangenti declinationis ad radium secundi circuli, quam ob

(*) Habetur hic numero 2, qua occasione conscriptum sit hoc Opusculum, in quo solvitur methodo breviore, & simpliciore idem problema, quod initio tentatum aliis, quæ se sponte rem consideranti obtulerant primæ, ut obviæ, & maxime ad rem idoneæ, exhibuerant complicationem maximam, & usum curvarum ordinis admodum elevati: sub ipsum finem ejusmodi perquisitionis animadverteram, licere alia via progredi, quam ingressus deveneram ad solutionem, quæ mihi videbatur ita simplex, ut nihil ulterius desiderandum superesset. Eam solutionem exposueram in alio Opusculo, quo jam penitus absoluto, incidi in aliam adhuc multo simpliciorem, quam hic propono. Plerumque id accidit, quod & alibi monui, potissimum in geometricis meditationibus, ut quæ simplicissima sunt, postrema demum menti sese offerant.

Cum in eo priore Opusculo continerentur multa admodum idonea ad perspiciendam Geometriæ vim, atque fœcunditatem, & considerationes uberes, quæ pertinent ad comparationes methodorum, ac contemplationem constructionum geometricarum, evolutionem formularum algebraicarum, enumerationem casuum, originem errorum, qui oriri possunt in usu inconsiderato methodorum differentialium, potissimum ubi eæ applicantur non ad quantitates infinitesimas, nimirum indefinite parvas, sed in se determinatas, & tantum physice exiguas; illud ipsum destinaveram typis huic subjiciendum. Verum cum ibidem occurrant nonnulla fere prorsus communia huc inde translata; iis tantummodo indicatis, excerpam ibi ea, quæ vel prorsus discrepant ab hic proponendis, vel utut cum ipsis congruentia ita connexa sunt cum adjectis, ut ab iis divelli non possint.

ob causam quadrans primi circuli a secundo ad polum dividitur in gradus respondentes latitudinibus, & in axe a centro versus utramque partem notantur tangentes respondentes declinationibus, adscriptis numeris graduum, ad quos eæ pertinent, & signis zodiaci in altera facie, in altera mensibus anni, quibus respondent eæ declinationes.

2. Usus ejus instrumenti supponit radium solarem delatum rectà a sole ad instrumentum collocatum in centro terræ, cui suppositioni contraria est refractio, quæ radium incurvat per atmosphæram, ac parallaxis, quæ respondet distantiæ superficiei terrestris, in qua id adhibetur, a centro, nimirum semidiametro terræ. Utraque exigua est, & inducit errorem fere semper exiguum, ac plerumque insensibilem in usu eorum instrumentorum, quæ plerumque solent esse exigua, & facile portatilia. Verum aliquando ea fiunt multo majora ad habendam horam multo magis exactam, cujusmodi unam admodum affabre elaboratam ostendit mihi Eminentissimus Cardinalis de Luynes Astronomiæ & protector, & cultor egregius; quanquam ejus constructio est admodum diversa, constans nimirum tribus circulis, & alidada habente pinnulam cum foramine. Errores, quos inducit refractio multis vicibus major parallaxi, obstant omnimodæ exactitudini. Promisi ipsi eorum determinationem, quam aliis complicatioribus methodis quæsitam, & inventam alio longiore Opusculo sum persecutus. Illud absolveram, & ipsi obtuleram, cum paullo post incidi in aliam multo breviorem, ac simpliciorem, quam in hoc Opusculo evolvam. Occurrent autem in quibusdam casibus errores non contemnendi. Ii communes sunt illi alteri constructioni adhibenti tres circulos cum alidada, de qua agam, posteaquam evolvero ea, quæ pertinent ad hanc constructionem communiter usitatam.

§. I.

Proponitur descriptio, & usus ejus instrumenti.

3. Circulus (Tab. XII fig. 1) AEBD exprimit primum annulum, DKEK' secundum ipsi perpendicularem cum diametro communi

muni DCE, & axe PCP', referente P polum borealem elevatum pro nostro hemisphærio boreali supra horizontem, P' australem depressum infra: A est suspensio mobilis, quæ collocatur ad distantiam DA æqualem latitudini loci, F foramen transmittens radios, quod excurrit per axem PP', & collocatur ad distantiam CF æqualem tangenti declinationis ad radium CD versus P, vel P', prout declinatio fuerit borealis, vel australis.

4. Suspenso libere instrumento per annulum affixum ipsi puncto mobili A, si primus circulus fuerit in plano Meridiani, patet, axem P'P habiturum directionem axis mundani ita, ut productus versus P abeat in polum borealem P'' sphæræ cælestis habentis pro centro punctum F. In ea sphæra sit P''ZQ quadrans Meridiani cælestis jacens in plano primi circuli, Z zenith respondens puncto F, Q punctum æquatoris. Si recta HF ducta e quopiam puncto secundi circuli per foramen F concipiatur producta usque ad punctum S superficiei ejusdem sphæræ cælestis, & punctum ipsum H concipiatur excurrens per totum secundum circulum; punctum S percurret in ea sphæra parallelum respondentem ei declinationi: nam angulus P''FS = HFC erit complementum anguli FHC = FDC, nimirum declinationi, quæ respondet tangenti CF, adeoque arcus P''S erit distantia ejus paralleli a polo: recta EF tendet in Meridiano ad punctum N, in quo is parallelus ipsum intersecat, & erit QN declinatio, ZQ latitudo loci, P''Z complementum latitudinis, ZS distantia puncti S a zenith. Si autem sol fuerit in eo parallelo ubilibet in S; ejus radius SF abibit ad aliquod punctum H secundi circuli, qui si fuerit divisus in horas 24, quarum hora XII meridiana respondeat ejus puncto infimo E; punctum H indicabit horam, quod sic facile demonstratur.

5. Angulus horarius in superficie cælesti erit ZP''S, qui exhibet inclinationem plani CP''S ad planum CP''Z, sive plani CP'H ad planum CP'E, cujus mensura in sphæra instrumenti est arcus EH: idcirco is redactus ad tempus exhibebit distantiam horariam momenti observationis a meridie, adeoque horam vespertinam, vel complementum matutinæ ad XII.

6. Verum in eo consistit maxima utilitas ejus instrumenti, quod

quod ipsum per se, dum indicat horam, simul indicat directionem plani Meridiani. Si enim instrumentum convertatur circa axem AB; radius transmissus per F non poterit abire ad secundum circulum, nisi in binis punctis H, & H' æque distantibus a puncto infimo E: quod si demonstretur; patebit, satis esse, ut innotescat, an observatio fiat ante, an post meridiem, ut ex iis binis positionibus seligatur illa, quæ respondet momento observationis, quæ nimirum indicabit planum Meridiani congruens cum plano primi circuli. Id autem sic facile demonstratur.

7. Recta ZF occurrat primo circulo in G, ac eadem producta in I, & si per conversionem instrumenti radius abeat in H' pro H, angulus IFH' radii retinentis semper directionem eandem cum recta FI, quæ itidem remanet verticalis, erit = IFH. Concipiatur in plano instrumenti CFE recta ex E parallela FC, quæ occurrat in M rectæ FI jacenti in eodem plano: erit ipsa perpendicularis toti plano secundi circuli, ut FC; adeoque triangula MEH, MEH' rectangula ad E. Porro in iis latus ME est commune, & hypothenusæ MH, MH' æquales sunt, cum in triangulis MFH, MFH' latus MF sit commune, radii FH, FH', sunt æquales, ut & latera coni recti habentis verticem in F, & axem FC perpendicularem plano basis circularis EKDK', & æquales anguli MFH, MFH', qui sunt iidem, ac IFH, IFH'. Quare & chordæ circuli EH, EH' æquales erunt, & æquales arcus horarii, quos subtendunt hinc, & inde ab E, quæ æqualitas in nullo alio puncto ejus circuli haberi potest.

§. II.

Determinantur errores orti e refractione.

8. Quæ superiore paragrapho sunt proposita rite procedunt, si mente secludatur refractio, & parallaxis, quarum altera solem elevat in plano verticali, altera deprimit. Hæc posterior nunquam pertingit ad 9 secunda, illa prior in horizonte assurgit etiam ad 33 minuta, & quanquam in majoribus altitudinibus sit etiam ipsa exigua, semper adhuc est multo major, quam parallaxis. Quia immo parallaxis negligi etiam poterit, cum refractio

in

in minoribus altitudinibus supra horizontem, in quibus parallaxis est minus insensibilis, sit incerta intra non pauca secunda, & vero etiam variabilis. Effectus earum conjunctus elevabit solem in circulo verticali sphæræ cælestis ex S in *s*, adeoque deprimet radium FH in plano verticali transeunte per rectam GI ad punctum *h* positum in intersectione ejus plani cum superficie sphæræ instrumenti. Hinc primo hujus circulo habente directionem Meridiani sibi debitam, radius non incidet in secundum circulum KEK'; sed instrumentum debebit converti, donec quoddam punctum *h'* ejus circuli incidat in radium F*h*. Oportet determinare arcum H*h'*, qui reductus ad tempus divisione solita per 15, exhibebit errorem temporarium in hora indicata ab instrumento inductum ab ea depressione radii, & inclinationem plani IF*h'* ad planum IF*h*, qui erit error inductus ab eadem in positione Meridiani: nam post conversionem recta FI instrumenti remanebit verticalis, & recta F*h'* acquiret directionem radii F*h*, dum planum instrumenti IFH recedet a positione præcedenti tantundem, quantum recesserit planum IF*h'*, quo eodem angulo, patet, debere converti totum planum primi circuli circa rectam verticalem GI. Omnia fient, tanquam si conversio fieret circa ipsam rectam GI immotam: si enim post conversionem transferatur totum instrumentum motu sibi parallelo, donec recta GI redeat ad locum priorem; radius abibit in idem punctum *h'*; & remanebunt omnia, ac si conversio facta fuisset circa ipsam GI.

9. Recta *h'*F positionis prioris debebit in sphæra cælesti abire ad quoddam punctum *s'* paralleli SN (num. 4), ita ut Z*s*, Z*s'* mensuræ angulorum ZF*s*, ZF*s'*, sive IF*h*, IF*h'*, sint æquales, & in conversione circa rectam GI immotam, puncto Z immoto, debebit arcus Z*s* abire in Z*s'*: adeoque angulus *s*Z*s'* erit secundus error inclinationis primi circuli ad verum Meridianum: angulus autem ZP''*s'* habebit pro mensura arcum E*h'*, ut angulus ZP''S habebat arcum EH. Quare angulus SP''*s'* habebit pro mensura arcum H*h'*, qui exhibet primum errorem horarium divisione instituta per 15. Quærendi sunt igitur anguli SP''*s'*, SZ*s'*, qui exhibebunt errores quæsitos.

10. Si

10. Ii facile invenientur pro quavis data latitudine loci, declinatione solis, & hora vera, methodo sequenti, ex qua determinatione licebit computare pro loco quovis, in quo instrumentum adhibendum sit, tabulam errorum habentem duplex argumentum, declinationem solis, & horam veram. Poterit autem error computatus pro hora vera applicari etiam horæ indicatæ ab horologio, quæ cum ob exiguitatem refractionis parum admodum differat a vera, habebit correctionem ad sensum eandem, ac illa. Porro quotiescumque hic in posterum nominabimus refractionem, intelligemus eam imminutam perquam exiguo numero secundorum, quem continet parallaxis. Refractionum tabula passim habetur applicata distantiis a zenith, quæ pro quavis distantia observata, vel inventa per Trigonometriam facile inde eruetur, & corrigetur per parallaxim, nisi hæc negligatur etiam juxta num. 8. En eorum angulorum determinationes admodum simplices.

11. Data latitudine loci, dabitur ejus complementum P''Z, & data declinatione solis, dabitur ejus complementum P''S, addendo ipsam gradibus 90, si fuerit australis, vel inde auferendo, si borealis: ea sunt bina latera trianguli ZP''S. Si assumatur hora quævis, & reducatur ad partes æquatoris tribuendo singulis horis, minutis, secundis, 15 gradus, minuta, secunda; habebitur angulus etiam ZP''S. Inde in eo triangulo invenietur latus ZS distantia vera a zenith, a qua si auferatur refractio S*s*, habebitur distantia apparens Z*s* = Z*s*': in eodem autem triangulo ZP''S habebitur itidem angulus P''ZS. In triangulo ZP''*s*' habebitur latus P''Z idem ac prius, & P*s*' erit = PS, puncto nimirum *s*' posito in eodem parallelo SN, ac habebitur etiam tertium latus Z*s*' = Z*s* jam inventum ex ZS invento in priore triangulo, & refractione subtracta. Quare invenientur in ipso anguli *s*'P''Z, *s*'ZP'', quorum priore ablato ab SP''Z, & SZP'' a posteriore, habebuntur bini anguli quæsiti SP''*s*', SZ*s*', & per ipsos quæsiti errores.

12. Si arcus Z*s*' fuerit minor arcu ZN; casus erit impossibilis: nam in triangulo *s*'P''Z deberent bina latera P''Z, Z*s*' simul esse minora tertio P''*s*', quod debet æquari arcui P''N = P''Z + ZN. Constat sane, distantiam a zenith meridianam esse omnium

minimam in eodem parallelo : hinc si differentia distantiæ a zenith SZ, quæ respondet horæ datæ, sit minor, quam distantia meridiana ZN, quæ est $= ZQ \pm QN =$ *lat.* $\pm$ *decl.*, per quantitatem minorem refractione ; nulla conversione instrumenti poterit radius adduci ad secundum circulum. Porro facile admodum determinabuntur omnes casus, in quibus id accidit, & limites, in quibus impossibilitas incipit, ac errores respondentes iis limitibus, qui cæteris paribus erunt omnium maximi.

13. In primis pro quovis loco, & quavis declinatione solis, id accidet prope meridiem : nam distantia ZS prope meridiem mutatur parum admodum ita, ut demum desinat in ipsam ZN. Quare utcumque sit exigua refractio Ss, aliquando arcus Zs evadet æqualis ipsi ZN, ac deinde fiet minor. Limes habebitur in ipsa æqualitate : is autem invenietur resolvendo triangulum $P''ZS$ pro casu congruentiæ punctorum s', N in circulo meridiano. In eo triangulo dabitur latus $P''Z =$ *compl.lat.*, & $P''S =$ *compl.decl.* Quoniam prope meridiem distantia a zenith mutatur parum admodum ; poterit assumi pro r refractio debita distantiæ solis a zenith meridianæ $=$ *lat.* $\pm$ *decl.* pro refractione debita puncto S constituto in illo limite prope punctum s', quod abit ibi in meridie in N, adeoque dabitur arcus $ZN = Zs' = Zs = ZS - Ss$, qui evadet $=$ *lat.* $\pm$ *decl.* $- r$, nam sole S appellente ad meridianum infra N per arcum æqualem refractioni, ejus distantia a zenith evadit $= P''S - P''Z = 90 \pm$ *decl.* $-$ *compl.lat.* $=$ *lat.* $\pm$ *decl.* Hinc in triangulo sphærico $ZP''S$ habebuntur omnia tria latera, adeoque invenientur anguli $SP''Z$, SZP'', quorum posterior ablatus a $180°$ exhibebit secundum errorem maximum ejus diei in ipso limite, & primus divisus per 15 distantiam horariam limitis ejusdem a meridie, quæ ipsa erit error maximus possibilis instrumenti pro eo die.

14. Deinde prope polum casus evadet impossibilis per totam conversionem solis circa polum. Nam est arcus ZS minor, quam $P''Z + P''S$, sive quam $2P''Z + ZN$. Quare si fuerit $P''Z$ minor, quam $\frac{1}{2}Ss$; erit $ZS - Ss$, nimirum Zs minor, quam ZN : adeoque si fuerit distantia a polo minor, quam dimidia refractio ;

casus

casus erit impossibilis. Limes impossibilitatis habebitur, ubi distantia loci a polo fuerit æqualis dimidiæ refractioni. Refractio in eo casu erit quam proxime ipsa refractio debita altitudini æquali declinationi solis, qui in tanta vicinia loci respectu poli conservat tota die eandem altitudinem supra horizontem. Sole existente in æquatore, ea erit refractio proxima horizontali; adeoque casus evadet impossibilis in æquinoctiis pro locis distantibus a polo minus, quam per *16* minuta: limes autem erit eo propior polo, quo anni tempus fuerit propius solstitio æstivo.

15. In superioribus solutionibus oportebit calculos triangulorum urgere usque ad secunda, ne error exiguus in determinatione arcus ZS primi trianguli traductus ad latus Zs' secundi inducat errorem non exiguum in angulos trianguli $s'P''Z$ ad P'', & Z, ut posset ob exiguam mutationem distantiæ a zenith prope meridiem: is error posset esse etiam multo major ipsis quantitatibus quæsitis. Ea calculi exactitudo potest evitari adhibitâ methodo differentiali, quæ etiam exhibebit formulas expeditiores, ac fere semper veris valoribus quamproximas: in iis habebuntur valores angulorum, & arcuum, quos satis erit nosse accuratos intra limites multo magis remotos.

16. Concipiatur arcus ss', qui ob $Zs = Zs'$, & angulum sZs' exiguum haberi poterit pro recta perpendiculari arcui Ss itidem habito pro recta. Haberi etiam poterit $s'S$ pro recta perpendiculari arcui $P''S$, adeoque angulus $s'Ss$ erit complementum anguli $P''SZ$. Porro erit in triangulo Sss' rectangulo ad s latus $Ss = r$, & $Ss' = \frac{Ss}{cos.s'Ss} = \frac{r}{sin.P''SZ}$, & $ss' = \frac{r}{cos.P''SZ}$. Porro arcus Ss' divisus per $sin.P''S$ exhibet angulum SPs', & $s's$ divisus per $sin.Zs'$, pro quo poni potest ZS, angulum $s'Zs$. Quare satis erit resolvere primum triangulum $P''ZS$, & invenire in ipso latus ZS distantiam solis a zenith, quæ dicatur D, & exhibeat refractionem r, ac angulum $P''SZ$, qui dicatur S: bini errores erunt $\frac{r}{15 sin.S \times cos.decl.}$, ac $\frac{r}{cos.S \times sin.D}$.

17. Si libeat eliminare angulum S, retentâ solâ distantiâ a zenith

nith D; satis erit ponere angulum horarium $ZP''S = H$, & adhibere proportionem sinuum laterum, & angulorum oppositorum. Erit nimirum $sin.P''SZ = \frac{sin.P''Z \times sin.SP''Z}{sin.ZS} = \frac{cos.lat. \times sin.H}{sin.D}$, unde fiet primus error $= \frac{rsin.D}{15cos.decl. \times cos.lat. \times sin.H}$. Arcus Ss', qui erat $\frac{r}{sin.P''SZ}$, erit $\frac{rsin.D}{cos.lat. \times sin.H}$, qui si dicatur a, & bini errores e, e'; erit $e = \frac{a}{15cos.decl.}$; $e' = \frac{\sqrt{((a+r)(a-r))}}{sin.D}$; nam in triangulo $Ss's$ est $ss' = \sqrt{(Ss'^2 - Ss^2)} = \sqrt{(a^2 - r^2)} = \sqrt{((a+r)(a-r))}$, qui valor divisus per $sin.D$ exhibet eum valorem pro e'.

18. Prope meridiem $\frac{1}{sin.H}$ excrescit in immensum, & in meridie evadit valor infinitus: idem accidit valori $\frac{1}{cos.lat.}$ prope polum, & in polo. Ibi valor erroris primi e evaderet immensus, ac demum infinitus, quod per se ostendit, valorem formulæ ibi esse erroneum: nam si radius facta conversione aliquando incidit in secundum circulum; distantia puncti incursus a puncto meridiei E non potest esse major semicirculo. Sed jam vidimus, in iis casibus problema esse impossibile. Error provenit ex eo, quod dum anguli $s'sS$, $s'SP''$ assumuntur pro rectis, negliguntur quantitates exiguæ, quæ tuto negligi possunt, donec angulus $P''SZ$, respectu cujus negliguntur, est non nimis exiguus: secus, si sit exiguus etiam ipse, ut est, ubi S nimis accedit ad N prope meridiem, vel Z ad P'' prope polum.

19. Si sol fuerit in æquatore cælesti; formula evadit simplicior, facto $cos.decl. = 1$, adeoque fit $e = \frac{rsin.D}{15cos.lat. \times sin.H}$. Si locus fuerit in æquatore terrestri, & sol extra cælestem; $cos.lat.$ evadit $= 1$, & formula $e = \frac{rsin.D}{15cos.decl. \times sin.H}$. Si & sol fuerit in æquatore cælesti, & locus in terrestri; obtinebitur $e =$

rsin.D

$\frac{r sin.D}{15 sin.H}$. Sed eo casu $H = D$; nam pro loco posito in æquatore terrestri æquator cælestis evadit primus verticalis, in quo sol positus ascendit rectà ab horizonte ad zenith ita, ut existente meridie in ipso zenith, distantia D a zenith sit ipse arcus horarius æquatoris H. Idcirco ibi fit $e = \frac{1}{15} r$. Refractio elevat solem in æquatore ipso, ac nulla conversione instrumenti est opus ad hoc, ut radius refractus incidat in secundum circulum. Id indicat ipsa formula $e' = \frac{\sqrt{((a + r)(a - r))}}{sin.D}$, in qua valor $a = \frac{r sin.D}{cos.lat. \times sin.H}$ evadit $= r$ ob $cos.lat. = 1$, & $H = D$; adeoque $a - r = 0$. Si sol fuerit in zenith; $sin.D$ evadit $= 0$, quo casu formula evadit $= 0$ ex duplici capite; quia fit $= 0$ tam $sin.D$, quam r: nec in ipso meridie, in quo $sin.H = 0$, impeditur evanescentia formulæ: nam in numeratore evanescunt binæ dimensiones simul, in denominatore unica $sin.H$. Nec vero potest evanescere ulla alia simul. Nam *cos.decl.* non potest decrescere infra cosinum maximæ declinationis 23°. 28'; & *cos.lat.* non potest evanescere nisi loco existente in polo terrestri, in quo sol non potest ascendere ad zenith.

20. Porro satis patet per sese, in ipso zenith, in quo refractio est nulla, errorem ab ipsa ortum esse itidem nullum, nec haberi locum pro perquisitione, in qua quæratur error inductus a refractione.

21. Formula tuto adhibebitur pluribus gradibus procul a meridie, & procul a polo terrestri. Prope eos casus poterit adhiberi illa alia methodus accurata, nimirum resolutionis binorum triangulorum sphæricorum ZP''S, ZP''s'. In usu formulæ valores *sin.D*, *cos.decl.*, *cos.lat.*, *sin.H* possunt assumi laxiores, nimirum etiam neglectis secundis, quia exiguus error respectu singulorum sinuum, vel cosinuum, inducet errorem exiguum respectu totius formulæ. Assumpto r in minutis, vel secundis circuli maximi, obveniet valor formulæ e in minutis itidem, vel secundis horariis vero proximus, si ii sinus, & cosinus assumpti fuerint discrepantes a veris

ris per quantitates exiguas respectu totius. Hinc si libeat computare integram errorum tabulam; possent ipsi valores distantiæ D a zenith assumi multo facilius per constructionem graphicam.

22. Ego jam olim edidi constructionem planam omnium casuum Trigonometriæ sphæricæ sane simplicem, & elegantem (*): en casum præsentem, in quo datis lateribus P''Z, P''S cum angulo horario ad P'', quæritur latus tertium ZS. Describatur (fig. 2) centro quovis F, & radio quovis FP circulus, in cujus peripheria assumantur hinc, & inde a P arcus PZ, PZ' æquales distantiæ P''Z a zenith figuræ 1, sive complemento latitudinis loci. Ductâ diametro PFP', & chordâ ZZ', quam ipsa secabit bifariam in C, centro C radio CZ fiat semicirculus ZHZ', in quo capiatur arcus Z'H, qui sit mensura anguli horarii dati ZP''S figuræ primæ, ac demittatur HD perpendiculum in ipsam diametrum. Assumatur versus Z' arcus PS æqualis distantiæ solis P''S a polo P'' figuræ 1, & ducatur diameter SFS', ac ipsi perpendicularis recta DE, quæ producta ex parte utravis usque ad primum circulum in Z'' exhibebit arcum SZ'' æqualem distantiæ quæsitæ ZS solis a zenith in fig. 1.

23. Nam si concipiatur semicirculus ZHZ' erectus verticaliter supra planum primi circuli; patet, ipsum debere jacere in superficie hemisphærii habentis ipsum circulum pro basi, cujus semicirculi polus erit P, & HD erit perpendicularis ei basi circulari. Si arcus PZ gyret circa diametrum PFP'; punctum Z percurret utique peripheriam ejus semicirculi, adeoque abibit aliquando in H. Itidem si arcus SZ'' gyret circa diametrum SFS'; punctum Z'' describet peripheriam circuli habentis polos in S & S', adeoque perpendicularis plano primi circuli, quod punctum idcirco aliquando perveniet ad positionem imminentem perpendiculariter puncto D, & eo casu congruet ipsum etiam cum H. Hinc ibi habe-

(*) Ea methodus habetur hic etiam Tomo III Opusc. I *Mémoire correlatif* I. Eâ usus sum in hoc Opusculo, cujus textum integrum retineo, ne mutandus sit ordo numerorum, & citationum, dum hæc est applicatio quædam theoriæ generalis ad hunc casum particularem, & quoddam ipsius Opusculi complementum: præstat autem potius id habere hic, quam quærere in alio Volumine.

bebitur vertex trianguli sphærici, cujus latera erunt arcus PZ, PS, SZ'', & anguli ad P mensura erit arcus Z'H semicirculi habentis polum in P. Quare id erit ipsum triangulum datum, & arcus SZ'' æqualis tertio lateri quæsito = D.

24. Datâ latitudine loci, idem semicirculus ZHZ' adhibebitur pro horis omnibus cum declinationibus solis assumendis pro inveniendo puncto S. Delineato eo circulo, satis erit ipsum dividere in partes 12 respondentes singulis horis, & e singulis divisionibus demittere singula perpendicula HD, quæ præparatio semel facta inserviet pro omnibus declinationibus solis, nec remanebit nisi pro singulis determinandum suum punctum S. Assumptis declinationibus pluribus, ut in quinos gradus, ducentur totidem diametri SS'. Pro singulis unum latus normæ applicatum ei diametro ducetur secundum ipsam, donec alterum transeat per singula puncta D, & assumetur distantia puncti S ab ejus occursu cum arcu primi circuli in Z'', quæ determinabit valores singulos D notandos in tabula præparata cum valoribus refractionum r ipsis respondentium. Ubi eo pacto inventi fuerint omnes valores D, & r respondentes uni e punctis S respondentibus uni declinationi, idem præstandum erit respectu alterius, quo pacto brevi tempore habebitur tabula eorum binorum valorum, qui conjuncti cum valoribus *decl.*, *lat.*, & H, exhibebunt valorem $a = \frac{r\sin.\text{D}}{\cos.lat.\times\sin.\text{H}}$, $c = \frac{a}{15\cos.decl.}$, $c' = \frac{\sqrt{((a+r)(a-r))}}{\sin.\text{D}}$: (num. 17).

25. Chordæ SZ'' translatæ in circinum proportionis exhibebunt valores D. Verum ipsi facile admodum habebuntur accuratiores, si radius FP primi circuli fiat partium 500 scalæ cujuspiam, cujusmodi plures haberi solent æri incisæ, quæ dividunt pollices 6 in partes 1000 ope transversalium. Chorda SZ'' translata in ejusmodi scalam exhibebit numerum respondentem sinui dimidii ejus arcus ad radium = 1000. Nam si radius FP contineret partes 1000; ea chorda haberet numerum duplum ejus, quem habet, qui idcirco exprimeret ejus dimidium, nimirum sinum dimidii arcus in partibus radii = 1000.

26. Si

26. Si libeat habere eâdem constructione etiam angulum P''SZ figuræ 1, adhibendum immediate in formulis numeri 16; is habebitur facile. In diametro ZZ' producta, si opus est, capiatur DE' = DE, ducaturque HE'. Angulus HE'D, vel ejus supplementum, æquabitur quæsito angulo, prout punctum D respectu radii SF ceciderit versus P, vel versus partem oppositam. Nam in casu punctorum Z, Z'' coeuntium in H, habebitur in E angulus trianguli rectanguli in H, quorum latera circa ipsum angulum erunt, recta DE manens in plano basis, & HD verticaliter erecta. Quare is angulus erit æqualis angulo HE'D trianguli HDE' habentis idem latus HD, & DE' = DE. Porro is angulus semper acutus erit ipse angulus ejus trianguli sphærici in S, si eo angulo existente acuto perpendiculum HD ceciderit respectu diametri SS' versus P, & erit ejus supplementum, si eo existente obtuso, id perpendiculum ceciderit ad partes oppositas: nam is angulus ejus trianguli rectilinei rectanguli exhibebit inclinationem plani lateris SZ'' oblique elevati ad planum lateris SP remanentis suo loco.

27. Hoc pacto habebuntur vel per calculum accuratum ope binorum triangulorum sphæricorum, vel per constructionem unici trianguli, & per formulas expeditas omnes valores necessarii ad construendam tabulam pro utroque errore respondentem datæ cuivis latitudini loci habens argumentum duplex, declinationem solis, & horam. Habebuntur etiam limites impossibilitatis. Limes pro distantia a polo facile invenietur methodo numeri 14, per quem is limes est distantia loci a polo æqualis dimidiæ refractioni, quæ debetur altitudini supra horizontem æquali declinationi solis, sive distantiæ a zenith æquali ejus complemento. Pro distantia a meridie debet concipi in fig. 1 punctum s' congruens in meridie cum puncto N evadente $Zs = Zs' = ZN = lat. \pm decl.$, & $ZS = Zs + Ss = lat. \pm decl. + r$. Hinc satis erit resolvere unicum triangulum sphæricum figuræ primæ, nimirum triangulum P''ZS, in quo erit $ZS = lat. \pm decl. + r$, $ZP'' = compl. lat.$, $SP'' = compl. decl.$

28. Sole existente in æquatore, evitari poterit resolutio ejus trian-

trianguli ope formulæ, quæ sic determinabitur. In eo casu ipse arcus SN est arcus æquatoris, congruentibus punctis N, Q, & ZNS evadit triangulum sphæricum rectangulum ad N, in quo ZN = *lat.*, ZS = *lat.* + *r*. Ponatur latitudo = *b*, & SN = *x*: erit e formulis trigonometricis $cos.SZ = cos.SN \times cos.ZN$, unde jam habebitur $cos.SN = \frac{cos.SZ}{cos.ZN} = \frac{cos.(lat. + r)}{cos.lat.} = \frac{cos.(b + r)}{cos.b}$, quod jam reddit faciliorem inventionem arcus SN, qui tum est ipse arcus horarius dividendus per 15 ad habendam distantiam horariam limitis a meridie, & primum errorem ibidem. Deinde est $cos.(b + r) = cos.bcos.r - sin.bsin.r$, & $cos.SN = cos.x = 1 - sin.vers.x = 1 - 2sin^2.\frac{1}{2}x$. Ob exiguitatem *r* poni poterit 1 pro *cos.r*, & ob exiguitatem *x*, $\frac{1}{2}sin.x$ pro $sin.\frac{1}{2}x$. Hinc fiet $1 - \frac{1}{2}sin^2.x = \frac{cos.b - sin.bsin.r}{cos.b} = 1 - tan.bsin.r$, & $sin.x = \sqrt{2tan.bsin.r}$.

In ea formula præstabit evitare sinum arcus *r*, ubi is fuerit nimis exiguus: nam oporteret quærere ejus logarithmum in tabulis sinuum ingentibus, ut Gardinerii; cum logarithmi secundorum non habeantur in tabulis communibus, nec inveniri possint methodo usitata differentiarum, quæ in logarithmis sinuum arcuum exiguorum non sunt inter se proportionales. Ad eam rem fiat $r' = 60r$, nimirum pro minutis, & secundis valoris *r* scribantur gradus, & minuta ad habendum r': erit $r = \frac{1}{60}r'$, adeoque proxime $sin.r = \frac{1}{60}sin.r'$, & $sin.x = \sqrt{\frac{tan.bsin.r'}{30}} = \sqrt{\frac{tan.lat.sin.r'}{30}}$, quæ formula exhibet sinum arcus SN = *x*, sive anguli ZP''S, qui divisus per 15 est error primus temporarius. Error secundus, qui est angulus NZS habet sinum $= \frac{sin.SN}{sin.ZS} = \frac{sin.x}{sin.(b + r)}$, pro quo poni etiam potest *sin.b* in denominatore, neglecto ibi exiguo valore *r*, sive *sin.lat.*

29. Similis formula potest inveniri pro limite etiam extra æquatorem. Sit in figura 3 PZQP' Meridianus cælestis idem, qui in fig. 1, posito P in polo boreali, & addito P' in polo australi: sit etiam arcus SN idem, qui ibi, tum arcus SA polo Z, ut sit

AN excessus arcus SZ supra ZN æqualis refractioni r, ac arcus SM sit arcus circuli maximi perpendicularis Meridiano. Puncto S jacente in hemisphærio boreali, jacebunt puncta A, N ultra ipsum: sed existente S' in hemisphærio australi, jacebit quidem A' ultra, sed N' citra M' respectu punctorum P, Z, ut jaceat ipsum N' ultra M' respectu P': ea omnia facile deducuntur ex theoria sphæricorum ob hypothenusas PS, ZS, ZS', P'S' minores quadrante, & arcus SM, S'M' exiguos. Hinc autem erit AN differentia arcuum MN, MA, & A'N' summa M'N', M'A', quod indicabunt etiam formulæ, quas pro iis valoribus inveniemus.

30. Fiat SM $= x$, PM $= b$, MN $= c$: erit PS $=$ PN $= b + c$, ac $cos.SM = \frac{cos.PS}{cos.PM}$, sive $cos.x = \frac{cos.(b+c)}{cos.b}$, nimirum, ob exiguitatem arcus c, $1 - \frac{1}{2}sin^2.x = \frac{cos.b - sin.b sin.c}{cos.b} = 1 - \frac{sin.c}{cot.b}$, adeoque $sin.c = \frac{1}{2}cot.b sin^2.x$. Eodem pacto si fiat ZM $= b'$, MA $= c'$; erit $sin.c' = \frac{1}{2}cot.b' sin^2.x$. Hinc $sin.c' - sin.c = \frac{1}{2}(cot.b' - cot.b)sin^2.x$. Pro $sin.c' - sin.c$ potest poni $sin.(c' - c) = sin.AN = sin.r$, & pro $b =$ PM potest poni PS complementum declinationis, facto $cot.b = tan.decl.$ Quare si adhuc fiat $r' = 60r$; obtinebitur $sin.x = \sqrt{\frac{sin.r'}{30(cot.b' - tan.decl.)}}$ (*). Hæc formula abit in præcedentem numeri 28, si sol sit in æquatore: ibi enim declinatio evanescit, adeoque valor inclusus parenthesi evadit $\frac{sin.r'}{30 cot.b'} = \frac{tan.b' sin.r'}{30}$ valor idem, ac ibi: nam hic b' est ZM, nimirum latitudo loci, puncto M abeunte in æquatorem, & ibi latitudo erat $= b$, adeoque hoc b' evadit id, quod ibi erat b. In hac ipsa formula si S abeat in S', declinatio evadit australis, adeoque mutat

(*) Potuit hic assumi complementum declinationis pro b, & poterit assumi $lat. \pm decl.$ pro b', quia punctum N est proximum puncto, ad quod sol appellit in meridie, cujus distantia b a polo P est complementum declinationis, & distantia a zenith Z est $=$ ZQ $\pm$ QN.

tat signum, & vel, ipsâ habitâ pro negativa, $-$ *tan.decl.* evadit valor positivus, vel scribendum est $+$ *tan.decl.*

31. Poterit in tabulis sinuum assumi tangens declinationis, & cotangens valoris $b' = lat. \pm decl.$ ad radium 10000, quæ tum non excedent quatuor notas, & captâ eorum valorum differentiâ, vel summâ, assumi ipsius logarithmus, qui cum *log.sin.r'*, & complemento logarithmico numeri 30 exhibebit summam, cujus dimidium erit *log.sin.x*. Valor x, sive SM divisus per sinum PS, sive per *cos.decl.* exhibebit sinum anguli MPS, qui angulus redactus ad tempus divisione per 15 exhibebit errorem primum, & idem *sin.x* divisus per *sin.*ZS, sive proxime per $sin.b' = sin.(lat. \pm decl.)$, exhibebit sinum erroris secundi MZS.

32. Errores plerumque erunt perquam exigui ob exiguitatem refractionis, ut innuimus num. 2: verum prope horizontem, ubi refractio est multo major, error primus perveniet ad plura minuta horaria, secundus superabit unum, vel plures gradus: & id multo magis accidet prope meridiem. Id patebit in paragrapho sequenti. Verum notandum illud, prope meridiem impediri usum hujusce instrumenti ab umbra primi annuli, cujus crassitudo vetat radium pervenire ad foramen. Simile impedimentum præstat umbra secundi annuli, sole posito prope æquatorem: verum in hoc casu remedium est facile. Satis est removere foramen a centro per dimidiam ejus annuli crassitudinem, & excipere radium non in circulo, qui inscribitur mediæ crassitudini annuli ejusdem, sed procul a medio per intervallum æquale spatio, per quod foramen retractum est a loco, quem debebat occupare relate ad declinationem solis. Res eodem modo habebitur, ac si foramine existente loco debito, radius exciperetur in circulo illo medio.

§. III.

Proponuntur methodi, & formulæ inventæ cum aliquot exemplis.

33. PRO solutione accurata resolvenda sunt (num. 11) bina triangula sphærica obliquangula ZP''S, ZP''s' (fig. 1). In priore

 datur

datur angulus $ZP''S$, qui dicatur H : is est hora vespertina, vel complementum matutinæ ad XII redactum more solito ad partes æquatoris: habebuntur itidem bina latera $P''Z$, $P''S$ ipsum continentia, quorum alterum $=$ *compl.lat.*, alterum $=$ *compl.* ($90^\circ \pm$ *decl.*). In eo inveniendum est tertium latus ZS distantia solis a zenith, quod dicatur D : capietur refractio ipsi respondens, & parallaxis, nisi ea negligatur, qua ablatâ a refractione, residuum dicatur r. In posteriore triangulo latus $P''Z$ erit idem, ac prius $=$ *compl.lat.*, latus $P''s'$ erit æquale priori $P''S =$ *compl.*($90^\circ \pm$ *decl.*), ac tertium Zs' erit $= Zs = D - r$. In hoc invenietur angulus $ZP''s'$, qui dicatur H', & angulus $P''Zs'$. Supplementum hujus posterioris erit error secundus positionis Meridiani : error primus horarius erit $\frac{H - H'}{15}$. Hæc methodus patet ex num. 11.

34. Bini sunt casus, in quibus problema evadit impossibile, locus nimis vicinus polo pro horis omnibus, & hora nimis vicina meridiei pro locis omnibus. Limes primæ impossibilitatis est (numer. 14) distantia loci a polo æqualis dimidiæ refractioni debitæ distantiæ a zenith æquali complemento declinationis solis, sive distantiæ solis a polo boreali. Limes secundæ impossibilitatis invenitur resolvendo (num. 13) triangulum sphæricum obliquangulum $ZP''S$, in quo primum latus est $P''Z$ complementum latitudinis loci, secundum est $P''S$ complementum declinationis solis, tertium latus ZS, quod assumendo refractionem r, quæ respondet distantiæ a zenith $=$ *lat.* $\pm$ *decl.*, evadit $=$ *lat.* $\pm$ *decl.* $+ r$. In eo triangulo inveniendus erit angulus $ZP''S$, qui divisus per 15 exhibet distantiam horariam a meridie, & is erit error primus in eo limite, tum etiam angulus $P''ZS$, cujus supplementum erit secundus error : ii autem errores erunt maximi ejus diei.

35. Si sol sit in æquatore, & arcus horarius limitis secundi dicatur x, ac fiat $r' = 60r$, sumendo nimirum gradus, & minuta pro minutis, & secundis, erit $sin.x = \frac{\sqrt{tan.lat.sin.r'}}{30}$ (num. 28), ac angulus x divisus per 15 erit error primus in eo limite : erroris autem secundi tangens erit $\frac{tan.x}{sin.lat.}$. Ubicunque sit

sol,

sol, si fiat $b' = lat. \pm decl.$, erit (numer. 30) $sin.x = \sqrt{\frac{sin.r'}{30(cot.b' \pm tan.lat.)}}$, & anguli horarii sinus erit $\frac{sin.x}{cos.decl.}$, qui angulus redactus ad tempus exhibebit (num. 31) errorem primum: sinus erroris secundi erit $= \frac{sin.x}{sin.(lat. \pm decl.)}$.

36. Ii erunt valores veris proximi. Pro solutione generali per formulam veræ proximam invenienda erit distantia D a zenith, vel per resolutionem primi trianguli sphærici (num. 11), vel per constructionem graphicam (num. 22) ea obtinetur e tribus elementis, latitudine loci, declinatione solis, & distantia horaria H a meridie redacta ad partes æquatoris: e distantia autem D a zenith habebitur refractio r. Ex iis elementis habebuntur (num. 24) sequentes formulæ, in quibus a est valor subsidiarius, e error primus horarius, e' secundus plani meridiani.

$$a = \frac{r sin.D}{cos.lat.sin.H},\ e = \frac{a}{15 cos.decl.},\ e' = \frac{\sqrt{(a+r)(a-r)}}{sin.D}.$$

37. Hæ formulæ exhibebunt valores veris satis proximos in distantia non nimis exigua loci a polo, & anguli horarii H a meridie. Paucorum graduum distantia sufficit ad eam rem. In multo minore distantia utravis, formulæ exhibent determinationem erroneam, qui error evadit infinitus, ubi locus sit accurate in polo, vel hora in ipso meridie. Hæc omnia satis patent e reliquo omni paragrapho secundo.

38. Quod pertinet ad exempla, applicabimus formulas ad plures casus latitudinis Parisiensis, & adhibebimus tabulam refractionum Bradleyanam, quæ est applicata altitudinibus apparentibus supra horizontem, quæ quidem facile transfertur etiam ad altitudines veras, ac veras distantias a zenith: & quidem in majoribus elevationibus discrimen est perquam exiguum inter refractiones respondentes iisdem mensuris distantiæ veræ, & apparentis, prope horizontem est multo majus. Idcirco, ne ulla reductione sit opus, incipiemus a casu ortus, vel occasus apparentis; in quo distantia a zenith apparens est $= 90°$, refractio 33', parallaxis circiter 8'', 6, adeoque refractio imminuta per parallaxim, sive $r = 32'$.

$= 32'.51'', 4 = 32',86$. Hora est in æquinoctiis proxime 6, in solstitiis 4, & 8, quibus respondet $H = 90°$, vel $= 60°$, & 120°, quorum valorum alter est supplementum alterius, adeoque habent functiones communes. Cum distantia a zenith D sit proxime $= 90°$, cujus sinus est proxime unitas, omittemus in hoc exemplo *sin*.D. En calculum (*).

In æquinoctiis logarithmi		In solstitiis	
$r = 32',86$ ...	1,51667	....	1,51667
.$cos.lat. = cos.48°.50'$ ..	$\bar{0}$,18161	....	$\bar{0}$,18161
.$sin.H = sin.90$	$\bar{0}$,00000	.$sin.60°$	$\bar{0}$,06247
$a = 49',92$ ..	1,69828	.... $57',64$ ...	1,76075
.15	$\bar{8}$,82391	....	$\bar{8}$,82391
.$cos.decl. = cos.0$ ...	$\bar{0}$,00000	.$cos.23°.28'$	$\bar{0}$,03749
$e = 3',33$	0,52219	.. $4,19$	0,62215
$a + r = 82',78$ ..	1,91793	.. $90',50$	1,95665
$a - r = 17,06$ ..	1,23198	.. $24,78$	1,39410
$(a + r)(a - r)$ ...	3,14991	....	3,35075
$e' = 37',58$	1,57495	.. $47',36$	1,67537

39. Primus error horarius e obvenit in æquinoctiis minutorum $3'\frac{1}{3}$, in solstitiis major, quam 4, & secundus directionis plani in priore casu $37'\frac{1}{2}$, in posteriore $47'\frac{1}{3}$. Ii quidem non sunt contemnendi; sed in majoribus altitudinibus, imminuta statim plurimum refractione, evadet uterque perquam exiguus.

40. Quod pertinet ad limitem impossibilitatis, sol prope polum

(*) In prima divisione invenitur $a = \frac{r}{cos.lat.sin.H}$: in secunda $e = \frac{a}{15 cos.decl.}$, ubi in ejus linea tertia fit summa logarithmi lineæ postremæ divisionis primæ, & logarithmi lineæ primæ ipsius; cum secunda non habeat nisi zero: in divisione tertia pro valore $e' = \sqrt{(a+r)(a-r)}$ ob $log.D = 0$ fit in linea tertia summa logarithmorum primæ, & secundæ, in quarta sumitur ejus dimidium, quod est logarithmus valoris e'.

lum in solstitio æstivo habet elevationem supra horizontem proxime æqualem declinationi, quæ est 23°.28'. Ipsi respondet refractio paulo major binis minutis, adeoque is limes distat a polo paullo plus, quam per unicum minutum. At in æquinoctiis ea distantia erit circiter minutorum 13. Nam in ea distantia a polo ea ipsa erit in meridie elevatio vera solis supra horizontem, cui respondet refractio proxime = 26', cum hæc addita ei elevationi veræ inducat apparentem proxime = 40', & huic elevationi apparenti respondeat proxime refractio = 26', cujus dimidium 13' debet esse distantia quæsita limitis a polo. Hìc negligimus parallaxim, cum is neglectus errorem non augeat ad sensum, & hunc limitem hìc definiamus tantum proxime.

41. Pro limite prope meridiem in æquatore formula est (numer. 28) $sin.x = \sqrt{\frac{tan.lat.sin.r'}{30}}$, qui valor exhibet in eo casu angulum horarium erroris primi: is sinus divisus per sinum latitudinis exhibet sinum erroris secundi. Retinendo eandem latitudinem 48°, 50', ea erit distantia solis a zenith in meridie: ipsi respondet refractio 1'. 5", parallaxis 7", adeoque $r = 0'.58"$, $r' = 0°.58'$. En calculum.

tan. 48°. 50'	0,05829
sin. 0 . 58	8,22713
.30	8,52288
	6,80830
sin. 1 . 27	8,40415
sin. 48 . 50	0,12332
sin. 1 . 56	8,52747

42. Priores tres lineæ continent *log.tan.lat.*, *log.sin.r'*, *compl.log.*30: quarta summam: quinta semisummam pro radice: sexta *log.sin.* valoris x, qui inventus, & redactus ad tempus est error primus: septima *compl.log.sin.lat.*: octava logarithmum sinus erroris secundi. Arcus distantiæ a meridie est $x = 1°.27'$, qui inducit distantiam horariam fere 6 minutorum. Error secundus 1°.56' accedit ad duos gradus. Iidem valores proveniunt, si resolvatur triangulum sphæricum rectangulum ZSN figuræ 1, ubi latus ZN

= *lat.*

$=$ *lat.* $= 48°.50'$, hypothenusa ZS $=$ *lat.* $+ r = 48°.50'.58''$, ac alterum latus SN est error quæsitus x; est enim *log.cos.*SN $=$ *log.cos.*$48°.50'$ $+$ *compl.log.cos.*$48°.50'.58'' = 9{,}818252 + 9{,}818392$ $= 9{,}999860 =$ *cos.*$1°.27'$, & angulus SNZ error secundus. Sed calculus est molestior ob secunda, quorum habenda est ratio in assumendo logarithmo cosinus hypothenusæ $48°.50'.58''$. Consensus ostendit, formulam erutam e calculo differentiali non continere errorem sensibilem, in ea nimirum distantia adeo magna hypothenusæ, & lateris a zero, & a $90°$.

43. In solstitio hyemali errores sunt adhuc majores. Distantia solis a zenith pro latitudine $48°.50'$, additis $23°.28'$, evadit $72°.18'$, cui respondet refractio circiter $3'.8''$, parallaxis circiter $8''$, adeoque $r = 3'.0''$, $r' = 3°.0'$. Quare resolvendum est triangulum sphæricum, in quo primum latus est $90° - 48°.50' = 41°.10'$, secundum $90° + 23°.28' = 113°.28'$, tertium $= 48°.50' + 23°.28' + 3'.0'' = 72°.21'.0''$, & inveniendi sunt bini anguli oppositi lateri tertio, & secundo. Verum res facilius perficietur per formulam numeri 30, quæ transformata juxta adnotationem evadit $sin.x = \sqrt{\dfrac{sin.r'}{30(cot.(lat. + decl.) + tan.decl.)}}$. Est $r' = 3°.0'$, *lat.* $+$ *decl.* $= 72°.18'$, *decl.* $= 23°.28'$. Debet autem inveniri pro errore primo angulus horarius, cujus sinus $= \dfrac{sin.x}{cos.decl.}$, & error secundus, cujus sinus $\dfrac{sin.x}{sin.(lat + decl.)}$. En calculum:

cot. 72°. 18' = 0,3191	
tan. 23. 28 = 0,4341	
0,7532	$\bar{0}$,12309
sin. 3. 0	8,71880
. 30	8,52288
	7,36477
sin. x	8,68238
. *cos.* 23. 28	$\bar{0}$,03749
. *sin.* 72. 18	$\bar{0}$,02106
sin. 3°. 0	8,71987
sin. 2. 54	8,70344

44. Prio-

44. Priores binæ lineæ continent tangentes non logarithmicas, sed naturales complementi *lat.* + *decl.*, & *decl.* ad radium = 1 : tertia earum summam cum ejus summæ complemento logarithmico : quarta *log.sin.r'* : quinta *compl.log.*30 : sexta summam binorum logarithmorum præcedentium : septima semisummam pro radice, quæ est *log.sin.x* : octava, & nona complementa logarithmica binorum divisorum *cos.decl.*, & *sin.b'* : decima summam logarithmorum septimæ, & octavæ, quæ est logarithmus sinus anguli horarii erroris primi : undecima summam logarithmorum septimæ, & nonæ, quæ est logarithmus sinus erroris secundi. Pro angulo horario obvenit 3°.0', cui respondet primus error horarius 12'.0'', pro errore secundo 2°.54', quorum errorum uterque est satis magnus : sed omnia hujus generis instrumenta prope meridiem nihil satis accurati exhibent ob exiguam mutationem altitudinis supra horizontem, & umbra primi annuli jam impedit ejus instrumenti usum in exigua distantia a meridie, ut monuimus num. 32.

45. Posset etiam inquiri in errores, quos pareret mala collocatio foraminis non respondentis declinationi, vel suspensionis non respondentis latitudini : sed in hoc Opusculo proposuimus solam perquisitionem errorum, quos parit refractio, pro quibus exhibuimus & solutiones accuratas, & formulas exhibentes valores veris proximos, cum determinatione limitum impossibilitatis, & aliquot exemplis errorum, in quibus in latitudine Parisiensi habetur in horizonte error primus horarius major etiam 4 minutis temporis, & prope meridiem 12 minutorum, error autem secundus in priore casu major etiam 47 minutis, in posteriore fere trium graduum.

§. IV.

De alia constructione ejus instrumenti per tres circulos.

46. PROPONEMUS jam constructionem illam aliam, quam innuimus num. 2, & ostendemus, eosdem errores pertinere etiam ad ipsam. Figura 4 exhibet tres circulos centro C; sed vitandæ con-

fusionis gratia non exprimitur ibi, nisi dimidium tertii. Primus est Meridianus PAP'Q, in quo Z est zenith, P polus borealis, P' australis: PDP'F est horarius mobilis circa polos P, P': AEQ est dimidium æquatoris, qui in usu instrumenti collocatur ita, ut sit perpendicularis Meridiano. Horarius habet adnexam alidadam DCF mobilem circa centrum C ita, ut possit collocari punctum ejus D in distantia DE ab æquatore, quæ sit æqualis declinationi: habet ea alidada binas pinnulas DG, FH sibi perpendiculares, in quarum priore habetur foraminulum, in posteriore punctum positum ad distantiam FH = DG ita, ut radius digressus a sole S abiens per G in H sit parallelus diametro horarii DF.

47. Collocatâ suspensione Z ad distantiam AZ ab æquatore respondentem latitudini loci, & alidadâ ad distantiam ED æqualem declinationi solis, si secludatur mente refractio, & parallaxis; non poterit radius abire in H, nisi horarius PDP' habeat positionem debitam horæ. Nam si recta HG dirigatur ad centrum solis, etiam diameter FD ipsi parallela confundetur cum recta, quæ tendit a centro C ad ipsum solis centrum. Quamobrem arcus ZD metietur distantiam solis a zenith: cumque PD, PZ referant distantiam poli a sole, & a zenith; triangulum PZD sphæræ instrumenti habebit tria latera respondentia lateribus trianguli sphæræ cælestis terminati ad polum, solem, zenith. Quare ejus angulus in P æquabitur angulo cælesti determinanti distantiam horariam a meridie, quam metietur arcus æquatoris AE. Angulus quoque DZP erit æqualis cælesti. Cumque planum DCZ congruat cum plano circuli verticalis cælestis transeuntis per solem; etiam planum CZP congruet cum plano Meridiani cælestis.

48. Ad hujus instrumenti usum, oportebit collocare horarium ad horam nonnihil anteriorem hora vera, & expectare nonnihil, donec conversione instrumenti ipsius circa punctum suspensionis Z, radius incidat in pinnulam FH ita, ut centrum circelli, quem is ibi exhibet, sit in puncto notato. Id reddit paullo complicatiorem ejus usum; quia requiritur motus duplex, alter horarii PDP' circa polos, alter Meridiani PAP' circa suspensionem Z: sed ipsius ope obtinetur major exactitudo; quia cum horario PDP'

ex-

excurrit nonius ipsi affixus, qui relatus ad divisionem horarum æquatoris AEQ exhibet etiam minuta. Præterea radius GH percurrens lineam æqualem integræ diametro est fere duplo longior radio prioris instrumenti, qui percurrit semidiametrum ipsius, vel lineam paullo longiorem. Demum distantia DG foraminis a D efficit, ut etiam sole existente in æquatore, adeoque puncto D in E, umbra æquatoris nihil obsit. Quin immo plura foraminula pinnulæ amplioris, cum totidem punctis respondentibus in altera pinnula id præstant, ut evitari possit semper tam umbra Meridiani, quam æquatoris, adhibito jam alio foramine, jam alio.

49. Verum errores inducti a refractione hic etiam sunt iidem prorsus, ac in illa alia communi constructione. Si enim DI sit refractio, D*d* arcus habens polum in P, I*d* in Z; pro triangulo ZPD habebitur triangulum ZP*d*, in quo latus PZ erit idem ac prius, P*d* æquale priori PD, Z*d* = ZI distantia apparens a zenith pro vera ZD. Hinc bini errores DP*d*, DZ*d*. Hi autem sunt iidem, ac in fig. 1 errores SP''*s*', SZ*s*'; cum puncta Z, P figuræ 4 respondeant punctis Z, P'' figuræ 1, & D, I, *d* illius, punctis S, *s*, *s*' hujus: adeoque eâdem eorundem binorum triangulorum sphæricorum resolutione, iisdem formulis, & numeris utendum erit utrobique.



OPUSCULUM XVIII.

De eodem argumento præcedentis Opusculi methodo complicatiore, quæ prima in mentem venerat.

§. I.

Compendium eorum, quæ dicta sunt in Opusculo primo, & habent nexum cum iis, quæ sunt hic proponenda.

1. IN adnotatione ad numerum 1 Opusculi præcedentis enunciavi, me hic indicaturum tantummodo ea, quæ in alio Opusculo conscripto ante ipsum occurrebant prorsus communia cum iis, quæ inde in ipsum fuerant translata, & propositurum ea, quæ vel prorsus discrepant a proponendis ibidem, vel utut cum ipsis congruentia ita connexa sunt cum adjectis, ut ab iis divelli non possint: id jam aggredior.

2. Communis est descriptio, & usus instrumenti, de quo agitur utrobique, quæ habetur ibi, & habebatur hic itidem in §. I. Figura 1 (Tab. XIII) habet communia fere omnia cum figura 1 (Tab. XII) Opusculi præcedentis, circulum primum instrumenti PADP'E collocandum in plano Meridiani cælestis P''ZQ cum ejus polo P'', zenith Z, puncto æquatoris Q: axem PCP' cum foramine F, per quod debet transire radius solis SFH, qui debet notare horas in circulo secundo perpendiculari priori: recta verticalis ZF occurrens primo circulo in G, & I, ac in M rectæ EM perpendiculari diametro DCE, adeoque parallelæ axi PP': rectæ FH, FH', EH, EH': demum refractio HFh, cum puncto h', in quod abit punctum h conversione instrumenti circa rectam verticalem GI.

3. Deest tantummodo in hac figura productio rectarum hF, h'F usque ad circulum cælestem verticalem ZS, & ad parallelum SN, quæ rectæ in illa abeunt in puncta s, & s', & accedit punctum L, in

in quo chorda verticalis GI occurrit diametro DE intersectioni communi binorum circulorum, cum rectis Ch', LH, Lh'. Error primus horæ notatæ in h' pro H est utrobique arcus Hh' secundi circuli redactus ad partes æquatoris, & error secundus motus circularis circa rectam GI immotam, quo punctum h abit in h', nimirum inclinatio plani IFH ad planum LFh', quod exprimitur ibi numero 8.

4. Ibi post productionem rectarum hF, h'F in s, s' patuit (num. 9), eos errores reduci ad angulos SP''s', SZs', ad quos obtinendos satis fuit resolvere bina triangula sphærica ZP''S; ZP''s', in quorum primo ex datis lateribus P''Z, P''S obtinebatur latus ZS cum angulis ad P'', & Z, in secundo latus PZ erat idem, ac in primo, latus P''s' erat æquale lateri P''S prioris; & latus tertium Zs' erat minus latere ZS ejusdem prioris per differentiam æqualem refractioni Ss: inventis angulis ad P'', & Z hujus secundi trianguli, habebantur eorum differentiæ ab iis angulis trianguli prioris, quæ erant illæ ipsæ mensuræ quæsitæ binorum errorum. Tum per methodos differentiales inquisitum est in differentias exiguas angulorum ad P'', & Z trianguli ZP''S ortas e differentia exigua lateris ZS abeuntis in Zs' per additionem refractionis exiguæ: eruta est formula differentialis pro mensura erroris utriusque, & inquisitum est in varios casus, in quibus ea formula potest inducere in errorem, & eos, in quibus problema evadit impossibile idcirco, quod nulla instrumenti conversione effici potest, ut radius refractus abeat in circulum DKEK' ad inveniendum ibi punctum erroneum h', & determinati sunt limites ejus impossibilitatis.

5. Hæc ibi: hic inquisitum est in errores per positiones ipsas rectarum FH, Fh, Fh', quod reddidit investigationem, ac determinationem aliquanto complicatiores, per quas tamen demum deventum est ad formulas differentiales easdem: inventi sunt alia ratione limites impossibilitatis iidem, tum multo prolixior instituta est analysis formularum pertinentium ad utrumque errorem in binis paragraphis, in quibus omnibus occurrunt pauca communia præter determinationes finales, multa autem diversa, quæ non

exi-

exiguam utilitatem habent singula, considerationes in primis, ac methodi non vulgares adhibitæ in amplissima evolutione formularum per enumerationem omnium mutationum, quæ possunt occurrere in singulis valoribus eas ingredientibus, & quæ inde profluunt in valorem finalem, cum omnibus casibus, in quibus habetur impossibilitas, vel in quibus methodus differentialis, potissimum ea, quæ applicatur ad quantitates physice tantum exiguas, potest in errorem inducere, quo tutior sit ejus usus in aliis omnibus, in quibus ea est aptissima ad reddendum calculum multo magis expeditum pro obtinendo valore finali, qui vero sit satis proximus, ut per eam applicationem quærebatur. Hinc pro iis omnibus retinebo hìc ejusdem Opusculi prioris textum, omissâ tantummodo constructione planâ trianguli sphærici P'''ZS, quæ in Opusculo præcedente habetur itidem a numero 22 ad 27, cujus repetitio hìc esset prorsus inutilis.

6. Initium sequentis paragraphi, in quo exhibetur determinatio utriusque erroris per calculum trigonometricum, habet pauca sane communia cum iis, quæ habentur etiam in Opusculo præcedente, ac sternunt viam ad solutionem problematis; sed progressus discrepat prorsus. Retento textu priore in ipso, & reliquis sequentibus, addam tantummodo adnotatiunculas, quæ ad rem idoneæ videbuntur.

§. II.

Determinatur effectus refractionis calculo exacto per Trigonometriam finitam.

7. SUPPOSUIMUS in paragrapho superiore, radium solis devenire ad punctum F cum directione, quæ respondeat declinationi solis, & plano primi circuli congruente cum plano Meridiani, ipsum radium progredi ea directione usque ad punctum H circuli secundi indicans ibi horam quæsitam. At eum radium deprimit refractio elevans solem, elevat parallaxis ipsum deprimens. Parallaxis, ubi est maxima in ipso horizonte, non pertingit ad 9 secunda, quam ob causam negligi tuto potest, vel si libeat, detrahi

trahi

trahi a refractione, quam agentes de ejus effectu intelligemus semper curtatam per parallaxim subtractam. Ipsa refractio est sane exigua; nam in horizonte, ubi est maxima, vix pertingit ad minuta 33, in altitudinibus etiam paulo majoribus statim reducitur ad paucissima minuta. Hinc ejus effectus in minoribus potissimum instrumentis, quæ portari solent in pera, & habent diametrum trium, vel quatuor pollicum, itidem contemni potest. Adhuc tamen erit operæ pretium, si is ipse effectus accurate determinetur, atque id eo magis, quod fiunt aliquando ejus generis instrumenta multo majora, ut possint determinari non solum horæ, & quadrantes, sed & singula minuta. Id hìc præstabimus.

8. Concipiatur planum ductum per rectam GI, & per punctum H horæ cujusvis e designatis in circulo EKD, ad quod eâ horâ appelleret radius delatus per rectam SF, & progrediens per FH, si nulla haberetur refractio. Id planum erit verticale ob rectam GI verticalem, & in eo jacebit radius depressus per angulum HFh æqualem refractioni, ac appellet ad punctum h circumferentiæ circuli GHI, qui erit intersectio ejus plani cum superficie sphæræ instrumenti, positum extra ipsum circulum EKDK', nec incurret in hunc, nisi is per liberam conversionem instrumenti adducatur ad ipsum radium Fh, & eum excipiat in aliquo alio suo puncto h'. Ita duplex habebitur error; alter in hora indicata a puncto h' pro H, alter in directione Meridiani abludente a vera per angulum, quo nova primi circuli positio mutata est in eo motu instrumenti. Horum errorum mensuras oportet determinare pro quavis latitudine loci, hora vera, & declinatione solis, datis iis tribus, & datâ tabulâ refractionum applicatâ distantiis solis a zenith. Determinabimus eos errores primum determinatione accurata ope Trigonometriæ finitæ, tum per formulas differentiales ob exiguitatem refractionis, e quibus profluent formulæ simpliciores pro utroque errore.

9. Recta GI occurrat diametro DE communi in L, & concipiantur rectæ ductæ a C, & L ad H, & h'. Datâ declinatione datur distantia P''S solis a polo complementum ipsius declinationis additæ 90 gradibus, vel inde ablatæ, prout ea fuerit australis,

vel

vel borealis : datâ latitudine loci, datur ejus complementum P''Z; & datâ horâ verâ datur angulus horarius ZP''S per conversionem temporis in partes æquatoris. Hinc in triangulo sphærico ZP''S habebitur ZS distantia vera solis a zenith, quæ est mensura anguli ZFS = IFH, & ex tabula refractionum habebitur refractio HF*h*, adeoque & angulus IF*h* æqualis distantiæ apparenti a zenith, cui erit æqualis etiam angulus IF*h'*, in quem ipse IF*h* abit per illam conversionem instrumenti.

10. Assumatur radius sphæræ CD = 1, & radius tabularum itidem = 1. Habebitur DF secans declinationis $= \frac{1}{cos.decl.}$, CF ejus tangens: tum FL dividendo hanc ipsam per sinum latitudinis loci CLF = DCA, & CL multiplicando eandem CF per ejus cotangentem. In triangulo LF*h'* habebitur LF, & F*h'*, quæ est = FD, ob FC perpendicularem plano secundi circuli, ac LF*h'* distantia a zenith curtata per refractionem. Quare invenietur L*h'* tertium ejus trianguli latus: tum in triangulo CL*h'* habebuntur latera CL, L*h'* inventa, & latus C*h'* = 1, adeoque invenietur angulus ad C, qui est idem, ac EC*h'*, sive arcus E*h'*, cujus conversione in tempus habebitur hora puncti *h'* in instrumento, & ejus differentia ab hora assumpta pro H exhibebit primum errorem quæsitum.

11. Pro errore directionis plani Meridiani concipiatur post gyrum instrumenti circa axem AB chorda GI, quæ in illa conversione remanet verticalis, per novam totius instrumenti translationem reddita in locum pristinum, manente eadem nova directione plani primi circuli: radius adhuc abibit in punctum instrumenti *h'*. In priore positione planum instrumenti congruens cum plano verticali transeunte per eandem rectam LF & per radium solis erat planum LF*h*, sive LFH, in secunda ei succedit planum instrumenti LF*h'*. Quare motus plani est inclinatio mutua eorum planorum.

12. Ad inveniendam eam inclinationem notetur in primis, triangula HC*h'*, HF*h'* esse isoscelia, adeoque dimidium chordæ H*h'* esse sinum dimidii anguli HC*h'* jam inventi ad radium CH = CD,

CD, & dimidii anguli HFh' ad radium FH = FD. Quare erit ut FD ad CD, sive ut radius ad cosinum declinationis CDF, ita sinus dimidii anguli inventi HCh', ad sinum dimidii HFh': nimirum $sin.\frac{1}{2}HFh' = cos.decl. \times sin.\frac{1}{2}HCh'$, qui proinde habebitur. Hinc in tribus rectis FL, FH, Fh' habebuntur tres anguli ad F, nimirum LFH vera distantia solis a zenith, LFh' eadem curtata per refractionem, & angulus HFh' hic inventus; quæretur autem inclinatio planorum LFH, LFh'. Est notissimum, rem reduci ad solutionem trianguli sphærici, in quo illi tres anguli habebunt pro mensura illa tria latera, & tres inclinationes planorum erunt tres ejus anguli, inter quos inveniendus erit is, qui respondet iis binis planis. Sint in fig. 2 rectæ FL, FH, Fh' eædem ac in prima, & posterioribus binis occurrat in M, & N superficies sphæræ habentis centrum F, ac radium FL. In triangulo sphærico MLN dabuntur tria latera LM, LN, MN, quæ metiuntur eos tres angulos LFM, LFN, NFM datos, adeoque invenietur angulus MLN, qui est inclinatio planorum LFM, LFN exhibens secundum errorem quæsitum.

13. Hoc pacto habebitur uterque error calculo exacto, qui posset applicari angulo refractionis utcumque magno. Sed cum agatur de inveniendo (fig. 1) angulo HCh' exiguo, & exigua inclinatione planorum; calculus debet fieri exactus usque ad secunda pro inventione anguli LCh', cujus debet assumi differentia ab assumpto LCH. Exiguitas refractionis efficit, ut res multo facilius absolvi possit per formulas differentiales Trigonometriæ, quod sequenti paragrapho persequemur.

§. III.

Determinantur eadem per theoriam differentialem Trigonometriæ.

14. Notissima sunt theoremata, quæ pertinent ad exiguas variationes occurrentes in ternis triangulorum lateribus, & angulis. Eorum plura protulit olim Cotesius: alia multa Astronomi addiderunt, in quibus plerumque duo ex iis sex habentur pro constan-

stantibus, & in singulis habetur proportio exhibens rationem variationum pertinentium ad singula binaria eorum quatuor, quæ mutantur. Ego (*) ad Academiam Parisiensem Scientiarum transmisi quatuor æquationes generales, in quibus habentur omnes nexus mutui earum variationum, ubi etiam mutentur omnia: eæ continent omnia earundem quaternaria, adeoque omnes etiam casus, in quibus supponatur unum aliquod constans, vel duo: nam in iis casibus satis est efficere $= 0$ omnes terminos, in quibus occurrat variatio quæpiam termini constantis. Possem hic adhibere unam ex iis proportionibus, vel æquationibus; sed cum res reducatur ad casum, in quo constantibus binis lateribus quæratur nexus inter variationes tertii lateris, & anguli ipsi oppositi, ac ejus evolutio geometrica sit admodum simplex, eam hic adhibebo.

15. Vertex C (fig. 3) trianguli ACB abeat exigua mutatione in c ita, ut latus AB maneat, & BC sit $=$ Bc. Centro A concipiatur arcus cD, qui abscindet differentiam CD laterum AC, Ac. Quæratur nexus inter ipsam CD differentiam lateris AC, & CBc differentiam anguli ipsi oppositi ABC. Si concipiatur arcus Cc habens centrum in B; is, & cD haberi poterunt pro rectis perpendicularibus ad suos radios. Hinc haberi poterunt pro rectis anguli cCB, cDC, & proinde anguli ACB, CcD complementa ejusdem cCD erunt æquales inter se, eritque CD $=$ Cc $\times$ $sin.$CcD $=$ Cc $\times$ $sin.$ACB. Porro cum arcus quivis sit ut radius, & angulus, quem subtendit in centro; erit Cc $=$ BC $\times$ CBc, adeoque CD $=$ CBc $\times$ BC $\times$ $sin.$ACB. Si latus variabile dicatur x, angulus ipsi oppositus p, alterum e reliquis binis lateribus z, angulus ipsi adjacens q, & differentiæ, seu variationes designentur de more, præfixâ litterâ d; erit $dx = dpz sin.q$.

16. Huc reducitur prima e meis æquationibus continens variatio-

(*) Hæc sunt ea, quæ habentur fuse exposita, ac demonstrata in Opusculo XV. Hic etiam haberi posset nova earundem illarum æquationum applicatio præter tot alias ibidem vel adhibitas, vel indicatas: sed hic exhibetur immediate, & demonstratur sola illa totius generalis theoriæ particula, quæ pertinet ad hunc usum. Habetur paullo inferius num. 16 applicatio primæ ex illis quatuor, ad quam pertinet præsens problema, unde semper magis innotescet illarum utilitas latissime patens.

tiones trium laterum, & unius anguli, factis $=0$ terminis, qui continent variationes binorum laterum adjacentium eidem angulo. Æquatio integra est mihi $dx - dy\cos.r - dz\cos.q - dp\sin.z\sin.q = 0$, ubi x, y, z sunt tria latera trianguli sphærici p, q, r anguli iis oppositi. Factis dy, & $dz = 0$, habetur $dx = dp\sin.z\sin.q$: posito latere z pro ejus sinu in triangulo plano, obtinetur æquatio particularis $dx = dpz\sin.q$, quam hic directe demonstravimus. En ejus applicationem ad casum præsentem. In triangulis (fig. 1) LFH, LFh' latus LF est idem, latus FH = Fh': quare fieri poterit LH $= x$, LFH $= p$, cujus differentia HFh, nimirum refractio r, erit $= dp$: tum FH $= z$, FHL $= q$. Hinc differentia lateris LH $= r \times$ FH $\times sin.$FHL. Simili modo in triangulis LCH, LCh' latus CL est constans, CH = Ch': quare eadem differentia lateris LH erit = HCh' $\times$ CH $\times sin.$CHL. Hic valor æquatus illi priori exhibebit HCh' $= \frac{r \times FH \times sin.FHL}{CH \times sin.CHL}$.

17. Ex ea formula facile eliminantur bini anguli FHL, CHL. Ex proportionalitate sinuum angulorum cum lateribus oppositis est $sin.FHL = \frac{FL \times sin.LFH}{LH}$, & $sin.CHL = \frac{CL \times sin.LCH}{LH}$. Quare formula evadit $r \times \frac{FH}{CH} \times \frac{FL}{CL} \times \frac{sin.LFH}{sin.LCH}$. Porro est $\frac{CH}{FH} = \frac{CD}{FD}$ cosinus declinationis, $\frac{CL}{FL}$ cosinus anguli CLF, sive latitudinis loci DCA, LFH = SFZ est distantia solis a zenith: LCH habet pro mensura arcum horarium EH, nimirum horam vespertinam, vel residuum matutinæ ad XII redactam ad partes æquatoris. Quare si distantia a zenith dicatur D, & hic angulus horarius H; habebitur valor formulæ $\frac{r\,sin.D}{cos.decl.cos.lat.sin.H}$.

18. Is valor pendet a tribus elementis, declinatione solis, latitudine loci, & horâ: nam ab iis pendet D distantia a zenith, & ab hac refractio r. Ad habendam ex iis elementis distantiam a zenith, satis est resolvere triangulum sphæricum ZP''S, in quo ha-

habebuntur hæc tria, latus P''S complementum declinationis additæ gradibus 90, vel inde ablatæ, prout ea fuerit australis, vel borealis, latus P''Z complementum latitudinis loci, & angulus horarius ad $P'' = H$. Quare habebitur latus $ZS = D$. In tabula refractionum habebitur refractio r respondens distantiæ a zenith D.

19. Resolutio numerica trianguli ZP''S evitari potest per constructionem graphicam, quæ exhibebit valorem arcus quæsiti ZS satis proximum vero ad hanc rem, ubi valor formulæ debet esse exiguus. Plurium minutorum error in valore D inducet errorem in ejus sinu, & in refractione r exiguum respectu totius, qui evadit insensibilis (*). Inventis vel per calculum trigonometricum, vel per constructionem graphicam distantiis D a zenith, & eruto e tabulis refractionum valore r refractionis, quæ ipsi respondet, facile ope logarithmorum invenietur pro singulis horis singularum declinationum valor formulæ $\frac{r sin.D}{cos.decl.cos.lat.sin.H}$, qui factâ conversione in tempus, nimirum divisus adhuc per 15, exhibebit errorem primum.

20. Sic pro dato loco facile obtinebitur tabula primi erroris habens duplex argumentum, nimirum declinationem, & horam. Eadem obtinebitur etiam pro secundo errore deviationis plani instrumenti a plano Meridiani, & quidem facilius itidem per usum quantitatum exiguarum. Concipiatur in fig. 2 arcus Nn, qui abscindat Mn differentiam laterum LM, LN; sive angulorum LFH, LFh', quæ est $= r$. Positis in num. 12 angulis HFh', HCh' pro eorum sinubus, habebitur valor prioris, si valor posterioris ducatur in *cos.decl.*. Valor autem anguli HCh' est (num. 17) $=$ $\frac{r sin.D}{cos.decl.cos.lat.sin.H}$. Quare valor anguli HF$h'$, sive arcus MN, erit $= \frac{r sin.D}{cos.lat.sin.H}$, qui dicatur a. Ob angulum rectum MnN erit

(*) Hic habebatur constructio prorsus eadem, quæ in Opusculo præcedente a numero 22 paullo aliter expressa, sed re prorsus eadem, quæ quidem nec est necessaria: poterat enunciari, methodum generalem ejusmodi constructionis haberi in prima parte Tomi III hujus Collectionis statim post Opusculum primum.

erit $Nn^2 = MN^2 - Mn^2$, adeoque $Nn = \sqrt{(a^2 - r^2)} = \sqrt{((a+r)(a-r))}$. Is arcus divisus per sinum arcus LN, vel LM, sive anguli LFH distantiæ a zenith = D, exhibebit angulum MLN, sive quæsitam inclinationem planorum $= \frac{\sqrt{((a+r)(a-r))}}{sin.D}$.

21. Error primus horarius erat, num. 19 $= \frac{r sin.D}{15 cos.decl.cos.lat.sin.H}$, adeoque erit $= \frac{a}{15 cos.decl.}$. Quare si is error dicatur e, & error secundus positionis plani Meridiani e'; addito valore a utili pro utroque, habebuntur sequentes formulæ (*).

$$a = \frac{r sin.D}{cos.lat.sin.H},\ e = \frac{a}{15 cos.decl.},\ e' = \frac{\sqrt{(a+r)(a-r)}}{sin.D}.$$

§. IV.

Proponuntur considerationes prioris methodi ad solutionem adhibitæ (**).

22. PRIMA methodus (§. II) est accurata, nec unquam potest inducere in errorem, potest tamen deficere in casibus nonnullis: secunda (§. III) fere semper exhibet valorem saltem vero quamproximum, sed aliquando inducit in errores maximos, qui possunt etiam excrescere in infinitum, quod quidem accidit methodis omnibus differentialibus, nisi caute adhibeantur, & quidem aliquando etiam, ubi agitur de quantitatibus vere infinitesimalibus, sed multo magis, ubi methodi infinitesimales applicantur, ut hic, quantitatibus non infinite parvis, sed finitis, utut exiguis. Evolvemus hoc, & sequenti paragrapho ea omnia, quæ evolutio erit utilis non modo ad habendam accuratam determinationem eorum, quæ in hoc Opusculo quæruntur, sed ad agnoscendam intimius indolem methodorum, & evitandos errores, quibus

(*) Hi valores iidem obvenerunt in præcedente Opusculo numero 17 eruti ibi alia methodo simpliciore.

(**) Hæ investigationes habentur in Opusculo præcedente institutæ paullo aliter, nimirum relate ad illam aliam methodum solvendi idem problema, & continentur intra limites arctiores.

bus obnoxii esse possunt, qui eas temere adhibent, nec solutiones generales excutiunt, & applicant ad diversos casus particulares, qua in re veteres Græci Geometræ fuerunt accuratissimi: nostri recentiores nonnunquam sunt multo negligentiores.

23. Prima illa methodus adhibet (fig. 1) resolutionem trigonometricam triangulorum L*h*'F, L*h*'C, assumpto ubicunque puncto H, ex quibus profluat angulus HC*h*', qui exhibet arcum horarium H*h*' erroris primi, & inclinationem planorum IFH, IF*h*', sive errorem secundum inclinationis plani Meridiani. Quare si ea triangula haberi non possint in quibusdam casibus; in iis ea methodus deficiet. Porro ea triangula haberi non possunt, si utrumque e punctis F, L, vel alterum abeat in C, vel in infinitum, quo casu ea triangula evanescunt, vel abeunt in infinitum ita, ut eorum angulus, qui habebat ibi verticem, nusquam jam sit. Ipsa autem triangula evadunt impossibilia, & inducunt eam, quam in calculo appellamus imaginarietatem; si conditio problematis reddat unum e tribus lateribus majus reliquis binis simul sumptis. Ad evolvendos eos casus consideranda est positio punctorum F, L, H, *h*', quæ pendet a declinatione solis, latitudine loci; & hora, a quibus elementis pendent errores inducti a refractione in usu instrumenti, de quo agimus.

24. Refractio ipsa HF*h* habetur semper, sole posito extra zenith Z. In eo solo casu evanescit, in quo sol appellat ad zenith, in quo quidem patet, errorem provenientem a refractione nullum esse. Id non potest accidere nisi sub zona torrida in singulis ejus locis semel, vel ad summum bis in anno, in meridie, quo casu puncta H, *h* abibunt simul in I. In quavis alia determinata distantia solis a zenith refractio habetur aliqua, quæ est perquam exigua in exigua distantia, augetur, eâ auctâ, sed ita, ut ad minutum integrum non perveniat, nisi post gradus 45 ejus distantiæ, & in ipso horizonte, in quo est maxima, sit circiter minutorum 33.

25. Punctum H pendet a sola hora, punctum F a sola declinatione, punctum L ab ipsa, & a latitudine loci. Punctum H in meridie est in E, a quo puncto reliquis horis distat ita, ut arcus

arcus EH in meridie evanescat, nec abeat in semicirculum, nisi sub zonis frigidis eo tempore, quo sol evadit inocciduus, puncto H tempore, quod mediæ nocti responderet, abeunte in D. Punctum F abit in C in æquinoctiis, facta = o declinatione CDF: reliquis anni temporibus recedit inde versus P, vel P', prout declinatio fuerit borealis, vel australis, sed ita, ut radio existente = 1, maxima ejus distantia CF non excedat partes 0,4341, quæ est tangens maximæ declinationis 23°.28' in solstitiis, adeoque id punctum non potest abire in infinitum, potest autem abire in C. Punctum L pro quovis loco sito extra æquatorem ita pendebit a puncto F, ut, eo abeunte in C in æquinoctiis, abeat simul eòdem etiam ipsum: declinatione existente boreali, ut figura exhibet, abit pro locis latitudinis borealis, quibus eadem est aptata, a C versus E, & cadit citra E, in E, vel ultra; prout latitudo loci fuerit major, æqualis, vel minor declinatione CEF; ipsa vero declinatione existente australi, abibit a C versus D itidem citra D, vel in D, vel ultra, prout latitudo borealis ipsa fuerit major, æqualis, vel minor ea declinatione. Quod si latitudo loci fuerit nulla, loco nimirum posito in æquatore terrestri; id punctum, declinatione existente aliqua, abit in infinitum ex parte E, vel D, prout declinatio fuerit borealis, vel australis, quia tum angulus CFL complementum latitudinis evadit angulus rectus, ut FCL, & rectæ CL, FL evadunt parallelæ. Sed sole posito in æquatore cælesti, loco in terrestri, punctum L quodammodo veluti diffunditur per totam rectam ACB utrinque in infinitum productam, congruentibus rectis CL, FL, vel potius nusquam jam est. Ea omnia patebunt magis inferius (num. 37) in figura 4 ordinata ad exhibendas diversas positiones punctorum F, L.

26. Hinc facile jam definiuntur casus omnes, in quibus prima methodus deficit priore defectu triangulorum adhibitorum: 1°. deficit quovis anni tempore pro locis positis in æquatore terrestri, pro quibus punctum L abit in infinitum ita, ut nusquam jam sit: 2° deficit pro quavis alia etiam latitudine in æquinoctiis, punctis F, L abeuntibus in C, & evanescente utroque triangulo L*h*'F,

L*h*'C

$Lh'C$. Deficiet secundo modo prope polum quavis hora, & prope meridiem quovis loco, in quibus casibus occurrit imaginarietas, nimirum impossibilitas incursus radii refracti in circulum DKEK', quæ pro utroque casu facile demonstrabitur sequenti pacto.

27. Angulus IFE est minimus omnium angulorum, quos rectæ digressæ ab F, & terminatæ ad eum circulum continent cum recta verticali FI: cum enim recta ME sit (num.4) perpendicularis ad planum circuli ejusdem; erit minor quavis MH, adeoque in triangulis MFE, MFH, in quibus latus MF est commune, latera FH, FE æqualia, angulus MFE oppositus basi minori ME erit minor, quam MFH oppositus majori MH. Quare si angulus IFh fuerit minor angulo IFE; nulla conversione instrumenti circa AB, sive GI radius Fh poterit incurrere in eum circulum. Porro angulus IFh erit minor angulo IFE quavis hora in exigua distantia a polo, & in quavis latitudine loci in exigua distantia a meridie.

28. Concipiatur enim recta EF producta usque ad Meridianum cælestem in N, in quo sit Q punctum æquatoris, ac dicatur r' refractio debita distantiæ ZN a zenith meridianæ minimæ omnium distantiarum ejusdem diei, quæ refractio erit minor quavis alia refractione r diei ejusdem. Sol in meridie erit in N, adeoque QN erit declinatio solis: QZ erit latitudo loci, & $ZN = lat. \pm decl.$, quæ erit mensura anguli $ZFN = IFE$. Erit itidem $P''S = P''N$.

29. Jam vero prope polum impossibilitas sic facile demonstratur, & determinatur ejus limes. Arcus ZS mensura anguli ZFS, sive IFH est minor binis arcubus simul $P''S + P''Z$, sive $P''N + P''Z$, vel $ZN + 2P''Z$. Quare $IFh = IFH - r$, erit minor, quam $ZN + 2P''Z - r$, & adhuc minor quam $ZN + 2P''Z - r'$, ob r' minorem, quam r. Hinc si fuerit $2P''Z$ minor r', sive distantia a polo $P''Z$ minor dimidiâ refractione minima debita distantiæ minimæ a zenith meridianæ diei cujuspiam; nullâ horâ ejus diei radius refractus poterit incidere in circulum DKEK', & limes, in quo incipiet ejusmodi impossibilitas respondens ho-

ris

ris omnibus, erit æqualitas distantiæ a polo cum ea dimidia refractione minima. Ea refractio invenietur facile. Distantia solis a zenith in polo est complementum declinationis: sumatur refractio debita ei distantiæ, & distantia a polo veræ proxima erit ejus dimidium: dematur hæc a complemento declinationis, & habebitur distantia meridiana a zenith magis correcta, cui respondens refractio erit jam correctior, & exhibebit distantiam a polo correctiorem æqualem ejus dimidio.

30. Quod pertinet ad impossibilitatem prope meridiem in majoribus a polo distantiis, ea itidem facile demonstratur, & determinatur facile ejus limes. Quoniam angulus IFH in exigua distantia ab IFE est eo tantillo major, & quo major est distantia a meridie, eo magis augetur is angulus, refractio autem non mutatur ad sensum, mutatâ parum admodum distantiâ a zenith; habebitur aliquis limes, in quo differentia eorum angulorum erit æqualis refractioni: citra eum limitem ea differentia erit minor refractione, adeoque angulus IFh erit minor angulo IFE, & nulla conversione instrumenti radius Fh poterit incidere in eum circulum. Is limes determinabitur per resolutionem unici trianguli sphærici P‴ZS. In eo erit $P'''Z = compl.lat.$, $P'''S = compl.decl.$, $ZS = ZN + r = lat. \pm decl. + r$. Datis tribus lateribus invenietur angulus ad P‴, cujus mensura est arcus horarius EH, qui redactus ad tempus divisione instituta per 15 exhibet primum errorem temporarium in eo limite, & angulus SZP‴, cujus supplementum est angulus SZN exhibens secundum errorem directionis plani Meridiani.

31. Sole existente in æquatore, determinatio evadet facilior. Concipiatur arcus circuli maximi SN: is erit arcus æquatoris, cadente N in Q, adeoque perpendicularis Meridiano in N, qui metietur angulum horarium SP‴N quæsitum. In triangulo ZNS rectangulo ad N habebitur latus $ZN = lat.$, quia tum declinatio QN est nulla, & hypothenusa $ZS = lat. + r$. Quæretur arcus horarius SN, qui exhibebit distantiam limitis a meridie, & angulus SZN, qui exhibebit errorem plani Meridiani. Erit ex formulis trigonometricis $cos.ZS = cos.SN \times cos.NZ$, adeoque $cos.SN$

 $= cos.ZS$

$= \frac{cos.ZS}{cos.NZ} = \frac{cos.(lat.+r)}{cos.lat.}$. Pariter ex iisdem $sin.SZN = \frac{sin.SN}{sin.SZ}$ $= \frac{sin.SN}{sin.(lat.+r)}$, vel, omisso r tam exiguo $= \frac{sin.SN}{sin.lat.}$. Poterunt autem pro *sin.*SZN, & *sin.*SN poni ipsi arcus, atque id, sive ii arcus assumantur in iisdem partibus radii, in quibus assumuntur sinus, sive in gradibus, minutis, & secundis, ratione eorum valorum remanente eadem, quæcumque scala partium adhibeatur. Hinc habebitur $SZN = \frac{SN}{sin.lat.}$, ubi in capiendo sinu latitudinis tuto poterunt negligi secunda.

32. In formula $cos.SN = \frac{cos.(lat.+r)}{cos.lat.}$ poterunt itidem negligi secunda latitudinis tam in numeratore, quam in denominatore; sed in valore r, qui constat vel solis secundis, vel paucis admodum minutis, negligi non possunt. Is neglectus induceret errorem in valorem cosinus SN, qui esset exiguus respectu ipsius, sed pareret errorem ingentem in valore SN; nam cosinus arcuum exiguorum mutantur parum admodum, mutatis plurimum arcubus. Tota determinatio ejus arcus provenit ab additione valoris exigui r, in quo si negligantur partes non exiguæ respectu ipsius, orietur in determinatione error itidem non exiguus respectu ejus, quod inde determinatur. Idcirco in applicando ipsi formulæ calculo numerico oportet adhibere partes proportionales ad eruendum e tabulis valorem $cos.(lat. + r)$. Usus partium proportionalium evitari potest reducendo ipsam formulam sequenti pacto (*).

33. Est $cos.(lat. + r) = cos.lat.cos.r - sin.lat.sin.r$. Pro $cos.r$ potest poni radius $= 1$: arcus quæsitus SN dicatur x, & erit $cos.x = \frac{cos.lat. - sin.lat.sin.r}{cos.lat.} = 1 - tan.lat.sin.r$. Porro $cos.x$ $= 1 - sin.vers.x = 1 - 2sin^2.\frac{1}{2}x$. Quare $2sin^2.\frac{1}{2}x = tan.lat.$ $sin.r$

(*) Hæc methodus congruit fere penitus cum adhibita in Opusculo præcedente numero 3, ac formulæ proveniunt re ipsa eædem: pro applicatione numerorum non omnia, quæ hic habentur, illuc sunt translata.

$sin.r$, vel ponendo $\frac{1}{2}sin.x$ pro $sin.\frac{1}{2}x$ ob arcus exiguos proportionales sinubus quamproxime, $\frac{1}{2}sin^2.x = tan.lat.sin.r$, & $sin.x = \sqrt{2tan.lat.sin.r}$. Hic ad habendum logarithmum $sin.r$ necessarius esset usus tabularum majorum, ut Gardinerii, habentium sinus pro minutis, & secundis priorum graduum; nec vero in tabulis communibus adhiberi possent partes proportionales, cum differentiæ logarithmorum sinuum exiguorum non sint proportionales differentiis suorum arcuum. Adhuc tamen potest evitari usus tabularum majorum, & partium proportionalium duplici pacto.

34. Primo quidem si numerus secundorum contentus in radio fiat $= n$, & numerus r exprimat refractionem reductam ad secunda; sinus r in iis partibus radii, in quibus assumuntur sinus in tabula, erit $\frac{r}{n}$, & $sin.x = \frac{x}{n}$, exprimente itidem x numerum secundorum ejus valoris quæsiti. Hinc fiet $\frac{x}{n} = \sqrt{\frac{2rtan.lat.}{n}}$, adeoque $x = \sqrt{2nrtan.lat}$. Porro ob exiguitatem valoris x satis erit assumere logarithmorum notas 4, vel 5 priores post characteristicam, & duplicato numero r adhibere semisummam logarithmorum $2r$, n, $tan.lat$. Est autem $log.n = 4,31442$. Alia ratio (*) evitandi usum partium proportionalium erit, assumendo R $= 60r$, quo pacto migrabunt minuta prima in gradus, secunda in minuta, retentis iisdem numeris, & ob proportionalitatem sinuum cum arcubus exiguis, erit $sin.r = \frac{1}{60}sin.R$. Quare habebitur $sin.x = \frac{\sqrt{ntan.lat.sin.R}}{30}$.

35. In formula præcedente valor x quæretur in tabula logarithmorum respondentium numeris naturalibus, in hac formula posteriore quæretur in tabula respondentium sinubus: nec vero poterat in formula $\frac{1}{2}sin^2.x = tan.lat.sin.r$ poni x, & r pro $sin.x$, & $sin.r$, quia non erant ii valores dimensionum earundem, altero habente duas, altero unam; neque enim in æquatione possunt sub-

(*) Hæc sola secunda e binis rationibus hic adhibitis ad eam rem retenta est in Opusculo præcedente, appellando r', quod hic est R.

substitui numeri alterius scalæ cujuspiam exprimentes easdem quantitates, nisi in utroque membro id fiat pro coefficientibus totius membri, vel singulorum terminorum utriusque eodem dimensionum numero. Hæc formula posterior erit commodior, quia exhibebit immediate ipsum arcum x in gradibus, & minutis; dum illa prior exhibens numerum secundorum requiret reductionem ad minuta, & gradus; præterquam quod pro latitudinibus majoribus, in quibus refractio pertingit ad plura minuta in æquinoctiis in ipso meridie ob majorem in ea poli, & æquatoris positione distantiam a zenith, requiritur prævia reductio valoris r ad secunda.

36. In hisce casibus, in quibus problema evadit impossibile, primum triangulum LFh' nihil impossibilitatis involvet; cum datis lateribus LF, Fh' cum angulo intercepto LFh' magnitudinis cujusvis, semper haberi possit triangulum reale iis constans, quod & facile construitur. At in eo obveniet valor Lh' ejusmodi, ut reddat impossibile secundum triangulum LCh', in quo invenientur semper bina latera simul sumpta minora tertio; atque id absurdum profluet ex eo, quod radio Fh depresso in iis casibus per refractionem infra FH, magis quam recta FE sit inclinata ad horizontem, punctum h, adeoque & h' deberet esse inferius puncto E, dum omnium punctorum secundi circuli $EKDK'$ inclinati ex parte E omnium infimum est punctum H.

37. Id facile patebit, si concipiantur omnes positiones puncti L in recta DE producta quantum oportet utrinque, de quibus supra num. 25. Sint in fig. 4 bini circuli cum axe, & suis punctis, ut in prima, sed cum exigua latitudine AD, quæ præbebit locum iis positionibus omnibus. In ingenti declinatione boreali recta verticalis ZF occurret rectæ DE in L infra punctum E, in minore supra in L' inter C, & E: in exigua australi incidet in ipsam in L'' supra C inter ipsum, & D, in aliqua alia majore in L''' supra ipsum D. Posset cadere punctum L etiam in E, C, D; sed facile patebit, absurdum, quod invenietur in illis quatuor ejus positionibus prope ea puncta, haberi etiam in concursu cum ipsis. In prima positione anguli LFh', LFE essent supplemen-

menta angulorum ZFh', ZFE, adeoque horum priore existente majore, angulus LFh' esset minor, quam LFE, & ob $Fh' = FE$ recta Lh' minor, quam LE, adeoque ob $h'C = EC$ summa laterum $Lh' + h'C$ minor, quam $LE + EC$, nimirum quam latus tertium LC. In secunda positione angulus $L'F'h'$ esset itidem minor angulo $L'F'E$, adeoque itidem $L'h'$ minor, quam $L'E$, & summa laterum $CL' + L'h'$ minor, quam $CL' + L'E$, nimirum minor, quam radius CE æqualis tertio lateri Ch'. At puncto L'' abeunte supra F'' in positione tertia, anguli $L''F''h'$, $L''F''E$ essent iidem, ac anguli $Z''F''h'$, $Z''F''E$, adeoque e contrario angulus $L''F''E$ minor angulo $L''F''h'$, & $L''E$ nimirum summa $L''C + CE$, sive $L''C + Ch'$ minor tertio latere $L''h'$. Demum in positione quarta itidem $L'''F'''E$ minor, quam $L'''F'''h'$, adeoque $L'''E$, sive itidem summa $L'''C + CE$, nimirum $L'''C + Ch'$ minor, quam tertium latus $L'''h'$, quod erat absurdum propositum. Id absurdum occurreret etiam in calculo trigonometrico, in quo devenitur ad sinum anguli quæsiti majorem radio, quotiescunque proponatur resolvendum triangulum, datis tribus lateribus ita, ut bina simul sint minora tertio.

38. Polo P posito prope A non poterit haberi casus primus, & quartus; sed secundus, & tertius demonstrationem complebunt. Prima igitur methodus deficit, tam sole existente in æquatore cælesti, quam loco in terrestri ob defectum triangulorum ad solutionem adhibitorum, quam in accessu nimio ad polum, vel ad Meridiem ob angulum ZFh majorem in figura 1 angulo IFE. Cum in hoc casu habeatur vera impossibilitas; ea methodus ibi suppleri non potest: secus in priore, in quo facile invenitur solutio, quæ plerumque in iis casibus evadit simplicior. Eam hic proponemus incipiendo a sole existente in æquatore.

39. Eo casu, puncta F, L abeunt in C, chorda GI in diametrum ACB, evadente GHI semicirculo maximo, in quo arcus Hh metietur refractionem $HFh = r$, IH angulum $IFH = ZFS = D$, adeoque erit $Ih' = Ih = D - r$. Erit autem $Ih'E$ triangulum sphæricum rectangulum ad E, ubi bini circuli sunt sibi invicem perpendiculares, cujus latus IE fiet $= BE = AD =$ lati-

latitudini loci, hypothenusa $Ih' = D - r$, adeoque latus Eh' habebitur; erit enim ex Trigonometria sphærica radius $= 1$ ad $cos.Eh'$, ut $cos.IE = cos.lat.$ ad $cos.Ih' = cos.(D - r)$, adeoque $cos.Eh' = \frac{cos.(D-r)}{cos.lat.}$, qui arcus ablatus ab EH assumpto ad eruendam distantiam a zenith $= D$, & refractionem $= r$, relinquet arcum quæsitum Hh', qui redactus ad tempus exhibebit errorem primum temporarium. Is, invento D, invenietur ita multo facilius per solutionem unius trianguli sphærici rectanguli, dum prius inveniebatur per solutionem duorum rectilineorum rectangulorum. Ipse autem valor D, qui prius inveniebatur in triangulo sphærico obliquangulo ZP''S, invenietur facilius in rectangulo IEH; erit enim $cos.IH = cos.IE \times cos.EH$, nimirum $cos.D = cos.lat.cos.H$. Error secundus erit angulus HIh', qui facile invenietur; cum in triangulis rectangulis IEH, IEh' sit $cos.EIH = \frac{tan.EI}{tan.IH} = \frac{tan.lat.}{tan.D}$; & similiter $cos.EIh' = \frac{tan.lat.}{tan.(D-r)}$.

40. Si præter solem positum in æquatore cælesti, locus sit in æquatore terrestri; abibunt præterea puncta D, E, in A, B, æquator fiet primus verticalis, cum quo semper congruet GHI, congruente arcu Eh' cum Eh, adeoque arcus quæsitus Hh' erit $= Hh = r$, qui tum obtinetur sine ullo calculo. Congruit formula $cos.Eh' = \frac{cos.(D-r)}{cos.lat.}$, cum evanescente latitudine sit $cos.lat. = 1$, adeoque $cos.Eh' = cos.(D - r) = cos.Ih'$, unde facto tum $HE = HI = D$, evadit $Hh' = r$. In eo casu sol ascendit rectà ab horizonte ad zenith per æquatorem congruentem cum primo verticali, & refractio deprimit radium in plano ipsius circuli per arcum sibi æqualem, cum ipse radius transeat tum per centrum ipsius circuli. Hinc error secundus ibi est nullus.

41. Quod si locus quidem sit in æquatore terrestri, sed sol extra cælestem; tum vero alio modo instituenda erit solutio. Sint in figura 5 primus circulus EPDP', dimidium secundi EHD, existente diametro communi DE verticali in ea positione, adeoque

que parallela chordæ GFI transeunti per foramen F. Sit autem H punctum hujus, ad quod radius deveniret sine refractione, & h' id, ad quod devenit per conversionem. Erit mensura anguli IFH distantia a zenith $= D$, quæ ex datis hora, & declinatione hìc invenietur facile. Si enim concipiatur arcus æquatoris cælestis transeuntis per Z occurrens arcui P''S in R; erit ZR mensura anguli $ZP''S = H$, & SR declinatio solis, ZS distantia quæsita D ipsius a zenith: cumque in triangulo rectangulo SRZ sit $cos.ZS = cos.SR \times cos.ZR$; erit $cos.D = cos.decl.cos.H$. Invento D, habebitur refractio r. Angulus $h'FI$ erit $= D - r$. Concipiatur per h' planum perpendiculare rectis DE, GI parallelis, quibus occurrat in t, u. Erit $cos.Dh' = Ct$ (ob $Ch' = 1$) $= Fu = Fh' \times sin.h'FI = \frac{sin.(D-r)}{cos.decl.}$ ob $Fh' = FD = \frac{1}{cos.decl.}$: (num. 10). Inde habebitur arcus Eh', qui ablatus ab EH assumpto $= H$ relinquet quæsitum Hh': hic redactus ad tempus divisione per 15, erit primus error horarius.

42. Error secundus inclinationis planorum invenietur hìc methodo adhibita pro solutione generali. Satis est in fig. 2 puncto L substituere punctum I hujus figuræ. Erit hìc, ut ibi numero 12 $sin.\frac{1}{2}HFh' = sin.\frac{1}{2}HCh' \times cos.decl.$. Invento inde HFh', & adhibitis IFH, IFh' hujus figuræ pro LFH, LFh' illius, sive D, & $D - r$, angulus MLN erit quæsitus error.

§. V.

Proponuntur considerationes secundæ methodi paragraphi III.

43. Formula pro errore 1°. fuerat, num. 19 $\frac{r sin.D}{15 cos.decl.cos.lat.sin.H}$. Inquirendum in singulos hosce valores. In primis refractio r est $= 0$ in ipso zenith, & est exigua quidem, sed semper aliqua in quavis aliâ distantia D a zenith. Quare ex hoc capite formula tota evadit ibi $= 0$; nisi divisores excrescentes in infinitum compensent ejus evanescentiam: verum jam constat, sole existente in zenith, & proinde refractione nulla, non habere locum

hanc

hanc perquisitionem, in qua inquiritur in effectum ipsius refractionis. Valor *sin.*D, sole existente in zenith, est itidem $= 0$, cum ibi sit nulla distantia D ab ipso zenith, adeoque etiam ex hoc capite formula ibi evanescit, nisi ab evanescentia divisorum compensetur, quod nonnunquam accidit. Extra zenith is sinus est semper aliquid, & in horizonte $= 1$. Si instrumentum adhibeatur in elevatione, quæ solem videat infra horizontem, tum ipse *sin.*D iterum decrescit. Valor *cos.decl.* in æquinoctiis evadit $= 1$, declinatione ibi evanescente, & est minimus in solstitiis $= cos. 23°. 28'$. Valor *cos.lat.* in æquatore terrestri, ubi *lat.* $= 0$, evadit $= 1$, & in polo, ubi ea est $= 90°$, evadit $= 0$, adeoque valor formulæ in polo evadit infinitus, in quo cum sol non possit appellere ad zenith, nec r, nec *sin.*D potest evadere $= 0$. Demum valor *sin.*H evadit $= 0$ in meridie, & hora 6 est $= 1$, cum arcus horarius H sit tum $= 90°$. Hinc etiam in meridie formula evadit infinita, atque id, ubicunque sol sit extra zenith, nam, ipso sole existente in zenith, ea adhuc est $= 0$, cum ibi evadant $= 0$ binæ dimensiones numeratoris r, & *sin.*D, unica vero denominatoris *sin.*H, quæ sola sine auxilio evanescentiæ valoris *cos.lat.* non potest compensare evanescentiam numeratoris.

44. Hic autem jam patet, formulam esse erroneam in casu *lat.* $= 90°$, vel H $= 0$, nimirum in polo quavis hora, & ubique in meridie, dummodo sol non sit in ipso zenith, & quidem ea est in iis casibus erronea errore infinito. Si enim in prima integra conversione instrumenti radius incidit aliquando in circulum continentem horas; distantia ejus puncti a puncto infimo horæ 12 erit utique finita: si autem in tota prima conversione nunquam incidit; continuatâ ipsâ in infinitum, utique nunquam incidet, adeoque valor formulæ non potest esse infinitus. Vidimus num. 29, & 30, in iis binis casibus valorem a formula expressum esse imaginarium, non realem: adeoque in ipsis ea formula est omnino erronea. Porro debet esse erronea etiam prope polum, & prope meridiem: nam decrescente in immensum distantia loci a polo terrestri, vel solis a Meridiano cælesti, *cos.lat.*, vel *sin.*H decrescunt in immensum, adeoque crescit in immensum valor formulæ,

mulæ, dum arcus respondens errori horario ab ipsa expresso non potest superare semicirculum. Et quidem etiam in iis casibus ostendimus, haberi imaginarietatem, cujus etiam limites determinavimus in paragrapho superiore.

45. Videndum est igitur, cur in iis casibus formula evadat erronea. Id quidem provenit ex eo, quod in fig. 3 habitis cC, cD pro rectis lineis, nimirum adhibitis chordis eorum arcuum, assumpti sunt anguli BCc, CDc pro rectis, unde profluxit (num. 15) æqualitas angulorum ACB, CcD, quorum uterque habitus est pro complemento ejusdem cCD. Revera angulus CDc acutus excedit rectum per dimidium anguli DAc, per quod deficit a recto angulus ADc ad basim Dc trianguli isoscelii, & angulus BCc e contrario deficit a recto per dimidium anguli CBc oppositi basi trianguli isoscelii CBc. Anguli CAc, CBc dicantur b, & b', & erit $BCc = 90° - \frac{1}{2}b'$, ac $ADc = 90° - \frac{1}{2}b$. Hinc $cCD = BCc - ACB = 90° - \frac{1}{2}b' - ACB$, & $CcD = ADc - cCD = 90° - \frac{1}{2}b - 90° + \frac{1}{2}b' + ACB = ACB + \frac{1}{2}(b' - b)$. Præterea assumptus est valor $CD = Cc \times sin.CcD = Cc \times sin.ACB$, dum revera si concipiatur verum perpendiculum cd in rectam AC, non erit $CD = Cc \times sin.CcD$, sed $Cd = Cc \times sin.Ccd$. Hinc neglecta est primo semidifferentia $\frac{1}{2}(b' - b)$ angulorum CBc, CAc, tum angulus Dcd, qui est $= \frac{1}{2}cAD = \frac{1}{2}b$, ac lineola Dd.

46. In figura 3 angulus ACB est minor angulo cCB; sed ille potest esse hoc eodem major, quo casu adhibito simili neglectu, angulus CcD non erit æqualis angulo ACB, sed ejus supplemento: migrabit figura tertia in sextam, in qua producto latere BC in B', erit angulus cCD habendus pro complemento hinc anguli CcD, inde anguli ACB', adeoque angulus CcD pro æquali angulo ACB': adhuc tamen erit $CD = Cc \times sin.ACB$, cum debeat esse $= Cc \times sin.ACB'$, & sinus supplementorum ACB, ACB' sit idem. Sed neglectus lineolæ Dd, qua $Cd = Cc \times sin.Ccd$ superat rectam CD, & anguli $Dcd = \frac{1}{2}b$ erit idem. Accedit autem contemptus valoris $\frac{1}{2}(b' + b)$ pro $\frac{1}{2}(b' - b)$. Erit enim hic itidem $BCc = 90° - \frac{1}{2}b'$, adeoque $B'Cc = 180° - BCc = 90° + \frac{1}{2}b'$, & $ADc = 90° - \frac{1}{2}b$, adeoque $cCD = B'Cc - ACB' =$

90°

$90° + \frac{1}{2}b' - ACB'$, & $CcD = ADc - cCD = 90° - \frac{1}{2}b - 90° - \frac{1}{2}b' + ACB'$, qui valor evadit $= ACB' - \frac{1}{2}(b' + b)$. In priore casu habebatur æqualitas anguli CcD cum angulo ACB per contemptum semidifferentiæ angulorum CBc, CAc, in secundo cum ejus supplemento per contemptum semisummæ.

47. Donec anguli CAc, CBc fuerint exigui tam respectu anguli ACB figuræ 3, quam respectu ejus supplementi, contemptus semidifferentiæ ipsorum, vel semisummæ exiguus respectu eorum, respectu quorum fit, non afferet errorem sensibilem in formula, quæ per eum neglectum eruitur: nec vero lineola Dd rem turbabit, quia erit exigua respectu differentiæ CD, respectu cujus negligitur, quod sic demonstratur. Lineola dD est ad dC, ut tangens anguli dcD ad tangentem anguli dcC: prior ex iis duobus angulis debet esse exiguus, posterior non potest: nam angulus dcD est $= \frac{1}{2}CAc = \frac{1}{2}b$, & dcC est $= 90° - ACc$: ipse autem ACc in fig. 3 est $= BCc - ACB = 90° - \frac{1}{2}CBc - ACB$, adeoque $dcC = ACB + \frac{1}{2}CBc$, & in fig. 6 est $ACc = ACB - BCc = ACB - 90° + \frac{1}{2}CBc$, adeoque $dcC = 180° - ACB - \frac{1}{2}CBc$. Quamobrem prior angulus dcD debet esse exiguus, posterior dcC differt ab angulo ACB, vel ab ejus residuo ad 180°, per dimidium angulum exiguum $CBc = b'$, adeoque non potest esse exiguus, nisi ipse ACB vel sit exiguus, vel nimis accedens ad 180°.

48. Hinc extra eos casus lineola Dd erit exigua respectu differentiæ CD, respectu cujus negligitur, & formula exhibebit valorem vero proximum, quotiescumque angulus ACB nec erit nimis exiguus, nec nimis accedet ad duos rectos. At in utroque ex his casibus negliguntur quantitates, quæ possunt esse non solum non exiguæ respectu eorum, respectu quorum negliguntur, sed iis æquales, & in immensum majores, quod accideret imminuto in fig. 3 angulo ACB, vel in fig. 6 ACB', donec evanescat, vel accedente ACB in infinitum in ipsa fig. 6 ad duos rectos, donec evanescat ACB' ejus supplementum, imminutâ nimirum in infinitum rectâ AB in priore casu, auctâ in posteriore, & remanente exiguo, sed finito utroque ex angulis CAc, CBc, vel saltem altero, in quo casu etiam Dd potest evadere æqualis, & in im-

immensum major respectu CD. Hinc nisi forte fortuna quantitates neglectæ se mutuo compensent, determinatio erit erronea, & error poterit excrescere etiam in infinitum.

49. Regrediamur jam ad figuram 1, cum qua ita comparata est figura 3 numero 15 (adjecta deinde est ipsi figura 6 ad exprimendum casum anguli ACB obtusi), ut triangulum ABC hujus abiens in AB*c* referat triangulum LFH illius abiens in LF*h*', tum triangulum CFH ejusdem abiens in triangulum CF*h*. Anguli ACB, CA*c*, CB*c* hujus referunt in prima comparatione angulos LHF, HL*h*', HF*h*' illius, in secunda ejus angulos HC*h*', HF*h*'. Angulus HF*h*' est refractio, quæ quidem est semper exigua, sed semper aliqua in hac perquisitione, in qua quæritur effectus refractionis ipsius. Hinc erit exiguus etiam arcus H*h*', adeoque & angulus HC*h*' ob distantiam puncti C a toto circulo DKEK', cujus id est centrum, & vero etiam HL*h*', nisi L accedat proxime ad E, & punctum H sit itidem ipsi proximum. Quare illi bini anguli *b*, & *b*', qui respondent angulis HL*h*', HF*h*, HC*h*', quorum semidifferentia, vel semisumma negligebatur, debent esse exigui semper præter casum, in quo præter viciniam punctorum L, E, punctum H sit ipsi E proximum, tempore nimirum proximo meridiei, in qua duplici eorum casuum conjunctione vicinia puncti L respectu punctorum H, *h*' potest plurimum augere angulum HL*h*.

50. At anguli LHF, LHC, respectu quorum negligebantur anguli *b*, & *b*', possunt tam imminui in infinitum, quam accedere in infinitum ad duos rectos. Minuuntur ambo in infinitum, imminutâ in infinitum declinatione, cum debeat tum imminui in infinitum ejus tangens CF, adeoque latitudine manente finita, etiam utrumque latus LF, LC trianguli CFL habens ad ipsam CF rationem radii ad tangentem, & secantem anguli CFL = P''FZ complementi latitudinis, qua manente finita, tangens, & secans remanent finitæ. Latitudine manente finita, evanescent ea ipsa latera cum angulis LHF, CHL, si sol abeat in æquatorem. Minuetur in infinitum etiam extra æquatorem alter ex iis binis angulis, nimirum CHL in accessu puncti L ad C, quod accidet latitudine loci auctâ usque ad quadrantem: eâ enim ita auctâ, augetur

angulus CLF, adeoque minuitur ejus complementum CFL cum recta CL, donec evanescant simul, loco abeunte in polum. Idem angulus CHL accedet in infinitum ad duos rectos latitudine loci imminuta in infinitum, & sole posito extra æquatorem: quia tum angulus CLF minuetur in infinitum, adeoque punctum L recedet in infinitum a C, & E, atque id versus E respectu C, in casu declinationis borealis expresso a figura 4 per L, & ad partes D, in casu declinationis australis, in quo F abeat ibi in F''', & L in L'''. Angulus LHF in distantia ab æquatore non exigua non potest evadere exiguus, non evadente exigua FL, quæ semper est major; quam CF; nec potest accedere ad duos rectos, nisi puncto L abeunte in infinitum, sive loco accedente ad æquatorem.

51. Patet ex hac omni perquisitione, formulam non posse esse suspectam, nisi sole accedente ad æquatorem, hora accedente ad meridiem, loco accedente ad polum, vel ad æquatorem. Extra eos casus ipsa exhibebit semper valores veris proximos. Porro jam vidimus, hora accedente ad meridiem, & loco accedente ad polum, ipsam formulam debere esse erroneam, cum exhibeat valorem infinitum, evanescente in primo casu divisore *sin.*H, in secundo divisore *cos.lat.*. In accessu solis, & loci ad æquatorem formula nihil absurdi continet, cum *cos.lat.*, & *cos.decl.* evadant demum $= 1$. Adhuc tamen nisi aliunde demonstretur, eam habere locum etiam in iis casibus, contemptibus se compensantibus; debebit esse suspecta, nec analysis, ex qua profluxit ea formula, potest extendi ad ipsos.

52. Quod pertinet ad solem positum in æquatore, facile evincitur pluribus methodis, eam esse exactam etiam in eo casu, in quo quidem ipsa reducitur ad formam adhuc simpliciorem, & tamen accuratam. Proferemus binas methodos, quæ exhibent formulam consentaneam cum ea generali rite applicata ad eos casus.

53. Sole existente in æquatore abibit in fig. 1 chorda GFI in diametrum ACB, adeoque GHI erit semicirculus maximus, in quo arcus Hh' erit mensura anguli HFh' $= r$, arcus IH anguli IFH $=$ ZFS, sive distantiæ solis a zenith $=$ D, arcus autem

IE

IE erit $=$ BE $=$ AD latitudo loci, arcus EH horarius $=$ H, ut prius: erit IEH triangulum sphæricum rectangulum ad E, ubi bini circuli sunt sibi invicem perpendiculares, & hh' erit arcus circuli habentis polos in G, & I, qui idcirco erit perpendicularis arcui Hh circuli maximi GHI. Quare triangulum exiguum hHh' habitum pro rectilineo erit rectangulum in h, habens pro hypothenusa arcum Hh', adeoque latus Hh, nimirum r, adjacens angulo hHh' erit $=$ Hh' $\times$ *cos.*hHh' erit $=$ Hh' $\times$ *cos.*IHE.

54. Porro in triangulo sphærico IEH erit IH hypothenusa, EH latus adjacens angulo IHE, & ex Trigonometria sphærica est radius ad cosinum anguli, ut tangens hypothenusæ ad tangentem anguli adjacentis, adeoque $cos.\text{IHE} = \frac{tan.\text{EH}}{tan.\text{IH}} = \frac{tan.\text{H}}{tan.\text{D}}$. Hinc $r = \frac{\text{H}h' \times tan.\text{H}}{tan.\text{D}}$, & $\text{H}h' = \frac{r\,tan.\text{D}}{tan.\text{H}} = r\,tan.\text{D}\,cot.\text{H}$, formula multo simplicior, quam generalis inventa numero 17 $\frac{r\,sin.\text{D}}{cos.decl.cos.lat.sin.\text{H}}$. Verum ea in hoc casu reducitur ad hanc ipsam simplicem. Nam in primis sole posito in æquatore fit *decl.* $= 0$, *cos.decl.* $= 1$: deinde in eodem triangulo sphærico, in quo IH est hypothenusa, est $cos.\text{IH} = cos.\text{EH} \times cos.\text{IE}$, sive $cos.\text{D} = cos.\text{H}\,cos.lat.$, & proinde $cos.lat. = \frac{cos.\text{D}}{cos.\text{H}}$. Quare formula evadit $\frac{r\,sin.\text{D}}{cos.lat.sin.\text{H}} = \frac{r\,sin.\text{D}\,cos.\text{H}}{cos.\text{D}\,sin.\text{H}} = \frac{r\,tan.\text{D}}{tan.\text{H}} = r\,tan.\text{D}\,cot.\text{H}$.

55. In hac formula datur hora H, pro qua quæritur error, & invenienda est distantia D a zenith per latitudinem, & horam, necessaria etiam ad habendam refractionem r. Ea distantia facile deducitur ex iis elementis per ipsam æquationem $cos.\text{D} = cos.lat.cos.\text{H}$; quanquam sæpe poterit inveniri per immediatam observationem factam hoc eodem instrumento, cui aliquando additur aliud foramen, & divisio indicans altitudines supra horizontem, sive distantias a zenith, quas satis est habere veris proximas tam pro habenda refractione r, quam pro eruendo valore arcus Hh' per formulam, quæ continet valorem D. Observatio exhi-

exhibet non distantiam D veram, sed D — r apparentem: adhuc tamen, ubi agitur de corrigenda hora inventa per instrumentum, possunt adhiberi pro H, & D valores exhibiti ab ipso, qui sunt illis veris tam proximi, ad habendam ope formulæ correctionem veræ quamproximam. Secus si ageretur de computanda tabula errorum pro toto anno. Tum assumendæ essent pro argumentis diversæ declinationes, & pro quavis declinatione diversæ horæ; ac pro singulis inveniendi valores D vel hoc calculo, vel per constructionem indicatam num. 19.

56. Secunda methodus deducendi eam formulam erit differentialis. Differentia cosinus est differentia arcus ducta in sinum. Abeunte triangulo EIH in EIh' latus EI remanet constans; mutantur autem hypothenusa IH $=$ D in Ih' $=$ Ih $=$ D $-$ r mutatione r, & latus EH in Eh' mutatione Hh'. Hinc assumendo solas differentias, æquatio $cos.D = cos.lat.cos.H$, exhibet $r sin.D = cos.lat. \times Hh' \times sin.H$, sive $Hh' = \frac{r sin.D}{cos.lat.sin.H}$, ut prius, formulam nimirum erutam ex generali, quæ reducitur ad simpliciorem $r tan.D \, cot.H$.

57. Secundus error inclinationis planorum est angulus HIh', qui redit, ut num. 20. Facto nimirum arcu $Hh' = a$, cum Hh sit $= r$, erit $hh' = \sqrt{(a^2 - r^2)} = \sqrt{((a + r)(a - r))}$, qui arcus divisus per sinum Ih, pro quo arcu ponatur IH $=$ D, exhibebit eum angulum $= \frac{\sqrt{((a+r)(a-r))}}{sin.D}$.

58. Hic est valor formulæ sole posito in æquatore, pro latitudine loci quacumque. Si ea fiat $= 0$, loco posito in æquatore terrestri; fit $cos.lat. = 1$, adeoque formula $= \frac{r sin.D}{sin.H}$, quæ reducitur ad simpliciorem $= r$; quia sol positus in æquatore pro loco posito in æquatore describit primum verticalem, cum quo ibi congruit æquator, & distantia a zenith est arcus ipse æquatoris, qui metitur distantiam horariam a meridie, adeoque H $=$ D, & $\frac{sin.D}{sin.H} = 1$. Patet autem, ibi circulo DHE congruente cum

GHI,

GHI, arcum Hh' congruere cum $Hh = r$, adeoque formula tum etiam exhibet valorem debitum. Hic casus adeo simplex est ille numeri 25, in quo punctum L diffundebatur per totam diametrum DE productam in infinitum.

59. Remanet casus ultimus, in quo locus est in æquatore terrestri, & sol extra ipsum. Formula etiam pro ipso est exacta, quod sic facile ostenditur. In fig. 5 planum perpendiculare rectis DE, GI parallelis ductum per H occurrat in T, V; & erit CT cosinus arcus EH = H, ut num. 41, ac FV ipsi æqualis $= FH \times cos.HFV = \frac{cos.D}{cos.decl.}$ ob $FH = DF = \frac{1}{cos.decl.}$ per numer. 10, adeoque $cos.H = \frac{cos.D}{cos.decl.}$. Differentia cosinuum est differentia arcus ducta in sinum, ut num. 56, quæ assumenda est cum signo negativo, cum crescente arcu minore quadrante, decrescat ejus cosinus positivus: differentia arcus $EH = H$ est arcus quæsitus Hh': differentia anguli $HFI = D$ abeuntis in $h'FI$ est r, & $cos.decl.$ non mutatur. Quare differentia primi membri $cos.H$ erit $- Hh' \times sin.H$, & secundi $\frac{cos.D}{cos.decl.}$ erit $- \frac{rsin.D}{cos.decl.}$, quibus valoribus æquatis obtinetur $Hh' = \frac{rsin.D}{cos.decl.sin.H}$. Porro huc reducitur formula generalis numeri 17, & 54 $\frac{rsin.D}{cos.decl.cos.lat.sin.H}$, in hoc casu, in quo latitudine evanescente, ejus cosinus evadit $= 1$.

SCHOLIUM GENERALE.

60. Hoc pacto revocatâ ad trutinam utraque methodo, habetur solutio generalis directa, & accurata in methodo 1 pro casibus omnibus, in quibus radius adduci potest ad secundum circulum per conversionem instrumenti: habetur demonstratio impossibilitatis prope polum quavis hora, & ubique prope meridiem: habentur limites ejus impossibilitatis, & errorum, qui in iis limitibus sunt maximi, determinatio accurata: habetur formula genera-

neralis eruta methodo differentiali simplicior, sed minus accurata. Habetur ejus methodi defectus duplex, primus, ubi problema est adhuc possibile, secundus, ubi est impossibile: habetur supplementum pro casibus, in quibus methodus deficit, per alias methodos, quæ ostendunt formulam generalem valere etiam pro ipsis: habetur, in medio impossibilitatis errorem formulæ esse infinitum, & prope ipsos, nimirum prope polum, & prope meridiem, etiam extra limites impossibilitatis errorem formulæ esse adhuc ingentem: habetur ratio ejus defectus, cum accurata inquisitione in ipsam methodum, & in quantitates neglectas.

61. Longo ambitu deveneram ad finem ipsum paragraphi postremi; cum in quærenda demonstratione ultimi casus demum animadverti, longum eum ambitum esse prorsus inutilem; cum omnia multo facilius expediri possint alia via simpliciore, & breviore, addito resolutioni trianguli sphærici ZP''S alio unico itidem sphærico pro binis rectilineis, quod rem perficiat, quotiescumque impossibilitas non occurrit. Ante methodos hic adhibitas tentaveram alias vias adhuc in immensum complicatiores, quæ indigebant curvis duplicis curvaturæ. Illud enim primum se objecerat animo, dum instrumentum convertitur circa axem AB, radium F*h* habentem semper directionem eandem describere in superficie sphæræ, ad quam pertinent bini circuli instrumenti, curvam quandam, cujus concursus cum circulo DKEK' maximo ejus sphæræ debet determinare punctum *h'*. Diu pluribus methodis quæsivi eum concursum, sed nihil se mihi offerebat, quod non esset complicatissimum: nam ea curva est duplicis curvaturæ orta nimirum ab intersectione superficiei cylindri obliqui cum superficie sphæræ. Quærendo projectionem ipsius circuli in planum, in quo cylindri superficies describeret circulum, & is circulus ellipsim, concursus illius cum hac rem perficiebat: sed id ipsum erat magis complicatum, quam videretur debere exigi ab ejusmodi problemate, & novo ambitu opus erat ad determinandos arcus quæsitos in ipso circulo in superficie sphæræ.

62. Hinc alias tentavi vias ad inveniendum concursum superficiei cylindricæ cum eo circulo non per longiores calculos algebrai-

brai-

braicos, quod est facile, sed molestum, verum methodo aliqua brevi & eleganti. Diu evagatus animadverti, posse evitari motum radii cylindricum concipiendo instrumenti conversionem circa rectam GI, quæ semper potest reduci ad sedem priorem. Id mihi statim exhibuit solutionem paragraphi II accuratam, ex qua profluxit solutio tertii per differentias.

63. Inventis iis solutionibus putabam, me multum profecisse: nunc, inventâ hac novâ adeo magis ad rem idoneâ, tot evagationum me pudet. Id mihi sæpe accidit: methodi simpliciores postremæ omnium se offerunt. Adhuc tamen ea, quæ hìc prolata sunt, possunt esse utilia ad exercendam Geometriam, & perspiciendam intimius vim methodorum. Novam methodum persecutus sum alio breviore, & simpliciore Opusculo, quod habet aliqua huic communia. Ipsum huic præmisi, hoc adjecto, quod censeo posse adhuc esse nec inutile, nec injucundum iis, qui geometricis perquisitionibus delectantur.

64. Illud unum hìc iterum monebo, quod & num. *6* indicavi, binos circulos hìc consideratos esse, ut meros tenues circulos. Revera ipsi inscribuntur in medio annulorum crassiorum, qui impediunt umbrâ suâ transitum radii per foramen in æquinoctiis toto die, & quavis die prope meridiem. Hæc secunda jactura nullius est momenti, cum jam prope meridiem problema, ut vidimus, sit impossibile, & omnia hujusmodi instrumenta, quæ adhibent solis altitudines ad determinandas horas, non possint tuto adhiberi prope meridiem, ubi altitudines longo tempore parum admodum mutantur. In æquinoctiis, & prope ipsa satis est, foramen F (fig. 1) removere a loco debito per intervallum æquale dimidiæ crassitudini annuli, & excipere radium non in circulo medio, sed in margine ex ea parte, versus quam foramen est retractum: res eòdem redibit, & umbra non officiet.

65. Posset inquiri in errores, quos parit collocatio indebita foraminis non accurate respondentis declinationi solis, vel suspensionis non accurate respondentis latitudini loci: sed hìc proposui determinandum solum effectum refractionis imminutæ a parallaxi, quod præstiti fusius, quam oporteret. Superesset applicatio nu-

merorum ad aliquot casus, quam illi alteri novo Opusculo reservavi simpliciori. Innuam duo tantummodo; primo quidem errorem temporarium plerumque esse perquam exiguum, sed aliquando etiam Parisiis, sole horizonti proximo, excedere quatuor minuta temporis: 2° formulam generalem nova methodo inveniri eandem, quam hìc inveni; tantummodo methodum, qua eruitur, faciliorem esse, & simpliciorem, ac valere æque pro omnibus casibus, in quibus non nimis acceditur ad limites impossibilitatis.



EX-

EXTRAIT

DU TOME IV.

1. LE sujet de ce Volume est la vérification & rectification des principaux instruments, qui sont en usage en Astronomie : il contient 18 Opuscules, mais beaucoup plus courts, que ceux des Volumes précédents : tous sont écrits en latin à l' exception d' un, qui l' est en françois, & il n' a pour objet aucun instrument particulier, mais une théorie générale appartenante à la Trigonométrie, qui avoit été employée dans plusieurs autres : ainsi cette pièce sert comme de pièce justificative.

§. I.

Des deux premiers Opuscules.

2. DANS le premier de ces deux Opuscules il y a la vérification des divisions d' un quart de cercle mural, dans le second de son plan : par la première on découvroit les erreurs, non pour les corriger dans l' instrument même, mais pour en tenir compte dans les observations, par la seconde on les découvroit de manière à pouvoir les y corriger en ajoutant la rectification à la vérification.

3. Pour le premier objet on y donne d' abord une légère idée de la méthode la plus sûre, mais très-incommode, sur-tout quand il s' agit d' une grande machine, comme ils sont les quarts de cercle muraux, qui ont ordinairement un grand rayon. Il y en a de huit pieds : celui, dont il s' agissoit dans cet Opuscule, en avoit six : la méthode indiquée est géodésique : la mesure d' une grande base faite en pleine campagne, avec celle des parties d' une ligne droite perpendiculaire tirée d' un bout de la même base, le centre de l' instrument étant placé à l' autre bout, don-

ne la valeur des tangentes des angles marqués par l' alidade, qui porte la lunette : on peut faire de cette manière d' abord la vérification des premiers 45 degrés, & après des 45 suivants, ou de chacun des trois arcs de 30.

4. Mais ici il y a la méthode de faire cette vérification dans l' Observatoire même. On pourroit la faire en comparant les cordes de tous les arcs avec une règle bien divisée ; mais pour avoir la totalité de chaque corde exacte il faudroit avoir une règle de cette espèce, & la vérifier elle-même. La méthode proposée ici n' employe, que les seules différences des arcs qui devroient être égaux comparés immédiatement, ou par leurs cordes : comme ces différences sont toujours bien petites, il est beaucoup plus aisé d' en déterminer la quantité précise avec toute l' exactitude à l' aide d' un, ou de deux micromètres appliqués à une règle.

5. Il y a la manière de former ce micromètre à vis, de trouver la valeur des parties d' un tour entier de la même vis par rapport aux secondes de l' arc circulaire, d' appliquer la règle selon un ordre convenable. On commence par voir si tous les rayons de l' arc circulaire, qui étoit tracé en entier, les divisions y étant pratiquées par des petites lignes transversales, étoient égaux, & ils se sont trouvés tels ; mais il a fallu auparavant s' assurer de la position du centre du trou cylindrique, autour du quel devoit tourner le cylindre convexe attaché à l' alidade : il y a la méthode pour s' en assurer à l' aide d' un autre petit cylindre employée à cet usage avec un petit point marqué sur sa surface, & la méthode pour employer ce petit cylindre comme il faut pour avoir la mesure cherchée.

6. On a commencé la détermination des petites différences par celle du premier rayon comparé à la corde de 60°, le micromètre donnoit la différence de la corde fautive à la vraie, & on en tiroit celle de l' arc par le théorème suivant : *la différence de la corde est à la différence de l' arc, comme le co-sinus de la moitié de l' arc au rayon, ou comme le rayon est à la sécante de cette moitié*. On a déterminé la différence des cordes des deux arcs

de 30°,

de 30°, ce qui a donné la différence des arcs mêmes : après on a comparé la corde du dernier arc de 30 avec les cordes précédentes, depuis les cordes des arcs de 15 entr' eux, & celle de cinq. La différence des arcs se tiroit de la différence des cordes par le susdit théorème. Quand la division est faite par des points, il peut arriver beaucoup plus facilement qu' il y ait quelque petite différence des distances du centre des différents points, qui par le microscope deviennent des petits cercles, au centre du point central, & alors il faut tenir compte aussi des différences des rayons terminés aux deux bouts des arcs, ce qui vient en usage dans un des Opuscules suivants. Pour avoir la différence des arcs petits, comme de chaque degré, il y avoit une autre espèce de micromètre externe, qui est exposé dans le même Opuscule, qui pouvoit servir aussi pour comparer immédiatement entr' eux les arcs mêmes & en avoir la différence.

7. Quand on a eu la différence des arcs, qui devroient être égaux, on trouve d'abord l'erreur de chaqu' arc en particulier, & ensuite la table des erreurs de tous les arcs, dont chacun commence par zero, & termine à un nombre de degrés quelconque : mais dans chaque arc, qui est un de la subdivision d' un autre, il faut distinguer deux erreurs, dont la somme, ou la différence forme son erreur absolue. J' appelle la première *dérivée*, parcequ' elle dérive de celle du total, dont toutes les parties participent également prorata de leur nombre, & l'autre je l'appelle *propre* : c' est celle qui provient de l' inégalité des parties entr' elles. Il y a un beau théorème pour l' évaluation de l' erreur propre tirée de ces différences : après il y a l' ordre pour employer toutes les erreurs derivées avec les propres pour obtenir les erreurs absolues de chaque arc, & l' ordre pour tirer de ceux-ci les erreurs des arcs entiers qu' on doit mettre dans la table, sans multiplier les erreurs par la somme d' un grand nombre des parties, qui doivent former ce total. Tout cela est assez détaillé dans l' Opuscule.

8. Le second Opuscule employe toutes les figures de la Planche I. Les grands quarts de cercle, comme ceux qui sont destinés à être muraux, n' ont pas une plaque continue à pouvoir

voir examiner si elle est exactement plane par l'application d' une règle bien droite en tout sens : ils ont un limbe de quelques pouces de largeur, qui porte les divisions, & l' alidade qui porte la lunette tournée autour d'un cylindre, dont l'axe passe par un point, qui doit être dans le même plan avec tous les points de la division de ce limbe. Celui que j'examinois avoit (Tab. I fig. 3) dans l' angle C une plaque de laiton percée par un trou cylindrique : l' alidade avoit son petit cylindre qui entroit dans ce trou, & on pouvoit l'en ôter : le limbe étoit aussi de laiton attaché par des vis à des supports fixés sur le limbe de la machine, qui étoit toute de fer : on pouvoit l' éloigner un peu de chacun de ces supports en relâchant les vis, & en interposant des petites plaques minces entre les deux. Il falloit trouver le moyen pour voir si tous les points de la division du limbe étoient exactement dans un même plan, qui devoit aussi passer près par le centre du trou de la plaque centrale, & de combien ils s' en éloignoient, pour corriger les erreurs.

